STATE LIBRARY OF PENNSYLVANIA
3 0144 00376629 2

SR 975.1 C48:14

CLASS BOOK

VOLUME 11

PENNSYLVANIA
STATE LIBRARY

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
This project is made possible by a grant from the Institute of Museum and Library Services as administered by the Pennsylvania Department of Education through the Office of Commonwealth Libraries

https://archive.org/details/vol11operaexedit00cice

M. TULLII CICERONIS

OPERA.

VOL. XI.

M. TULLII CICERONIS

EPISTOLÆ AD DIVERSOS

EX EDITIONE JO. AUG. ERNESTI

CUM NOTIS ET INTERPRETATIONE

IN USUM DELPHINI

VARIIS LECTIONIBUS

NOTIS VARIORUM

RECENSU EDITIONUM ET CODICUM

ET

INDICIBUS LOCUPLETISSIMIS

ACCURATE RECENSITÆ.

VOLUMEN SECUNDUM.

LONDINI:

CURANTE ET IMPRIMENTE A. J. VALPY, A. M.

1830.

M. TULLII CICERONIS

EPISTOLARUM

LIBER XII.

AD C. CASSIUM ET ALIOS.

(1.) M. T. C. C. CASSIO[a] S. P. D.

ARGUMENTUM.—Factum Dolabellæ, quo aram Cæsaris evertit, laudat: sublato rege, regnum superesse questus, C. Cassium hortatur, ut rempublicam cum Bruto omni perturbatione liberet.

[*p.* 183.] FINEM nullam[1] facio, mihi crede, Cassi, de te et de Bruto nostro, id est, de tota republica, cogitandi, cujus omnis spes in vobis est et in D. Bruto. Quam quidem jam habeo ipse meliorem, republica a Dolabella meo præclarissime gesta.[b] Manabat enim[2] illud malum urbanum,[c] et ita corroborabatur quotidie, ut ego

EPIST. I. 1 *Finem nullum* edd. vett. contra codd. plurimos. Mox, *et de Bruto* Torg. Dresd. 5. edd. vett. *et de tota rep.* Amstel. Græv. 2. al. *id est* desunt in uno cod. Oxon. *in nobis est* ψ.—2 *Manebat enim* Dresd. 1. 2. 4. 5. *v*

NOTÆ

[a] *C. Cassio*] Vide Indicem Historicum.

[b] *Præclarissime gesta*] Cum erectam Cæsari columnam, in qua erat inscriptum 'Parenti patriæ,' everten-dam curavit.

[c] *Malum urbanum*] Seditio facta per Antonium, qui veteranos milites ad mortem Cæsaris ulciscendam inflammabat.

80340

quidem et Urbi et otio diffiderem urbano.[a] Sed ita compressum est,[b] 3 ut mihi videamur omne jam ad tempus ab illo duntaxat[c] sordidissimo periculo[d] tuti futuri. Reliqua magna sunt ac multa; sed posita omnia in vobis: quanquam primum quidque explicemus.[d] 3 Nam, ut adhuc quidem actum est,[e] non regno, sed rege liberati videmur. Interfecto enim rege,[f] regios omnes nutus[e] tuemur.4 Neque vero id solum; sed etiam, quæ ipse ille, si viveret, non faceret, ea nos, quasi cogitata ab illo, probamus. Nec ejus quidem rei finem video. Tabulæ figuntur:[5 f] immunitates[g] dantur: pecuniæ maximæ describuntur:[g h] exules reducuntur: senatusconsulta falsa referuntur:[i] ut tantum-

[a] *Ut salutem ac tranquillitatem urbis prope desperarem.*
[b] *Sed sic exstincta est seditio.* [c] *Saltem.*
[d] *Quanquam, quod primum est ac præcipuum in hoc libertatis negotio, evolvamus.*
[e] *Nam ut constat ex iis quæ a Cæsaris obitu hucusque acta sunt.*
[f] *Interfecto enim Cæsare, Cæsaris, &c.* [g] *Distribuuntur.*

ψ, cum quibusdam edd. vett.—3 Ita cod. Riccii, Mentel. Dresd. 3. *compressa est* Pal. 1. Amstel. Græv. 2. Torg. Lips. Dresd. 1. 2. 4. 5. *v* ψ, et edd. pr. Actutum, *ut mihi videatur* Vat. *ut ab alio dumtaxat* Amstel. Deinde, *tutæ* ψ. *tute* Pal. 1. Grut. Hitt. Stewech. Amstel.—3 Mentel. *primum quid explicemus non videamus;* Ascens. 1. *primum quicquid explicemus non videamus;* al. ap. Græv. *primum quidem quæ explicemus non videamus;* Dresd. 1. *primum quinque explicemus;* Dresd. 2. *primum quique explicemus;* Dresd. 4. 5. *primum quicquam explicemus;* Dresd. 3. *quod primum explicemus;* Lips. *primum quæ explicemus;* ψ *quam primum quique explicemus.*—4 Grut. *nutus intuemur;* al. ap. Græv. *nutu tuemur.*—5 *Tabulæ franguntur* Pal. 2. Mox, *maximæ distribuuntur et describuntur* edd. vett. *maximæ distribuuntur* Lips. Dresd. 5. P ψ, Ascens. 1. Deinde, pro *jaceat*, quod servat Dresd. 3. *jacet* legitur in Dresd. 1.

NOTÆ

[d] *Sordidissimo periculo*] 'Sordidissimum' vocat, quia optimo cuique ab infima plebe, sordidisque mancipiis parabatur.

[e] *Regios omnes nutus*] Non acta modo Cæsaris, sed quæ leviter ac solo nutu facturum esse ostenderat, defendimus, ac probamus, cogente scilicet Antonio, qui quod in Cæsaris commentariis, aut chirographis, aut libellis repererat, aut reperisse finxerat, firma volebat esse.

[f] *Tabulæ figuntur*] Leges novas pro arbitratu suo conficit Antonius, easque aëneis in tabulis figi jubet et incidi, quasi earum auctor extiterit Cæsar, idque scriptum in commentariis reliquerit; quod sæpe in Philippicis queritur Tullius. Vide Philippicam quintam.

[g] *Immunitates*] Militibus Cæsaris necem ulturis.

[h] *Describuntur*] Ab Antonio suis satellitibus et compotoribus.

[i] *Falsa referuntur*] Quæ nunquam a senatu decreta sunt, Antonius proponit populo, ut ab eo approbentur.

modo[k] odium illud hominis impuri,[h][1] et servitutis dolor depulsus esse videatur; respublica jaceat in his perturbationibus, in quas eam ille[i] conjecit. Hæc omnia vobis sunt expedienda:[6] nec hoc cogitandum, satis jam habere rempublicam a vobis.[k] Habet illa quidem tantum, quantum nunquam mihi in mentem venit optare;[7] sed contenta non est, et, pro magnitudine et animi et beneficii vestri, a vobis magna desiderat. Adhuc[l] ulta suas injurias est per vos, interitu tyranni: nihil amplius. Ornamenta vero sua quæ recuperavit? an quod ei mortuo paret,[m][8] quem vivum ferre non poterat? cujus æra refigere debebamus, ejus etiam chirographa defendimus?[n] At enim[m] ita decrevimus.[9] Fecimus id quidem,[10] temporibus cedentes, quæ valent in republica plurimum: sed immoderate quidam[n] et ingrate nostra facilitate abutuntur. Verum hæc propediem et multa alia coram. Interim sic tibi persuadeas, mihi, cum reipublicæ, quam semper habui carissimam, tum amoris nostri causa, maximæ curæ[11] esse tuam dignitatem. Da operam, ut valeas.[12]

[h] *Improbi.* [i] *Cæsar.*
[k] *A vobis reipublicæ factum esse satis.* [l] *Tantum.*
[m] *Sed nondum ornamenta sua interitu Cæsaris recuperavit, siquidem obedit adhuc mortuo, &c.*
[n] *An Cæsaris vel minima chirographa defendemus, cujus etiam leges in ære scriptas debebamus rescindere, ac delere?*

2. 4. 5. Lips. Ascens. 1. Bengel.—6 Hitt. *vobis expedienda sunt.*—7 Idem cod. *quantum mihi nunquam venit optare.*—8 *Ornamenta vero libertatis non recuperavit. Ei quidem mortuo paret* Dresd. 3. *Ornamenta vero libertatis non sua, &c.* P. *reciperavit* ψ. Statim, *et cujus æra* Dresd. 3. ψ. *cujus era refugere* Pal. 2. Dresd. 2. *ejus æra refugere* v. *ejus æra refigere debeamus* Pall. 1. 4. Dresd. 1. 2. *ea era refigere* Grut. *eram restringere* duo Gulielm. *an quod, cujus ære refigere* Lamb.—9 *Cum ita decrevimus* Dresd. 4.—10 *Fecimus quidem id* Hitt.—11 Codex unus Oxon. *maxime curam.*—12 *Vale* adjiciunt Dresd. 1. 2. 3. Lips. P v, Victor. Bengel. Benedict.

NOTÆ

[k] *Ut tantummodo*] Interfecto Cæsare, nihil amplius adepta est respublica, quam ut libertatem ab eo oppressam ulciscereturque, odiumque Cæsaris, ac servitutis dolorem pelleret.

[l] *Impuri*] 'Impurus,' ut 'obscœnus,' aliquando pro scelerato sumitur.

[m] *At enim*] At ita decrevimus in senatu, inquies, censuimusque acta Cæsaris servanda; ita est, respondet Cicero, sed hoc fecimus cedentes tempori, et otii ac pacis causa.

[n] *Quidam*] Inprimis Antonius.

(2.) M. T. C. C. CASSIO S. P. D.

ARGUMENTUM.—Invehitur in Antonii immoderatam potentiam, reique publicæ statum describit.

VEHEMENTER lætor, tibi probari sententiam et orationem meam;[a] qua si sæpius uti liceret, nihil esset negotii,[1] libertatem et rempublicam reciperare.[a] Sed homo amens et perditus, multoque nequior, quam ille ipse,[2] quem tu nequissimum occisum esse dixisti,[b] cædis initium quærit: nullamque aliam ob causam, me auctorem[b] fuisse Cæsaris interficiendi, criminatur, nisi, ut in me[3] veterani incitentur. Quod ego periculum non extimesco, modo vestri facti gloriam cum mea laude communicet.[4] Ita nec Pisoni, qui in eum[c] primus invectus est, nullo assentiente;[c] nec mihi, qui idem tricesimo post die feci;[d] nec P. Servilio, qui me est consecutus, tuto in senatum venire licet. Cædem enim gladiator[e d] quærit, ejusque initium a. d. XIII Kalend. Octob. [*p.* 184.] a me se facturum putavit. At quam paratus[5] venerat,[e] cum in villa[f] Metelli complures dies com-

[a] *Quod si sæpius in senatu libere loqui liceret, libertatem facile et rempublicam recuperaremus.*

[b] *Sed Antonius amens, multoque nequior quam ipse Cæsar, quem tu tamen nequissimum vocabas.*

[c] *In Antonium.* [d] *Qui in Antonium quoque invectus sum.* [e] *Antonius.*

EPIST. II. 1 Grut. *nil esset negotii.* Pro *reciperare*, quod firmant codd. Victorii, Dresd. 1. 3. *v* ψ, *recuperare* exhibent Torg. Lips. Dresd. 2. 4. 5. Hitt. *recuperari* Stewech. et Grut. *recipere* P.—2 Dresd. 3. *nequior illo ipso.* Actutum, *quem tu nequissime* ψ. *otiosum esse dixisti v.*—3 Dresd. 1. 2. Pal. 1. Amstel. *ut contra me;* Grut. *ut inter me.*—4 Ita Vat. Pal. 1. Grut. duo Gulielm.

NOTÆ

[a] *Orationem meam*] Quam in Antonium pronuntiavi. De Philippica secunda loquitur.

[b] *Me auctorem*] Quod falsissimum erat; consilium enim suum conjurati a Cicerone celaverant; non quod de ejus voluntate, sed de fortitudine et constantia dubitarent. Consule Plutarchum in Vita Ciceronis.

[c] *Nullo assentiente*] Vel Antonii metu, vel quod in ipsum occulta voluntatis propensione inclinarent plerique senatores.

[d] *Gladiator*] Id est, in cædibus hominum exercitatus.

[e] *Venerat*] In curiam, ut contra me diceret. Rus secesserat, ibique septemdecim totos dies acerbissimam in Tullium orationem paraverat.

[f] *In villa*] Tiburtina, quam Anto-

mentatus esset! Quæ autem in lustris et in vino commentatio potuit esse?[f] Itaque omnibus est visus, ut ad te antea scripsi, vomere[g] suo more,[6] non dicere. Quare, quod scribis, te confidere,[7] auctoritate et eloquentia nostra aliquid profici posse; nonnihil, ut in tantis malis, est profectum.[g] Intelligit enim populus Romanus, tres esse consulares,[h] qui, quia, quæ de republica[8] bene senserint, libere locuti sint, tuto in senatum venire non possint. Nec est præterea quod quicquam expectes.[i] Tuus enim necessarius[k] affinitate nova delectatur. Itaque jam non est studiosus ludorum,[l] infinitoque fratris tui plausu dirumpitur.[h] 9 Alter item[m] affinis novis commentariis Cæsaris delinitus

[f] *At quomodo in lupanaribus ac popinis parare se potuit ad dicendum?*
[g] *Aliquid, quantum patitur magnitudo malorum reipublicæ, profectum est.*
[h] *Invidiaque dirumpitur ob ingentem plausum qui fratri tuo datus est.*

Victor. *facti vestri g. c. m. l. communicem* edd. vett. *vestri facti g. c. m. l. communicem* P.—5 Ita emend. Victor. et Manut. *Ad quem paratus* quinque Dresd. Torg. Lips. al. ap. Græv. *Ad quam paratus* codd. Græv. *At quem apparatus* P. Mox, *plures dies* ψ.—6 Amstel. et edd. vett. *suo more vomere;* Pall. 2. 4. *vomere non dicere;* Pall. 1. 3. Grut. *scripsi vomere, vomere non dicere.*— 7 *Quare, quod scribis confidere* vulgg. ante Ernesti.—8 Vat. Pal. 1. Grut. Amstel. Græv. 2. Victor. *qui, quia de rep.* Mox, pro *sint,* quod ex ed. Rom. recepit Ernesti, *sunt* habent omnes codd. et plurimæ edd.—9 Ita codd. Græ-

NOTÆ

nius occupaverat. Vide Philippicam secundam.

[g] *Vomere*] Id usu veniebat homini vino plus nimis et gulæ dedito: hoc ei vitium Cicero sæpius exprobrat.

[h] *Tres esse consulares*] Lucium Calpurnium Pisonem, Julii Cæsaris socerum; P. Servilium Isaurici filium, qui cum Cæsare consulatum gessit; denique Ciceronem ipsum.

[i] *Quod quicquam expectes*] Ex meis in rempublicam officiis, et maxime ex orationibus quas in senatu contra Antonium frequenter habeo; vel forte melius ex aliis consularibus viris, qui sui, dignitatisque suæ obliti, a reipublicæ partibus desciscunt.

[k] *Tuus enim necessarius*] Lepidus enim, qui uxoris tuæ sororem duxit, delectatur nova affinitate quam habet cum Marco Antonio, cujus filia nupta est Lepidi filio; illius idcirco fides in rempublicam suspecta: duæ fuerunt M. Bruto sorores, quarum altera Lepido, altera Cassio nupsit.

[l] *Ludorum*] Quos in laudem Apollinis M. Brutus prætor urbanus de more dederat. Hos autem ludos oderat Lepidus, quia fratri hujus Cassii, ad quem scribit Cicero, populus applauserat; an propter necem Cæsaris? conjici potest.

[m] *Alter item*] Quis ille sit, obscurum est.

est.[n] Sed hæc tolerabilia: illud non ferendum, quod est, qui vestro anno[o] filium suum consulem[10] futurum putet, ob eamque causam, se huic latroni deservire, præ se ferat.[i] Nam L. Cotta[p] familiaris meus, fatali quadam desperatione, ut ait, minus in senatum venit. L. Cæsar,[q] optimus et fortissimus civis, valetudine impeditur. Ser. Sulpicius, et summa auctoritate, et optime sentiens, non adest. Reliquos, exceptis designatis,[r] ignosce mihi, si non numero[11] consulares.[k] Habes auctores consilii publici:[l] qui numerus etiam bonis rebus[m] exiguus esset, quid censes perditis?[12] Quare spes est omnis in vobis; qui si idcirco abestis, ut sitis in tuto; ne in vobis quidem:[n] sin aliquid dignum vestra gloria cogitatis; velim salvis nobis:[o] sin id minus, res tamen publica per vos brevi tempore jus suum reciperabit. Ego tuis neque desum, neque deero: qui sive ad me[13] referent,[p] sive non, mea tibi tamen benevolentia fidesque præstabitur.

[i] *Nimirum quod affinis ille tuus, ut filium suum anno vestro consulem faciat, huic latroni Antonio deservire non dubitet.*
[k] *Ignosce si reliquos consulares sigillatim non appello.*
[l] *Hi sunt, quorum nunc consilio respublica nititur.*
[m] *Vigente republica.* [n] *Ne in vobis quidem spes est.*
[o] *Cupio ut me cum republica servetis.* [p] *Sive ad me confugient.*

vii, P v ⚘, Victor. *plausu disrumpitur* edd. vett.—10 Ita codd. Grævii, Victor. et al. *consulem filium suum* edd. vett.—11 Ita Dresd. 4. *sed non numero* quatuor codd. Græv. Dresd. 1. 2. 3. 5. Lips. *v*, Ascens. 1.—12 P *deperditis*. —13 Dresd. 1. 2. Amstel. tres Manutii *si ne ad me;* nonnulli ap. Corrad. *si ne ad me quidem;* tres codd. Manutii *si non ad me;* Dresd. 4. unus Manut. Gnelf. 1. Mediol. Ascens. 1. *sive ad me*, quod e gloss. ortum putat Benedict. *Vale* adjiciunt P *v*.

NOTÆ

[n] *Delinitus est*] Accepta ab Antonio pecunia, quasi uti Cæsar hanc in commentariis jussisset ei dari.

[o] *Qui vestro anno*] Anno qui vobis (C. Cassium, et M. Brutum intelligit) ad consulatum expetendum destinatus est; id est, post biennium: uterque prætura tum gerebat, quam consulatus, interjecto biennio, sequebatur.

[p] *L. Cotta*] Ex Aurelia gente, qui consulatum biennio ante Ciceronem gesserat.

[q] *L. Cæsar*] M. Antonii avunculus.

[r] *Exceptis designatis*] Hirtio et Pansa, vel, ut Hubertinus habet, Planco et Decimo Bruto; forte omnes Cicero significat.

(3.) M. T. C. C. CASSIO S. P. D.

ARGUMENTUM.—Ejusdem argumenti, ac itidem in Antonium ejusque socios invehitur.

AUGET tuus amicus [a] furorem in dies: primum in statua,[1] [b] quam posuit in Rostris, inscripsit 'Parenti optime merito;' ut non modo sicarii, sed jam etiam parricidæ judicemini; quid dico, judicemini? judicemur potius. Vestri enim pulcherrimi facti [a] ille furiosus [2] me principem dicit fuisse. Utinam quidem fuissem! molestus nobis non esset.[c] Sed hoc vestrum est; [d] [3] quod cum præteriit,[e] utinam haberem, quid vobis darem consilii! Sed ne mihi quidem ipsi reperio, quid faciendum sit. Quid enim est, quod contra vim sine vi fieri possit? Consilium omne autem [4] hoc est illorum, ut mortem Cæsaris persequantur.[b] Itaque a.

[a] *Cæsarianæ cædis.*
[b] *Id unice Antoniani animo intendunt, ut nempe Cæsaris interfectores perdant.*

EPIST. III. 1 Codex unus Oxon. *proximum in statua.* Actutum, *quam proposuit* P. Tum, *optimo merito* Hitt. probante Gulielm. *sed jam patricidæ etiam* Hitt. *sed jam etiam paricida* Grut. et Vat. *sed jam etiam paricidæ* P.—2 Cod. ψ *furiosum.*—3 Ita Pal. 1. Grut. Amstel. Victor. *fuit* v ψ, et edd. vett. Actutum, *quod quando* Dresd. 2. 4. 5. Torg. Lips. al. ap. Græv. *quod quoniam* P. Mox, *quid darem vobis* al. ap. Græv. *quod darem vobis* al. ibid.—4 Ita Pal. 1. Amstel. Grut. Victor. *Consilium autem omne* edd. vett. *hoc illorum*

NOTÆ

[a] *Amicus*] Antonius: ironice, ut videtur. Forte respicit ad id, quod Antonius Cassium, cum e Capitolio, post obitum Cæsaris, descendisset, hospitio per fidem amicitiæ exceperit.

[b] *In statua*] Quam Cæsari Antonius erexerat in Rostris, id est, in foro, ubi suggestum erat captarum navium rostris ornatum, unde conciones ad populum oratores habebant.

[c] *Molestus nobis non esset*] Antonius: perinde ac si dicat, vestri si consilii fuissem particeps, Antonius una cum Cæsare gladiis confossus interiisset: et certe in eo peccatum ab conjuratis, quod ejus vitæ pepercerint; inde enim tota mali labes. Vide tabulas historicas Bruti et Cassii.

[d] *Vestrum est*] Antonium de medio tollere; vel si vivit Antonius, tota culpa vestra est, quandoquidem in consilium vestrum non sum ego adhibitus.

[e] *Quod cum præteriit*] Quando cædes Antonii a vobis ultro prætermissa est.

d. sext. Non. Octob. productus in concionem[f] a Canutio, turpissime ille[c] quidem discessit: sed tamen ea dixit[g] de conservatoribus patriæ, quæ dici deberent de proditoribus. De me quidem non dubitanter,[5] quin omnia de meo consilio et vos fecissetis, et Canutius faceret.[d] Cetera cujusmodi sint, ex hoc judica, quod legato tuo[h] viaticum eripuerunt. Quid eos interpretari[6] putas, cum hoc faciunt? Ad hostem scilicet portari.[e] O rem miseram! dominum ferre non potuimus: conservo servimus.[f] Et tamen, me quidem favente magis quam sperante,[g] etiam nunc residet spes in virtute tua. Sed ubi sunt copiæ? De reliquo, malo teipsum loqui tecum,[7][i] quam nostra dicta cognoscere.[h] Vale.

(4.) M. T. C. C. CASSIO S. P. D.

ARGUMENTUM.—Antonium cum Cæsare non interfectum fuisse queritur. De senatu, de populo, de legatis ad Antonium, de Dolabella et ipso Cassio scribit, quæ sentiebat.

[*p.* 185.] VELLEM Idibus Martiis me ad cœnam[a] invi-

[c] *Antonius.*

[d] *De me quidem affirmat, meo consilio et Cæsarem interfectum a vobis, et se a Canutio vexatum in senatu.*

[e] *Nempe aiunt te hostem esse patriæ, atque adeo pecuniam ex publico tibi non deberi.*

[f] *Cæsarem ferre non potuimus, et Antonio, qui nobiscum serviebat Cæsari, paremus.*

[g] *Magis juvante rempublicam, quam ejus salutem sperante.*

[h] *Ceterum satius est teipsum a te consuli, quam quæ sentio et dico, te cognoscere.* [a] *Ad cædem Cæsaris.*

est Hitt.—5 Ita codd. Victorii, Pal. 1. Grut. Vat. Dresd. 1. 2. *non dubitant* Torg. Lips. Dresd. 3. 4. 5. P *v*, edd. vett.—6 *Quid eos impetrari* codex unus Oxon.—7 Pal. 1. *tecum loqui.* Mox, pro *nostra dicta*, quod servant Hitt. Amstel. Dresd. 1. 2. 3. 4. 5. Torg. Lips. *v* ψ, *dicta nostra* habent vulgg. ante Græv. *nostra decreta* P.

NOTÆ

[f] *In concionem*] Antonius a Canutio tribuno plebis, et ab eo acriter agitatus.

[g] *Ea dixit*] Antonius de vobis, qui conservastis rempublicam, ea dixit, quæ dici de proditoribus patriæ deberent, quales sunt Antoniani.

[h] *Legato tuo*] Viaticum tibi proconsuli Syriæ de publicis impensis curare, ac legato tuo dare noluerunt.

[i] *Loqui tecum*] Epist. II. 7. 'tecum loquere, te adhibe in consilium.'

tasses: reliquiarum nihil fuisset.[b] [1] Nunc me reliquiæ vestræ exercent, et quidem præter ceteros me:[c] quanquam egregios consules[a] habemus, sed turpissimos consulares: senatum fortem, sed infimo quemque honore fortissimum.[d] Populo vero nihil fortius, nihil melius, Italiaque universa. Nihil autem fœdius Philippo et Pisone,[b] legatis,[2] nihil flagitiosius; qui cum essent missi, ut Antonio ex senatus sententia certas res nuntiarent;[c] cum ille earum rerum nulli paruisset, ultro ab illo ad nos intolerabilia postulata retulerunt.[e d] Itaque ad nos concurritur:[e] factique jam in re salutari[f] populares sumus.[f] Sed tu quid ageres, quid acturus, ubi denique esses, nesciebam. Fama nuntiabat, te esse in Syriam:[3] auctor erat nemo. De Bruto, quo propius est,[g] eo firmiora videntur esse, quæ nuntiantur.[4]

[b] *Antonium cum Cæsare interfecissem.*
[c] *Antonius, quem conservastis, me præter ceteros exagitat.*
[d] *Sed qui minores gerunt magistratus, ii sunt fortissimi.*
[e] *Postulata Antonii indigna ac superba ad senatum ultro, neque coacti retulerunt.*
[f] *Et factus sum populi patronus, ipsius reipublicæ emolumento.*

EPIST. IV. 1 Grut. *nil fuisset.* Actutum, *Nunc* deest in Grut. Lambinus sic conj. legendum, *Nunc reliquiæ nos exercent.* Paulo post, *sed infirmum quemque* Hitt. et Dresd. 3. *sed in infimo quemque* Dresd. 1. 2. Lips. Pal. 1. Grut. Stewech. Crat. Benedict.—2 Voc. *legatis* deest in vett. codd. Grævii. —3 Ita P *v*, Rom. Venett. 1469. 1471. *esse in Syria* Dresd. 2. 5. Grut. ψ, Ascens. 1. *ipse in Syriam* Lips. *isse in Syriam* Guelf. 1. 2. Hitt. Mentel. Stewech. Dresd. 1. 3. 4. Mediol.—4 Verba, *quæ nuntiantur*, desunt in uno

NOTÆ

[a] *Egregios consules*] Hirtium et Pansam.

[b] *Philippo et Pisone*] Philippus vitricus erat Octaviani, Piso socer C. Cæsaris.

[c] *Nuntiarent*] Præter cetera, ut Mutinensem obsidionem solveret; dimitteret exercitum; secus hostem reipublicæ declarandum, eique exilium parari.

[d] *Retulerunt*] Quod minime præstare debuerunt legati populi Romani, et civitatis principes; id enim Antonium per suos legatos par erat exequi.

[e] *Concurritur*] In hac rerum perturbatione, concurritur undique ad me, tanquam ad unicum tutissimumque, quod supererat, libertatis perfugium.

[f] *In re salutari*] Cum antea nonnulli populo favissent ad reipublicæ perniciem, quales fuere Gracchi, Clodius, Cæsar, &c.

[g] *Quo propius est*] Propior enim Italiæ Macedonia, cui præerat M. Brutus, quam Syria, in qua erat Cassius.

Dolabella[h] valde vituperabatur ab hominibus non insulsis, quod tibi tam cito succederet, cum tu vixdum triginta dies in Syria[5] fuisses. Itaque constabat, eum recipi in Syriam non oportere. Summa laus et tua et Bruti[i] est, quod exercitum præter spem existimamini[6] comparasse. Scriberem plura, si rem causamque nossem.[g] Nunc quæ scribo,[k] scribo ex opinione hominum atque fama.[7] Tuas literas avide expecto. Vale.

(5.) M. T. C. C. CASSIO S. P. D.

ARGUMENTUM.—M. Brutum laudat, ut accendat ejus exemplo Cassium ad imitationem: de Mutinensi bello addit et de statu reipublicæ.

HYEMEM credo adhuc prohibuisse, quominus de te certum[1] haberemus, quid ageres, maximeque ubi esses. Loquebantur omnes tamen, (credo, quod volebant) in Syria te esse,[2] habere copias.[a] Id autem eo facilius credebatur, quia simile vero[3] videbatur. Brutus quidem noster egregiam laudem est consecutus. Res enim tantas[a] gessit, tamque inopinatas, ut eæ cum per se gratæ essent, tum ornatiores propter celeritatem.[4] Quodsi tu ea tenes, quæ

[g] *Si certo cognoscerem quo sunt in statu res tuæ.*

[a] *Dicebant autem omnes, te esse in Syria, te habere copias, credo quia volebant rem ita se habere.*

cod. Oxon.—5 Cod. ψ *quod tibi jam cito ... in Syria.*—6 Cod. *v existimavi.*—7 Voc. *fama* deest in eodem cod.

EPIST. v. 1 Hitt. *quo minus certum de te.*—2 Cod. ψ *in Syriam te esse.* P *v et habere copias.*—3 Hitt. *veri simile.*—4 Ita codd. Grævii, Pall. Grut. Vat.

NOTÆ

[h] *Dolabella*] Hic facete jocatur Tullius: ea mente Dolabella in Syriam abierat, ut Cassio Syriæ præfecto legitime succederet; interim visum est senatui hanc Dolabellæ provinciam adimere, et eidem Cassio dare; inde jocandi materia; quippe homines non insulsi dictitabant Dolabellam nimium cito velle succedere Cassio, nec recipiendum esse in provinciam, cum in ea Cassius vixdum triginta dies fuisset, nempe ex quo ademta erat Syria Dolabellæ.

[i] *Et Bruti*] M. Bruti, qui tum erat in Macedonia.

[k] *Nunc quæ scribo*] Et de loco ubi nunc versaris, et de exercitu, quem a te, et a M. Bruto collectum dicunt.

[a] *Res enim tantas*] M. Brutus Macedoniam, Illyricum, Græciam in senatus populique Romani potestate conservarat.

putamus,[b] magnis subsidiis fulta respublica est.[5] A prima enim ora Græciæ[b] usque ad Ægyptum,[c] optimorum civium imperiis muniti erimus et copiis. Quanquam, nisi me fallebat, res se sic habebat,[6] ut totius belli omne discrimen in D. Bruto positum videretur: qui si, ut sperabamus, erupisset Mutina,[d] nihil belli reliquum[7] fore videbatur. Parvis omnino jam copiis obsidebatur, quod magno præsidio Bononiam tenebat Antonius. Erat autem Claternæ[e] noster Hirtius,[8] ad Forum Cornelium[f] Cæsar, uterque cum firmo exercitu: magnasque Romæ Pansa copias ex delectu Italiæ comparabat. Hyems adhuc rem geri prohibuerat. Hirtius nihil nisi[9] considerate, ut mihi crebris literis significat, acturus videbatur. Præter Bononiam, Regium Lepidi,[g] Parmam,[h] totam Galliam tenebamus, studiosissimam reipublicæ. Tuos etiam clientes[10] Transpa-

[b] *Quodsi tu eas provincias, copiasque, quas putamus, in tua potestate habes.*

Mentel. Amstel. et edd. antiquiss. *gratiores propter celeritatem* vulgg. ante Græv. *ornatiores p. c. judicarentur* P.—5 Hitt. *respublica fulta est.* Actutum, *A prima ora* in eodem cod. Mox, *et copiis* desunt in uno cod. Oxon.—6 Ita Hitt. Pal. 1. Victor. al. *res sic se habebat* Græv. *ut omne totius belli discrimen* al. ap. Græv.—7 Ita Dresd. 3. 4. ψ, et quædam edd. vett. *nihil belli reliqui* Guelf. 1. 2. Lips. Dresd. 1. 2. 5. P, Hitt. Stewech. Grut. Amstel. Victor. et plurimæ edd. *belli* deest in *v.*—8 *Hirtius* deest in eodem cod. Paulo post, pro *comparabat,* quod de conjectura dedit Ernesti, *comparat* habent Guelf. 1. 2. Lips. Dresd. 1. 2. 4. Pal. 1. Vat. Victor. *comperarat* Amstel. *compararat* nonnulli codd. ap. Græv. Dresd. 3. 5. al. ap. Lamb. et edd. antiquiss.—9 *Hirtius nihil non* codex unus Oxon. cum Dresd. 3. Mox, *significarat* P, Dresd.

NOTÆ

[b] *A prima enim ora Græciæ*] Quæ Bruti in potestate erat.

[c] *Usque ad Ægyptum*] Quæ Cassii industria, in reipublicæ Romanæ amicitia et fide permanserat.

[d] *Mutina*] Unde reipsa erupit, fuso Antonii exercitu.

[e] *Claternæ*] Urbs est Italiæ in Gallia Cispadana, inter Bononiam, et Forum Cornelii, sive Imolam; hodie *Quaderna.*

[f] *Ad Forum Cornelium*] Seu Forum Cornelii, Galliæ quoque Cispadanæ oppidum, sic dictum a Cornelio Sylla; nunc *Imola.*

[g] *Regium Lepidi*] Seu Regium Lepidum, quod ante dictum est Forum Lepidi, in eadem Gallia item Cispadana: vulgo nunc incolis vocatur *Rezo,* aliisque Italis, qui politiori utuntur dialecto, *Reggio,* clarum nunc etiam, atque celebre oppidum. Ita Cluverius.

[h] *Parmam*] Vide Indicem Geographicum.

danos mirifice conjunctos cum causa habebamus.[c] Erat firmissimus senatus, exceptis consularibus;[i] ex quibus unus L. Cæsar firmus est et rectus. Ser. Sulpicii[k] morte magnum præsidium amisimus. Reliqui partim inertes,[11] partim improbi: nonnulli invident eorum laudi, quos in republica probari vident. Populi vero Romani totiusque Italiæ mira consensio[12] est. [*p.* 186.] Hæc erant fere, quæ tibi nota esse vellem. Nunc autem opto, ut ab istis Orientis partibus[l] virtutis tuæ lumen eluceat. Vale.

(6.) M. T. C. C. CASSIO S. P. D.

ARGUMENTUM.—Strabonem oblique commendat: in Cassio et M. Bruto, si res ad Mutinam male geratur, spem omnem reip. sitam esse dicit.

QUI status rerum fuerit tum, cum has literas dedi, scire poteris ex C. Tidio[m] Strabone, viro bono, et optime de republica sentiente: nam quid dicam, cupidissimo tui, qui, domo et fortunis relictis, ad te potissimum profectus sit? Itaque eum tibi ne commendo quidem: adventus ipsius ad te satis eum commendabit.[1] Tu velim sic existimes, tibique persuadeas, omne perfugium bonorum in te et Bruto esse positum, si, quod nolim, adversi quid evenerit.[d] [2] Res, cum hæc scribebam, erat in extremum ad-

[c] *Mirifice nobis in reipublicæ defensione conjunctos.*
[d] *Si res a nostris male geratur ad Mutinam.*

3.—10 Ita Pal. 1. Grut. Victor. *Tuos enim clientes* edd. vett.—11 Verba, *partim inertes*, desunt in *v.*—12 Cod. ψ *confusio.*

EPIST. VI. 1 Ita Dresd. 3. *commendavit* Lips. Dresd. 1. 2. 4. 5.—2 Amstel. *sin quod velim adversi quid evenerit;* Mentel. *sin quod nollem adversi quid*

NOTÆ

[i] *Exceptis consularibus*] Vide Epist. 4. 'Egregios consules habemus, turpissimos consulares.'

[k] *Servii Sulpicii*] Profectus ad Antonium jussu senatus, in legatione mortuus est: maximos ei senatus honores decrevit.

[l] *Orientis partibus*] Syria ad Orientem Italiæ posita est; hinc Cicero lepide Cassium hortatur, ex illis regionibus, solis instar, Italiam virtutis suæ radiis illustret.

[m] *Tidio*] *Titio* alii, et melius forte legunt: de Titio enim fit mentio lib. XIII. epist. 14. de Tidio autem nullibi, quod sciam.

ducta discrimen.[3] Brutus enim Mutinæ vix jam sustinebat.[e] Qui si conservatus erit, vicimus: sin, (quod Dii omen avertant!) omnis omnium cursus est ad vos.[f] [4] Proinde fac animum tantum habeas, tantumque apparatum, quanto opus est ad universam rempublicam reciperandam. Vale.

(7.) M. T. C. C. CASSIO S. P. D.

ARGUMENTUM.—Sententiam a se in senatu ex dignitate Cassii dictam, eandemque in concione defensam, significat.

QUANTO studio dignitatem tuam, et in senatu, et ad populum defenderim, ex tuis te malo, quam ex me, cognoscere.[5] Quæ mea sententia[n] in senatu facile valuisset, nisi Pansa vehementer obstitisset.[o] Ea sententia dicta, productus sum in concionem a tribuno plebis, M. Servilio. Dixi de te, quæ potui, tanta contentione,[6] quantum forum est,[g] tanto clamore consensuque populi, ut nihil unquam simile viderim. Id velim mihi ignoscas, quod invita socru[p] tua fecerim. Mulier timida verebatur, ne Pansæ animus offenderetur. In concione quidem Pansa[7] dixit, matrem quoque tuam, et fratrem,[q] illam a me sententiam noluisse dici. Sed hæc non movebant: alia malebam. Favebam

[e] *Vix enim D. Brutus obsidionem sustinebat.*

[f] *Sin victus est, tota prorsus civitas ad te, et ad M. Brutum, Antonii metu, confugiet.*

[g] *Quantum forum capere potest.*

---

evenerit; Grut. *si, quod nollem, adversi quid advenerit.*—3 Ita codd. Grævii, P ψ, Victor. *deducta discrimen* v et edd. vett.—4 Ita Dresd. 1. 2. 3. 5. Lips. et edd. vett. *cursus erit ad vos* conj. Ernesti; *est* deest in Dresd. 4. et ed. Græv.

EPIST. VII. 5 Grut. Stewech. *quam ex meis cognoscere.*—6 Dresd. 1. et al. ap. Græv. *tanta concione.*—7 *In concione Pansa* ψ. Idem cod. mox, *voluisse*

NOTÆ

[n] *Quæ mea sententia*] Agebatur de tradenda Cassio Syria, ad persequendum Dolabellam, qui, interfecto Trebonio, Asiam occupaverat.

[o] *Obstitisset*] Qui Syriæ administrationem sibi, vel collegæ decerni volebat.

[p] *Invita socru*] Servilia, sorore Catonis Uticensis, et matre M. Bruti, ac Tertullæ, uxoris Cassii.

[q] *Fratrem*] Lucium Cassium.

et reipublicæ,[4] cui semper favi, et dignitati ac gloriæ tuæ. Quod autem et in senatu[r] pluribus verbis disserui, et dixi[5] in concione, in eo velim fidem meam liberes.[h] Promisi enim et prope confirmavi, te non expectasse, nec expectaturum decreta nostra: sed te ipsum tuo more rempublicam defensurum: et, quanquam nihildum audieramus,[6] nec ubi esses, nec quas copias haberes; tamen sic statuebam, omnes, quæ in istis partibus[i] essent opes copiæque, tuas esse: per teque Asiam provinciam confidebam jam reipublicæ reciperatam.[s] Tu fac in augenda gloria te ipse vincas.[7] Vale.

(8.) M. T. C. C. CASSIO S. P. D.

ARGUMENTUM.—Renovatum a Lepido bellum esse conqueritur, et Cassium ad liberandam rempublicam hortatur.

SCELUS[a] affinis[a] tui, Lepidi, summamque levitatem et inconstantiam, ex actis, quæ ad te mitti certo scio, cognosse te arbitror.[1] Itaque nos, confecto bello, ut arbitrabamur,[b] renovatum bellum gerimus:[c] spemque omnem in D. Bruto et Planco habemus; si verum quæris,[b] in te et in meo Bruto,[c 2] non solum ad præsens perfugium,[d] si, quod no-

[h] *Velim, ut quod tuo nomine promisi, reipsa perficias.* [i] *In Asia.*
[a] *Conjunctionem Lepidi cum Antonio.* [b] *Potius, ut verum dicam.*
[c] *In Marco Bruto.* [d] *Non solum præsenti tempore.*

dici.—4 *Favebam etiam reip.* ψ.—5 *Quod autem in senatu ... disserui, dixi* Dresd. 2. 3. Lips. *Quod autem et in senatu disserui, dixi* Dresd. 1. 4. 5. Torg. P, Bengel.—6 Cod. ψ *nihil audieramus.* Idem mox, *in ipsis partibus.* Deinde, *opes copiasque* v, et edd. vett.—7 Ita emend. Ernesti; *te ipsum vincas* Dresd. 1. 2. 3. 4. 5. Torg. Lips. alii codd. et edd. vett.

EPIST. VIII. 1 P v *cognoscere te arbitror.*—2 Lips. *in me Bruto.* ‘ Præstat in his verbis J. Fr. Gronovii conjectura, ut legatur *in M. Bruto;* nam modo

NOTÆ

[r] *In senatu*] Opponuntur illa in senatu, et in concione: in senatu ad patres, in concione ad populum.

[s] *Reciperatam*] Hanc sibi Dolabella, uti antea dictum est, per vim et fraudem vindicaverat.

[a] *Affinis*] Quia Cassius et Lepidus sorores duas M. Bruti duxerant.

[b] *Ut arbitrabamur*] Victo ad Mutinam Antonio.

[c] *Gerimus*] Ob conjunctionem Lepidi cum Antonio.

lim, adversi quid acciderit, sed etiam ad confirmationem perpetuæ libertatis. Nos hic de Dolabella audiebamus, quæ vellemus: sed[e] certos auctores non habebamus.[9] Te quidem magnum hominem, et præsenti judicio, et reliqui temporis expectatione scito esse.[f] Hoc tibi proposito,[g][10] fac ut ad summa contendas. [*p.* 187.] Nihil est tantum, quod non populus Romanus a te perfici atque obtineri posse judicet. Vale.

(9.) M. T. C. C. CASSIO S. P. D.[1]

ARGUMENTUM.—Eadem scribit, quæ Epistola superiore: addit multum interesse, Cassium venire in Italiam.

BREVITAS tuarum literarum me quoque breviorem in scribendo facit:[2] et, vere ut dicam, non satis occurrit, quid scribam. Nostras enim res in actis perferri ad te certo scio;[3] tuas autem ignoramus. Tanquam enim[4] clausa sit Asia, sic nihil perfertur ad nos, præter rumores de oppresso Dolabella,[a] satis illos quidem constantes, sed adhuc sine auctore. Nos, confectum bellum cum putaremus,[5] repente a Lepido tuo[b] in summam solicitudinem adducti sumus. Itaque persuade tibi, maximam reipublicæ spem in te et in tuis copiis esse.[6] Firmos omnino exercitus[c] habemus: sed tamen, ut omnia, ut spero, prospere procedant, multum interest te venire.[d] Exigua enim spes

[e] *Nos audiebamus Dolabellam a te oppressum, sed, &c.*
[f] *Et spe, quæ de te in futurum tempus maxima est.*
[g] *Hoc incitatus præmio.*

antecesserat *in D. Bruto.*' Benedict.—9 Hitt. *non habeamus.*—10 *Hoc tibi pro pacto* codex unus Oxon. Actutum, *fac ut ad summam* ψ.

EPIST. IX. 1 *Cicero Cassio S.* Dresd. 3. Benedict. *Cicero Attico S.* Dresd. 1. 2. 4. 5. Lips.—2 Cod. ψ *fecit.*—3 Hitt. *certe scio.*—4 *Tanquam autem* ψ.—5 Dresd. 1. 2. ψ *bellum quod putaremus.*—6 Ita Dresd. 1. 2. 3. 4. 5.

NOTÆ

[a] *De oppresso Dolabella*] Epist. 8. et 9.

[b] *A Lepido tuo*] Affine Cassii. Vide sup. Epist.

[c] *Firmos omnino exercitus*] Planci, et Decimi Bruti.

[d] *Te venire*] In Italiam.

est[7] reipublicæ; nam nullam non libet dicere: sed, quæcumque est, ea despondetur anno consulatus tui.[a e] Vale.

(10.) M. T. C. C. CASSIO S. P. D.

ARGUMENTUM.—Et Lepidum hostem judicatum scribit; et omnino rem poscere, ut Cassius cum exercitu in Italiam veniat.

LEPIDUS, tuus affinis, meus familiaris, pridie Kal. Quintiles sententiis omnibus hostis a senatu judicatus est,[f] ceterique, qui una cum illo a republica defecerunt: quibus tamen ad sanitatem redeundi[b] ante Kal. Septemb. potestas facta est. Fortis sane senatus, sed maxima spes[1] subsidii tui. Bellum quidem, cum hæc scribebam, sane magnum erat, scelere et levitate Lepidi.[2] Nos de Dolabella quotidie, quæ volumus,[g] audimus; sed adhuc sine capite, sine auctore, rumore nuntio.[3] Quod cum ita esset, tamen literis tuis, quas Nonis Maii[4] ex castris datas acceperamus, ita persuasum erat civitati, ut illum jam oppressum omnes arbitrarentur,[c] te autem in Italiam venire cum exercitu; ut, si hæc ex sententia confecta essent, consilio atque auctoritate tua; sin quid forte titubatum,[d] ut fit in bello,

[a] *Hæc in tui consulatus annum reservatur.* [b] *Resipiscendi.*

[c] *Ex tuis tamen literis nemo non sibi persuaserat, jam oppressum a te Dolabellam.*

[d] *Ut, si bellum ex sententia succederet, consilio atque auctoritate tua niteremur; sin aliquid adversi contingeret, &c.*

Torg. Lips. al. *in te et in copiis esse tuis* Græv. e cod. Hitt.—7 Ita codd. Grævii et aliorum; *Exigua est enim spes* edd. vett.

EPIST. X. 1 Dresd. 1. 2. Pal. 1. Mentel. *sed maxime spes;* Dresd. 4. ψ *sed maxima spe;* Dresd. 3. 5. Lips. Grut. Amstel. Græv. 2. P *v*, edd. antiquiss. *sed maxima spes.*—2 Cod. ψ *sane erat ... Lelii.*—3 Cod. *v rumore nuntio pronuntiante.*—4 *Nonis Maiis* Dresd. 1. 2. 4. 5. Lips. P *v*. Paulo post *omnes* deest in *v*. Tum, *auctoritate tua roboraremur* edd. vett. *roborarentur* al.

NOTÆ

[e] *Consulatus tui*] Quia consulatus præturam, biennio interjecto, excipere solebat. Brutus autem et Cassius futuri erant eodem anno consules.

[f] *Hostis judicatus est*] Quoniam a reipublicæ partibus una cum exercitu defecit.

[g] *Quæ volumus*] Oppressum hunc a te. Vide Epist. 8. et 9.

exercitu tuo niteremur. Quem quidem ego exercitum, quibuscumque potero[5] rebus, ornabo, cujus rei tum tempus erit, cum, quid opis reipublicæ laturus is exercitus sit, aut quid jam tulerit, notum esse cœperit.[e] Nam adhuc tantum conatus audiuntur, optimi illi quidem et præclarissimi, sed gesta res[h] expectatur:[f] quam quidem aut jam esse aliquam, aut appropinquare confido. Tua virtute et magnitudine[6] animi nihil est nobilius. Itaque optamus, ut quam primum te in Italia[7] videamus: rempublicam nos habere arbitrabimur, si vos habebimus. Præclare viceramus,[8] nisi spoliatum, inermem, fugientem Lepidus recepisset Antonium. Itaque nunquam tanto odio civitati Antonius fuit, quanto est Lepidus. Ille enim ex turbulenta republica,[i] hic ex pace et victoria bellum excitavit. Huic oppositos[9] consules designatos[k] habemus: in quibus est magna illa quidem spes, sed anceps cura, propter incertos exitus præliorum. Persuade tibi igitur, in te et in Bruto tuo esse omnia: vos expectari: Brutum quidem jam jamque.[10][l] Quodsi, ut spero, victis hostibus nostris veneritis; tamen auctoritate vestra respublica exsurget,[m] et in aliquo statu

[e] *Quod quidem tunc faciam, cum notum esse cœperit, quid auxilii reipublicæ laturus sit exercitus tuus, aut jam tulerit.*

[f] *Non tantum conatus, sed rem expectamus.*

ap. Victor. *forte titubatum esset* P et edd. vett.—5 Ita emend. Ernesti e Guelf. 1. 2. et edd. pr. *potuero* Dresd. 1. 2. 3. Pal. 1. Hitt. Amstel. Victor. *exercitum verbis quibuscumque potero, rebusque ornabo* al. ap. Græv. Mox, *laturus exercitus sit* Dresd. 1. 2. 5. Lips. P *v* ψ, Ascens. 1. *laturus sis, aut quid exercitus jam tulerit* Dresd. 3. *laturus sis, aut quid exercitus sit, aut quid jam tulerit* Dresd. 4.—6 *Tua virtute, magnitudine* Grut. Hitt. Stewech. Amstel. Dresd. 1. 2. 4. 5. Lips. Victor.—7 Grut. *quamprimum in Italia.* Mox, *habere arbitramur* Dresd. 1. 2. 5. *v* ψ, Ascens. 1.—8 *Præclare vicerimus v.*—9 *Huic expositos* Hitt. Mox, *illa* deest in edd. vett. *quidem* deest in ψ. *cura* deest in

NOTÆ

[h] *Gesta res*] Dolabellæ scilicet, aut Antonii clades.

[i] *Ex turbulenta republica*] Ob cædem Cæsaris.

[k] *Consules designatos*] Decimum Brutum, et Plancum.

[l] *Jam jamque*] Ut propiorem Italiæ; erat enim in Macedonia, Cassius autem in Syria.

[m] *Exsurget*] Afflicta quamvis et eversa prope sit.

tolerabili consistet.[11] Sunt enim permulta, quibus erit medendum; etiamsi respublica satis esse videbitur sceleribus hostium[12] liberata.[g] Vale.

(11.) C. CASSIUS PROCOS.[a] M. T. C. S. P. D.

ARGUMENTUM.—A quibus copias acceperit significat, seque et rempublicam commendat.

[*p.* 188.] SI vales, bene est: ego quidem valeo.[1] In Syriam[2] me profectum[b] esse scito ad L. Murcum[c] et Q. Crispum,[d] imperatores. Viri fortes[3] optimique cives, posteaquam audierunt, quæ Romæ gererentur,[e] exercitus mihi tradiderunt: ipsique mecum una fortissimo animo rempublicam administrant. Item legionem, quam Q. Cæcilius Bassus habuit,[f] ad me venisse scito. Quatuorque legiones, quas A. Allienus[g] ex Ægypto eduxit, traditas ab eo

[g] *Sunt enim permulta domestica vitia, &c. etiamsi respublica sceleribus hostium liberata esset.*

al. ap. Græv.—10 *Brutum jam jamque* ψ.—11 Hitt. *in aliquo statu t. existet.* —12 Voc. *hostium* deest in *v*.

EPIST. XI. 1 *S. V. B. E. E. Q. V.* Amstel. et Lamb. Hæc verba desunt in P *v* ψ.—2 *In Syria* Dresd. 3. Mox, *L. Marcum* P. *L. Murcum quoque Crispum* Stewech. *L. Murcum atque Crispum* Hitt.—3 *Viri fortes* desunt in ψ. *optimosque cives* in eodem cod. Paulo post, *una fortissime remp. administrant*

NOTÆ

[a] *Procos.*] Quamvis consulatum non gesserat Cassius, quia tamen provinciam consulari potestate administrabat, proconsulis insignitur titulo. Vide Epist. I. 1.

[b] *Me profectum*] Cæsar, dum viveret, Marco Bruto prætori Macedoniam, Cassio Syriam destinaverat: mortuo Cæsare, Syria Dolabellæ consuli data est, Macedonia ipsius collegæ Antonio; at cum senatus ambos consules reipublicæ moliri perniciem intellexisset, Cassio Syriam, Macedoniam Bruto restituit: Cassius in Syria Dolabellam; Caium Antonium, Marci fratrem, in Macedonia Brutus oppressit.

[c] *L. Murcum*] Qui tribus legionibus imperabat: hic postea, cæsis in Macedonia Bruto et Cassio, cum ad Sextum Pompeium, Magni filium, confugisset, ab eo interfectus est.

[d] *Q. Crispum*] Tres ipse quoque legiones habebat.

[e] *Quæ Romæ gererentur*] Contra Dolabellam et Antonium.

[f] *Q. Cæcilius Bassus habuit*] Acceptam a Cæsare, cum de Parthica expeditione cogitaret.

[g] *Allienus*] Dolabellæ legatus: ab eo missus est in Ægyptum, ut inde has legiones adduceret: adduxit quidem, sed Cassio, non Dolabellæ tradidit.

mihi esse scito.[4] Nunc te cohortatione non puto indigere, ut nos absentes remque publicam, quantum est in te,[5] defendas. Scire te volo, firma præsidia vobis senatuique non deesse, ut optima spe et maximo animo[6] rempublicam defendas. Reliqua tecum aget L. Carteius, familiaris meus. Vale. Data Nonis Martiis, ex castris Taricheis.[7] [h]

(12.) CASSIUS PROCOS. S. D. M. CICERONI SUO.

ARGUMENTUM.—Laudata Ciceronis benevolentia, commendat suam dignitatem suosque duces et milites: in Ciliciam contra Dolabellam proficisci in animo esse significat.

Si vales, bene est: ego quidem valeo.[1] Legi tuas literas, in quibus mirificum tuum erga me amorem recognovi. Videbaris enim non solum favere nobis, (id quod et nostri et reipublicæ[2] causa semper fecisti) sed etiam gravem curam suscepisse, vehementerque esse de nobis solicitus. Itaque, quod te primum existimare putabam, nos, oppressa republica,[3] quiescere non posse; deinde, cum suspicarere nos moliri,[a] quod te solicitum[4] esse et de salute nostra et de rerum eventu putabam; simul ac legiones accepi, quas A. Allienus eduxerat[5] ex Ægypto, scripsi ad te,[a] tabella-

[a] *Itaque scripsi ad te; primum quia te existimare putabam nos, &c. deinde quia putabam te solicitum esse de salute nostra, et de rerum eventu, cum suspicareris nos moliri aliquid pro republica.*

Hitt.—4 Voc. *scito* deest in nonnullis codd. ap. Græv. Tota hæc periodus deest in ψ. *ex Ægypto duxit* Hitt.—5 Pro *quantum est in te,* quod servant Vat. Hitt. codd. Victorii, Dresd. 3. *quantum opus est* legitur in Amstel. Mentel. Dresd. 1. 2. 4. 5. Lips. Ascens. 1. Benedict.—6 Hitt. *ut optima spe maximoque animo.*—7 *Caricheis* v.

EPIST. XII. 1 *Si vales b. e. e. q. valeo* desunt in P v ψ.—2 Ita Grut. Stewech. Amstel. *id quod et nostræ reip.* Pal. 1. Dresd. 1. 2. *id quod et nostra et reip.* Lips. et edd. vett. *id quod nostræ reip.* Dresd. 3. *id quod et nostri reip.* Dresd. 4. *id quod est nostræ reip.* v.—3 Idem cod. *oppressam remp.*—4 Ita Pal. 1. Grut. Hitt. Stewech. Victor. *quod te solitum esse* Amstel. *et te solicitum esse* edd. vett.—5 Codex unus Oxon. *adduxerat;* Hitt. omittit *eduxerat.*

NOTÆ

[h] *Taricheis*] Tarichea oppidum Palæstinæ in Galilæa, ad lacum Genesaram: *Jefferckin.*

[a] *Moliri*] Absolute hic sumi debet pro eo quod dicitur apparatum facere, seu magnum aliquid aggredi.

riosque complures Romam misi. Scripsi etiam ad senatum literas,[b] quas reddi vetui prius, quam tibi recitatæ essent; si forte mei obtemperare mihi voluerint.[6] Quodsi literæ perlatæ non sunt, non dubito, quin Dolabella, qui, nefarie Trebonio[7 c] occiso, Asiam occupavit, tabellarios meos deprehenderit, literasque interceperit. Exercitus omnes, qui in Syria fuere,[8 d] teneo. Habui[9] paululum moræ, dum[b] promissa militibus persolvo. Nunc jam[10] sum expeditus. A te peto, ut dignitatem meam commendatam tibi habeas, si me intelligis, nullum neque periculum, neque laborem patriæ denegasse: si contra importunissimos latrones[c] arma cepi te hortante et auctore: si non solum exercitus ad rempublicam libertatemque defendendam comparavi, sed etiam crudelissimis tyrannis eripui; quos si[11] occupasset Dolabella, non solum adventu, sed etiam opinione et expectatione exercitus sui, Antonium confirmasset.[d] Quas ob res milites tuere, si eos mirifice de republica meritos esse animadvertis:[12] et effice, ne quem pœniteat, rempublicam, quam spem prædæ et rapinarum, sequi maluisse. Item Murci et Crispi,[13 e] imperatorum,

[b] *Paululum distuli bellum agere, dum, &c.*
[c] *Contra flagitiosissimos reipublicæ hostes.*
[d] *Antonio et Dolabellæ exercitum eripui, quem si Dolabella primus occupasset, auxisset animos Antonii.*

Statim, *ac tabellarios complures* edd. vett.—6 Ita Dresd. 1. 2. 4. *voluerunt* Lips. Dresd. 3. 5. P, Lamb. *mihi obtemperare voluerint* codd. Grævii.—7 Hitt. *nefario Tribunio.* Mox, *tabellarios nostros* Amstel. Stewech. Lips. Dresd. 5. *v*, Ascens. 1. *deprenderit* Hitt.—8 Vet. cod. Græv. *qui in Asia fuere;* Dresd. 1. 2. 3. 4. Lips. *qui in Syria fuerunt.*—9 Ita Dresd. 1. 3. 4. 5. Medic. Guelf. 1. 2. Pal. 1. cum codd. Manutii et edd. pr. *Habeo* Dresd. 2. P *v* ψ, vulgg. ante Ernesti.—10 *Nunc autem* Lips. *sum* deest in *v*. Mox, *ullum n. periculum* ψ. Tum, *te hortatore* al. ap. Græv. Deinde, *non solum exercitum* quinque Dresd. P ψ, Ascens. 1.—11 Edd. vett. *quem si.*—12 P *v animadverteris.*—13 *Marci*

NOTÆ

Sic apud Terent. 'Dum moliuntur, dum comuntur, annus est.'

[b] *Ad senatum literas*] Non has, sed superiores.

[c] *Trebonio*] Asiæ præfecto. Vide Indicem Historicum.

[d] *Qui in Syria fuere*] Parati scilicet ad Parthicam expeditionem.

[e] *Murci et Crispi*] Qui susceptis alacriter reipublicæ partibus, sese mihi cum exercitu suo tradiderunt. Vide superiorem Epist.

dignitatem, quantum est in te, tuere. Nam Bassus misere[e] [14] noluit mihi legionem tradere. Quod nisi milites, invito eo, legatos ad me misissent, clausam Apameam tenuisset, quoad vi esset expugnata. Hæc a te peto, non solum reipublicæ, quæ tibi semper fuit carissima, sed etiam amicitiæ nostræ nomine, quam confido apud te plurimum posse. Crede mihi, hunc exercitum, quem habeo, senatus atque optimi cujusque esse, maximeque tuum; [15] de cujus voluntate assidue audiendo,[f] mirifice te diligit, carumque habet. [*p.* 189.] Qui si intellexerit, commoda sua curæ tibi esse; [16] debere etiam se tibi omnia putabit. Literis scriptis, audii, Dolabellam [17] in Ciliciam venisse cum suis copiis: proficiscar in Ciliciam. Quid egerim, celeriter ut scias, [18] dabo operam. Ac velim, ut meremur de republica, sic felices simus. Fac valeas, meque ames. Nonis Maii, ex castris. [19]

(13.) C. CASSIUS[a] S. D. M. CICERONI.[1]

ARGUMENTUM.—Gratulatur de Mutinensi victoria, et res a se gestas exponit.

SI vales, bene est: valeo.[2] Cum reipublicæ vel salute vel victoria[b] gaudeamus; tum instauratione[c] tuarum lau-

[e] *Flagitiose et turpiter.*
[f] *Et quoniam de tua in se voluntate assidue audit, &c.*

et Crispi P. *Murcii et Crispi* ψ.—14 *Bassus miser* al. ap. Græv. Statim, *legiones tradere* edd. vett.—15 Hitt. *maxime tuum.*—16 Vet. cod. Græv. *tibi curæ esse.* Actutum, *debere etiam tibi se* Hitt.—17 Ita codd. Grævii et Victor. *audivi etiam Dolabellam* edd. vett.—18 Vet. cod. Græv. *ut scias celeriter.*—19 *Fac v. m. a. N. M. ex castris* desunt in ψ. *Maiis* P *v.*

EPIST. XIII. 1 *Lentulus Q. S. D. M. Ciceroni* Torg. uti conj. Strothius; *Q. Cassius S. D. M. Ciceroni* al. ap. Græv. *Cassius Q. S. D. M. Ciceroni* Amstel.—2 *S. V. B. E. E. Q. V.* Amstel. aliique codd. Græv. *Si v. b. e. valeo*

NOTÆ.

[a] *Cassius*] Alter est Cassius ab eo, qui superiores Epistolas scripsit, ejusdem Cassii proconsulis quæstor.

[b] *Victoria*] De Antonio ad Mutinam relata.

[c] *Instauratione*] Respicit ad conjurationem Catilinariam, qua exstincta, maximam laudem Cicero consecutus est; nunc autem victoria Mutinensi ipsius consiliis parta, ejusdem laudes Romæ instauratæ sunt; nam a toto ferme populo in Capitolium deductus

dum, quod maximus consularis maximum consulem te ipse[d] vicisti,[a 3] et lætamur, et mirari satis non possumus. Fatale nescio quid[4] tuæ virtuti datum; idque sæpe jam experti sumus. Est enim tua toga[e] omnium armis felicior; quæ nunc quoque nobis pæne victam[5] rempublicam ex manibus hostium eripuit ac reddidit. Nunc ergo vivemus liberi: nunc te, omnium maxime civis, et mihi carissime,[6] (id quod maximis reipublicæ tenebris[f] comperisti) nunc te habebimus testem nostri, et in te, et in conjunctissimam tibi rempublicam amoris: et, quæ sæpe pollicitus es, te et taciturum,[g] dum serviremus, et dicturum de me tum, cum mihi profutura essent; nunc illa non ego quidem dici tantopere desiderabo, quam sentiri a te ipso. Neque enim omnium judicio malim me a te commendari, quam ipse tuo judicio digne ac mereor commendatus esse:[b] ut hæc novissima nostra facta,[h] non subita, nec inconveni-

[a] *Quod adhuc majora sint quæ consularis, quam quæ consul effecisti.*

[b] *Malo enim tibi commendatus esse, ut mereor, quam per te omnibus civibus commendari.*

desunt in P *v* ψ.—3 Codd. Grævii *te ipsum vicisti.*—4 *Fatale est nescio quid* Dresd. 3. *Fatale nescio quid erat* Dresd. 5. Mox, *id quod jam experti sumus* Vat. *idque sæpe experti sumus* Mentel. *id quod jam sæpe experti sumus* edd. vett. Nostram lect. servant Dresd. 1. 2. P *v* ψ, Amstel. Pal. 1. Grut. Græv. 2.—5 Grut. *pæne vinctam.*—6 Al. ap. Græv. *maximum civem, et mihi carissimum.* Actutum, *id quod maxime* Dresd. 1. Grut. Amstel. Græv. 2. Mentel. edd. vett. *tenebaris comparasti* Dresd. 2. 4. 5. Grut. Amstel. Græv. 2. Mentel. *v. tenebaris comperasti* Torg. *teneris comperasti* Lips. *tenebris peperisti* Dresd. 3. *comperisti* Mentel. pro v. l. Lect. nostra est e conjectura Grævii. Tum *te habemus testem* Hitt. *v* ψ. Deinde, pro *serviremus,* Medic. et Bengel. *servissemus;* Stewech. Grut. Dresd. 1. 2. 4. 5. Lips. Torg. *v* ψ *servi essemus;*

NOTÆ

est, et maximo plausu in Rostris collocatus.

[d] *Te ipse*] Quasi majora effecerit consularis, quam consul præstiterat, resque publica ex devicto Antonio, quam ex oppresso Catilina plus commodi consequatur.

[e] *Tua toga*] Quia togatus Cicero plus reipublicæ profuerat, quam bene multi exercituum duces. Unde Juvenalis: 'Tantum ergo muros intra toga contulit illi Nominis,' &c.

[f] *Tenebris*] Id quod maxime intellexisti eo tempore, quo Cæsar cives Romanos in servitute, quasi in tenebris, tenebat.

[g] *Taciturum*] De odio tyrannidis, et libertatis amore: de iis enim, regnante Cæsare, habere sermonem periculosum erat.

[h] *Hæc novissima nostra facta*] Necem Cæsaris a me, ceterisque conjuratis, non subito, nec temerarie, sed prudenter et meditate susceptam.

entia,[7] sed similia illis cogitationibus,[c] quarum tu testis es, fuisse judices, meque ad optimam spem patriæ non minimum tibi ipsi producendum putes.[d] Sunt tibi, M. Tulli, liberi, propinquique, digni quidem te, et merito tibi carissimi: esse etiam debent in republica proxime hos cari, qui studiorum tuorum sunt æmuli;[e] quorum esse cupio tibi copiam.[f] Sed tamen non maxima me turba[8] puto excludi,[g] quominus tibi vacet me excipere, et ad omnia, quæ velis et probes, producere.[h] Animum tibi nostrum fortasse probavimus:[9] ingenium diutina servitus,[i] certe, qualecumque est, minus tamen, quam erat, passa est videri. Nos ex ora maritima Asiæ provinciæ, et ex insulis, quas potuimus naves deduximus. Delectum remigum,[10] magna contumacia civitatum,[i] tamen satis celeriter habuimus. Secuti sumus classem Dolabellæ, cui Lucilius præerat; qui spem sæpe transitionis præbendo,[k] neque unquam non decedendo,[l][11] novissime Corycum[k] se con-

[c] *Nec discrepantia ab iis cogitationibus.*

[d] *Ac judices me a te ipso non parum promovendum, occupandumque esse negotiis publicis ad bonum reipublicæ.*

[e] *Post liberos, ac propinquos maxime, debent esse cari in republica ii, qui imitatores sunt tuorum studiorum.*

[f] *Quorum quidem imitatorum, maximam cupio tibi esse multitudinem.*

[g] *Sed quantumvis magna sit, non puto multos esse, quos mihi præferre queas.*

[h] *Nec illa multitudo impedire debet, quominus possis me officiis tuis amplecti, et promovere ad omnia quæ velis et probes.*

[i] *Licet recusarent civitates.*

[k] *Qui cum sæpe simularet, velle se ad meas partes transire, relicto Dolabella.*

[l] *Et revera nonnunquam a portubus discederet, velut ad me transiturus.*

Hitt. *servis haberemus*, et a m. sec. *servis heremus.*—7 Medic. et Hitt. *non subita nec convenientia;* al. ap. F. Ursin. *non subita obvenientia.* Paulo post, *tibi producendum* Hitt.—8 Dresd. 1. *maxima me e turba;* Dresd. 2. *maxima me et turba.* Statim, *quo minus vacet me tibi excipere* Hitt. *me* deest in ψ. *et omnia* in eodem cod.—9 Quinque Dresd. Torg. Lips. ψ, edd. vett. *probabimus.* Actutum, *ingenium certe diutina servitus* Græv. et al. vett.—10 *Delectum remigium* Hitt.—11 Gronov. et Græv. conj. *recedendo;* P *v*, et al. ap. Græv. habent *neque unquam decedendo.* Actutum, *novissime Corinthum* Stewech.

NOTÆ

[i] *Diutina servitus*] Sub Cæsare, qui rerum potitus, forensem operam, atque adeo omnimodam ingenii exercendi rationem sustulerat.

[k] *Corycum*] Corycus, seu Corycium, urbs Ciliciæ, nunc *Churco* dicta; ibi mons ejusdem nominis, croci optimi ferax: in istius oppidi portu tenuit se Lucilius.

tulit, et clauso portu se tenere cœpit. Nos, illa[m] relicta, (quod et in castra pervenire satius esse putabamus, et sequebatur classis altera, quam anno priore in Bithynia[12] Tillius Cimber[1] compararat, cui Turulius quæstor præerat) Cyprum petivimus. Ibi, quæ cognovimus, scribere ad vos quam celerrime voluimus. Dolabellam, ut Tarsenses, pessimi socii, ita Laodiceni,[13] multo amentiores, ultro arcessierunt: ex quibus utrisque civitatibus, Græcorum militum numero, speciem exercitus[n] effecit. Castra habet ante oppidum Laodiceam posita, et partem muri demolitus est, et castra oppido conjunxit. Cassius noster[m] cum decem legionibus, et cohortibus viginti auxiliariis, et quatuor millium[14] equitatu, a millibus passuum viginti, [*p.* 190.] castra habet posita *Πάλτῳ*:[n] et existimat, se sine prælio posse vincere. Nam jam ternis tetradrachmis[o] triticum apud Dolabellam est:[o 15] nisi quid navibus Laodicenorum supportarit,[p] cito fame pereat, necesse est: ne supportare possit, et Cassii classis bene magna, cui præest Sextilius Rufus, et tres, quas nos adduximus, ego, Turulius, Patiscus, facile præstabunt.[q] Et volo vos bene sperare,[16] et

[m] *Classe.* [n] *Similitudinem quandam justi exercitus.*
[o] *Jam enim triticum summo pretio ab exercitu Dolabellæ emitur.*
[p] *Nisi curet frumenti aliquid asportari, &c.* [q] *Efficient.*

Dresd. 1. 2. P *v. n. Coritum* ψ.—12 *Libitinia* ψ. *Tullius Cimber* Græv. Mox, *cui Turillius* P. *cui etiam curulius quæstor* Dresd. 3. *cui tum Turulius* Torg.—13 *Laudiceni* Hitt. Amstel. ψ.—14 Al. ap. Græv. *quatuor millibus.* Mox, pro Πάλτῳ, quod servant codd. Victorii, Dresd. 1. 2. *παλτοῖ* habent al. ap. Græv. *cum vallo* al. ibid. *παλτόθι* conj. Corrad.—15 Græv. 2. Dresd. 1. 2. 5. Ascens. 1. *triticum penes Dolabellam est.* Actutum, *ut nisi quid* edd. vett. *supportare posset* Dresd. 1. 2. 5. Ascens. 1. Paulo post, *Taurulius et Patiscus* edd. vett. —16 *Et volo bene sperare* omnes codd. Grævii; *Volo igitur vos bene sperare* P ψ, et vett. quædam edd. *Et volo bene resperare* Dresd. 1. *ut et vos istic* Grut.

NOTÆ

[1] *Tillius Cimber*] Unus e conjuratis, cui quæstor erat Turulius.

[m] *Cassius noster*] Syriæ præfectus. Vide primam notam hujus Epist.

[n] Πάλτῳ] Paltos, oppidum Syriæ, nunc *Gibel.*

[o] *Ternis tetradrachmis*] Duodecim drachmis: drachma autem octo circiter asses valet. Hæc igitur summa reducitur ad quatuor libras et sexdecim asses, *quatre livres, seize sols.*

rempublicam, ut vos istic expedistis,[p] ita pro nostra parte celeriter vobis expediri posse, confidere. Vale. Data Idibus Jun. Cypro, a Crommyu-acride.[q]

(14.) LENTULUS[a] CICERONI SUO S. P. D.[1]

ARGUMENTUM.—Exponit res a se gestas: Rhodios accusat: procurationem Asiæ petit: merita sua in remp. commemorat.

CUM Brutum nostrum convenissem,[b] eumque tardius in Asiam venturum animadverterem, in Asiam redii, ut reliquias mei laboris[a c] colligerem, et pecuniam quam primum Romam mitterem. Interim cognovi, in Lycia[2 d] esse classem Dolabellæ, ampliusque centum naves onerarias, in quas exercitus ejus imponi posset: idque Dolabellam ea mente comparasse, ut, si Syriæ spes eum frustrata esset,[e] conscenderet in naves, et Italiam peteret, seque cum Antoniis et reliquis latronibus conjungeret.

[a] *Laboris quæstorii.*

et al. ap. Græv. *ut et nos istic* Amstel. Pro *expedistis*, quod habent Dresd. 1. 2. 4. Mediol. Ascens. 1. *expediistis* legitur in Amstel. Dresd. 3. 5. Torg. Lips. edd. vett. *celeriter iter vobis* Amstel. Græv. 2. Dresd. 1. 2. 5. P: *iter* deest in Dresd. 3. 4. Hitt. Grut. Victor. *nobis expediri v ψ*, Grut. et al. vett. Pro *confidere*, Dresd. 4. P *confido*. Denique, *a Crommyu-acride* debetur ingenio Victorii; *acromani iacride* habent Dresd. 1. 2. 5. Torg. *acomanii iatride* Lips. *ac Romam yacride* al. ap. Græv. *ac Romani Iacude* P *v*.

EPIST. XIV. 1 *Lentulus Ciceroni S. P. D.* Dresd. 1. 2. Hitt.—2 Grut.

NOTÆ

[p] *Expedistis*] Ut vos in Italia rempublicam victoria Mutinensi ab Antonii tyrannide liberastis, ita speramus eandem hic posse a nobis liberam fieri.

[q] *A Crommyu-acride*] Χρουμμίου ἄκρα, promontorium Cypri insulæ, dictum a Gerardo Mercatore *Cornachietto*, contra Arnemurium, promontorium Ciliciæ. Ita Strabo.

[a] *Lentulus*] Is erat filius Lentuli Spintheris, ad quem scriptus est Epist. liber primus: interfecto Trebonio, cujus erat in Asia quæstor, proprætoris nomen assumsit, ut provinciam hanc facilius in Romanorum fide conservaret. Consule Indicem Historicum.

[b] *Convenissem*] In Macedoniam.

[c] *Mei laboris*] Etsi proprætoris obibat vices, non ideo quæstoris munus intermisit.

[d] *In Lycia*] Lycia Minoris Asiæ regio; terminatur a Meridie mari Mediterraneo, a Septemtrione Phrygia, ab Ortu Pamphylia, et ab Occasu Caria: hodie *Aldinelli* vocatur, estque pars Caramaniæ late sumtæ.

[e] *Frustrata esset*] Eam occupante Cassio.

Cujus rei[3] tanto in timore fui, ut, omnibus rebus relictis, cum paucioribus et minoribus navibus ad illas[f] ire conatus sim. Quæ res, si a Rhodiis non essem interpellatus, fortasse tota sublata esset:[b] tamen magna ex parte profligata[4] est; cum quidem classis dissipata esset; adventus nostri timore, milites ducesque effugerunt; onerariæ omnes ad unam a nobis sunt exceptæ.[c] Certe (quod maxime timui) videor consecutus,[5] ut non possit Dolabella in Italiam pervenire, nec, sociis[d] suis firmatis, durius vobis efficere negotium. Rhodii nos et rempublicam quam valde desperaverint, ex literis, quas publice misi, cognosces.[e] Et quidem multo parcius scripsi: mirari noli:[6] mira est eorum amentia: nec me meæ ullæ privatim injuriæ unquam: malus animus eorum in nostram salutem, cupiditas partium aliarum, perseverantia in contemtione optimi cujusque, ferenda mihi non fuit: nec tamen omnes perditos esse puto. Sed iidem illi, qui tum fugientem patrem meum,[g] qui L. Lentulum,[h] qui Pompeium, qui ceteros

[b] *Quæ classis prorsus ad exitium forte perducta esset, nisi Rhodii impedimento mihi fuissent.*

[c] *Captæ, vel conservatæ.* [d] *Antonianis.*

[e] *Cognosces ex literis, quas publice misi, quam valde Rhodii putent nos, cum republica, esse desperatos, ideoque contemnant.*

inlitia; edd. vett. *in Cilicia.* Mox, *amplius quam centum* ψ et al. ap. Græv. —3 *Cujus rei gratia* ψ.—4 Idem codex *profugata.* Mox, *quandoquidem classis* Dresd. 2. 4. Torg. Lips. P ψ, edd. vett. Tum, *dissipata esset* est ex ingenio Ernesti; codd. et reliquæ edd. habent *dissipata est.*—5 Ita Dresd. 5. et edd. vett. *videor etiam consecutus* vulgg. ante Ernesti; *videor esse consecutus* Lips. Torg. Dresd. 1. 2. 3. 4. Gorl. P υ ψ, Magdeb. Benedict. *possit classe Dolabella* edd. vett. *nec suis sociis* Hitt. Stewech.—6 Sex codd. Manutii, Dresd. 3. *parcius scripsi, quam re vera eos furere inveni. Quod vero aliquid de his scripsi, mirari noli;* edd. vett. *parcius scripsi, quam revera furere eos inveni: quod vero aliud de his scripsi, mirari noli;* Mentel. Amstel. *parcius scripsi: mirari nolim, iras te horum amentia;* al. ap. Græv. *apertius scripsi;* P *scripsi, quam revera furere inveni: quod vero aliquid de his scripsi;* ψ *nolim iras.* Statim, *nec mea*

NOTÆ

[f] *Ad illas*] Ad naves onerarias, quas vel obsidebat Dolabella, vel in sua jam potestate habebat.

[g] *Patrem meum*] P. Lentulum Spintherem ex acie Pharsalica cum Pompeio fugientem.

[h] *L. Lentulum*] Qui anno primo belli civilis cum Caio Marcello consulatum gessit.

viros clarissimos[7] non receperunt, iidem, tanquam aliquo fato, et nunc aut magistratum gerunt, aut eos, qui sunt in magistratu, in sua habent potestate. Itaque eadem superbia in pravitate utuntur. Quorum improbitatem aliquando retundi, et non pati[8] impunitate augeri, non solum utile est reipublicæ nostræ, sed etiam necessarium. De nostra dignitate, velim tibi ut semper curæ sit; et, quocumque tempore occasionem habueris, et in senatu, et in ceteris[9] rebus laudi nostræ suffragere. Quando[10] consulibus[i] decreta est Asia, et permissum est iis, ut, dum ipsi venirent, darent negotium, qui Asiam obtineant; rogo te, petas ab iis, ut hanc dignitatem potissimum nobis tribuant, et mihi dent negotium, ut Asiam obtineam,[f] dum ipsorum alteruter[k] venerit.[11] Nam, quod huc[12] properent in magistratu venire, aut exercitum mittere, causam non habent. Dolabella enim in Syria est: et, ut tu divina tua mente prospexisti et prædicasti,[13] dum isti veniant,[g] Cassius eum opprimet. Exclusus enim ab Antiochia[l] Dolabella, et in oppugnando male acceptus, nulla alia confisus urbe,[14] Laodiceam, quæ est in Syria[m] ad mare, se contulit: [*p.*

f Ut consules, dum absunt, mihi dent administrationem Asiæ.
g Antequam consules in Asiam advenerint.

ullæ privatim injuriæ moverunt unquam v ψ, et edd. vett. *in nostra salute* Dresd. 1. 2. 4. 5. Torg. Lips. Ascens. 1. Bengel. *in contentione* Dresd. 1. 2. 4. 5. Torg. Lips. ψ, Ascens. 1.—7 Al. ap. Græv. *clarissimos viros.* Mox, *in suam habent potestatem* Grut.—8 Pal. 1. Grut. Hitt. Stewech. Dresd. 1. 2. Gorl. Guelf. 1. 2. *v ψ et non putari;* Dresd. 3. *et non putata;* Dresd. 4. *et non putare;* Lips. *et non putarit;* Bengel. conj. *et non pari.* Deinde *utile* deest in *v.*—9 Hitt. *in senatu et ceteris.*—10 Ita Dresd. 2. 3. 4. 5. Torg. Lips. ψ. *Quoniam* P *v. Cum* Victor. Dresd. 1. et edd. vett.—11 Ita sine libris correxit Ernesti; *venit* habent codd. et reliquæ edd.—12 *Nam quod hoc* Hitt. et Pal. 1.—13 Al. ap. Græv. *prædixisti.* Actutum, *dum isti veniunt* Pal. 1. Victor. Dresd. 1. 2. 3. 4. 5. Torg. *dum isti venient* Lips. et edd. quædam vett. *dum isti venirent* Stewech. *dum isti veniant* est e conj. Ernestii.—14 Cod. ψ *confusus urbe.* Mox, *ubi spero*

NOTÆ

[i] *Quando consulibus*] Hirtio et Pansæ, quorum obitum Lentulus, cum hæc scriberet, nondum audierat.

[k] *Alteruter*] Hirtius, aut Pansa.

[l] *Ab Antiochia*] Multæ fuerunt hujus nominis civitates, quarum nobilissima fuit Antiochia magna, ad Orontem fluvium in Syria; de qua hic sermo est.

[m] *Laodiceam, quæ est in Syria*] Ut ab ea distinguatur, quæ in Majori Phrygia sita est.

191.] ibi spero[n] celeriter eum pœnas daturum. Nam neque, quo refugiat, habet; neque diutius ibi poterit[15] tantum exercitum Cassii sustinere; spero etiam confectum esse jam et oppressum Dolabellam. Quare non puto, Pansam et Hirtium in consulatu properaturos in provincias exire, sed Romæ acturos[16] consulatum. Itaque, si ab his petieris, ut interea nobis procurationem Asiæ dent, spero te posse impetrare: præterea mihi promiserunt Pansa et Hirtius coram, et absenti mihi scripserunt, Verrioque nostro Pansa affirmavit, se daturum operam, ne in suo consulatu mihi succedatur. Ego porro non, medius fidius,[o] cupiditate provinciæ produci longius spatium mihi volo:[h] nam mihi fuit ista provincia plena laboris, periculi, detrimenti. Quæ ego ne frustra subierim, neve prius, quam reliquias meæ diligentiæ[17] consequar, decedere cogar, valde laboro.[i] Nam si potuissem, quam exegeram[18] pecuniam, universam mittere, postularem, ut mihi succederetur: nunc, quod Cassio dedi, quod Trebonii[k] morte amisimus, quod etiam crudelitate Dolabellæ, aut perfidia eorum, qui mihi fidem reique publicæ[19] non præstiterunt,[l] id consequi et reficere volo. Quod aliter non potest fieri, nisi spatium habuero: id, ut per te consequar, velim, ut solet, tibi curæ sit. Ego me de republica puto esse meritum,[20] ut non provinciæ istius beneficium expectare debeam, sed tantum,

[h] *Non ambitione, aut avaritia volo mihi diutius provinciæ tempus prorogari.*
[i] *Valde contendo, ut non prius decedam, quam præmia diligentiæ meæ fuerim consecutus.*
[k] *Nunc volo reficere pecuniam hanc, quam Cassio dedi, quam Trebonii, &c.*
[l] *Qui debitam reipublicæ pecuniam non solverunt.*

Stewech. et Grut.—15 Hitt. *neque diutius poterit ibi.* Idem mox, *jam confectum esse.*—16 Dresd. 3. margo Crat. Camer. Bengel. *peracturos.*—17 Hitt. *reliquia meæ diligentiam.*—18 Codex unus Oxon. *exegeras.*—19 Hitt. *qui fidem mihi reique publicæ;* ψ *qui mihi fidem reipublicæ.*—20 Hitt. *me de rep. ita puto*

NOTÆ

[n] *Ibi spero*] Res, uti sperabat, ita contigit. Consule Indicem Historicum in Dolabella.

[o] *Medius fidius*] Jurandi formula per Jovis filium.

quantum Cassius et Bruti, non solum illius facti periculique societate,[p] sed etiam hujus temporis studio et virtute.[m] Primus enim ego leges Antonianas fregi:[21] [q] primus equitatum Dolabellæ ad rempublicam traduxi, Cassioque tradidi: primus delectus habui pro salute omnium contra conjurationem sceleratissimam: solus Cassio et reipublicæ Syriam, exercitusque, qui ibi erant, conjunxi. Nam nisi ego tantam pecuniam, tantaque præsidia, et tam celeriter Cassio dedissem; ne ausus quidem esset ire in Syriam; et nunc non minora pericula reipublicæ a Dolabella instarent,[22] quam ab Antonio. Atque hæc omnia is feci, qui sodalis et familiarissimus Dolabellæ eram, conjunctissimus sanguine Antoniis:[23] provinciam[r] quoque illorum beneficio habebam: sed πατρίδα[s] ἐμὴν μᾶλλον φιλῶν,[n] omnibus[t] meis bellum primus indixi. Hæc etsi adhuc non magnopere mihi tulisse fructum animadverto, tamen non despero: nec defatigabor permanere, non solum in studio libertatis, sed etiam in labore et periculis.[24] Attamen si etiam aliqua gloria justa et merita provocabimur senatus et optimi cu-

[m] *Ego meis erga rempublicam officiis, hoc me puto meritum esse, ut jure quodam meo petere possim procurationem hujus provinciæ, neque id beneficii loco ponere, sed mercedis; tantumque expectare possim, quantum C. Cassius, et uterque Brutus, non modo propter societatem ejusdem facti, cum Cæsarem interfecimus, sed etiam propter ea quæ gessi hoc tempore in Asia.*

[n] *Sed iis omnibus patria mihi carior.*

****

meritum esse. Mox, *quantum Brutus non solum, &c.* in eodem cod.—21 *Leges Antoninas fregi* Vat. Statim, *delectum habui* ψ.—22 Idem cod. *reipublicæ instarent.*—23 *Antonio* ψ. Mox, *omnibus* deest in Grut. *primus indixi* Pal. 1.

NOTÆ

[p] *Illius facti societate*] Si Plutarchum audimus, Lentulus ille cum multis aliis de Cæsaris morte falso gloriati sunt. Consule imaginem historicam hujusce Lentuli.

[q] *Antonianas fregi*] Non quidem abrogando, siquidem has abrogavit Dolabella consul: sed fregit, iis non parendo.

[r] *Provinciam*] Id est, quæsturam Asiæ sub Trebonio proconsule, Antonii beneficio, obtinueram.

[s] Πατρίδα] Alludit Lentulus ad senarium poëtæ, quem laudat Plutarchus: Φιλῶ τέκν', ἀλλὰ πατρίδ' ἐμὴν μᾶλλον φιλῶ. *Liberos amo, sed patriam magis.*

[t] *Omnibus*] Antoniis, quibus aut amicitia, aut sanguine sum conjunctus.

jusque officiis, majore cum auctoritate[25] apud ceteros erimus, et eo plus prodesse reipublicæ poterimus. Filium tuum, ad Brutum cum veni, videre non potui, ideo quod jam in hyberna cum equitibus erat profectus: sed, medius fidius, ea esse eum opinione,[o] et tua, et ipsius, et inprimis mea causa, gaudeo. Fratris enim loco mihi est, qui ex te natus, teque dignus est. Vale. D. IV Kalend. Jun.[26] Pergæ.[u]

(15.) P. LENTULUS, P. F. PROQUÆST. PROPR. COSS. PRÆTT. TRIBB. PL. SEN. P. Q. R. S. P. D.[1]

ARGUMENTUM.—Res a se gestas publice memorat: in Rhodios invehitur: de Dolabella grata narrat.

SI valetis, liberique V. V. B. E. V.[2] Scelere Dolabellæ[a] oppressa Asia, in proximam provinciam Macedoniam, præsidiaque reipublicæ, [*p.* 192.] quæ M. Brutus, V. C. tenebat, me contuli: et id egi, ut, per quos celerrime posset,[3] Asia provincia vectigaliaque in vestram potestatem redigerentur. Quod cum pertimuisset Dolabella, (vastata provincia,[4] correptis[a] vectigalibus, præcipue civibus Romanis omnibus crudelissime denudatis ac divenditis) celeriusque Asia excessisset, quam eo præsidium adduci[b] potuisset; diutius morari, aut expectare præsidium non

[o] *Ab omnibus plurimi fieri.* [a] *Sublatis.*

—24 Hitt. *periculo.*—25 Stewech. et Grut. *majore animi auctoritate;* Lamb. *majore auctoritate.*—26 *XIIII Kal. Jun.* P. *XIII Kal. Jun.* ψ. *III Kalend. Jun.* Grut. *Perge v*: deest in ψ.

EPIST. XV. 1 *Coss. Prætt. Tribb. pl. Senatui populo plebeique Rom.* Dresd. 1. 2. 3. Torg. Victor. Bengel.—2 *S. V. L. V. V. B. E. E. V.* Dresd. 1. 2. Torg. edd. vett. Hæ literæ desunt in P.—3 Ita Guelf. 1. 2. Dresd. 1. 2. 5. Torg. Lips. *v. celeberrime posset* ψ. *celerrime possent* Dresd. 3. 4. et Victor.—4 Edd. vett. *et vastata provincia.* Actutum, *correptisque* Dresd. 2. Lips. Mox, *omnibus* deest Dresd. 3. et Hitt. probante Græv. *denudatis ac divexatis* al. ap. Græv. *ac divenditis* desunt in *v.* Tum, *celerius Asia* edd.

NOTÆ

[u] *Pergæ*] Perga urbs Pamphyliæ Mediterranea, ad fluvium Cestrium in Asia Minori, *Pirgi.* Erat hic Dianæ templum, antiquissimum, ut alibi ait Cicero, et sanctissimum, unde Pergæa dicta est.

[a] *Scelere Dolabellæ*] Qui, occiso Smyrnæ Trebonio, Asiam per vim occupaverat.

[b] *Adduci*] A me.

necesse habui: et quam primum ad meum officium[c] revertendum mihi esse existimavi, ut et reliqua[5] vectigalia exigerem, et, quam deposui pecuniam, colligerem: quicquid ex eâ correptum esset,[b] aut quorum id culpa accidisset, cognoscerem quam primum, et vos de omni re facerem certiores. Interim cum per insulas in Asiam naviganti mihi nuntiatum esset,[6] classem Dolabellæ in Lycia esse, Rhodiosque naves complures instructas et paratas in aqua habere; cum his navibus, quas aut mecum adduxeram, aut comparaverat Patiscus[d] proquæstor,[e] homo mihi cum familiaritate, tum etiam sensibus in républica conjunctissimus, Rhodum reverti, confisus auctoritate vestra, senatusque consulto, quo hostem Dolabellam judicaratis; fœdere quoque, quod cum his, M. Marcello,[7] Ser. Sulpicio consulibus, renovatum erat: quo juraverant Rhodii, eosdem hostes se habituros, quos S. P. Q. R. Quæ res nos vehementer fefellit. Tantum enim abfuit,[8] ut illorum præsidio nostram firmaremus classem, ut etiam a Rhodiis urbe, portu, statione,[f] quæ extra urbem est, commeatu, aqua denique prohiberentur nostri milites: nos vix ipsi singulis cum navigiolis reciperemur. Quam indignitatem, diminutionemque, non solum juris nostri, sed etiam majestatis imperiique populi Romani,[9] idcirco tulimus, quod in-

[b] *Sublatum esset.*

vett.—5 Pal. 1. Dresd. 1. 2. 5. Torg. Venet. Mediol. *et ut reliqua.* Statim, *quicquid vero ex ea* Dresd. 3. *quid ex ea* conj. Græv. Deinde, *quam ob rem primum v. de omni re* desunt in ψ.—6 Dresd. 1. 2. ψ *nuntiatum est.* Mox, *esse in Lycia* Hitt. Tum, *cum iis navibus* edd. vett. *quas ante mecum* Lips. Dresd. 5. Ascens. 1. *advexeram* Torg. Paulo post, *tum familiaritate* Torg. Dresd. 1. 2. 3. *Rhodium reverti* ψ.—7 Dresd. 3. 4. *a M. Marcello.* Voc. *consulibus,* quod ex edd. vett. addidit Ernesti, deest in Torg. Lips. Dresd. 1. 2. 3. 4. 5. Pal. 1. Grut. Amstel. Victor. *v* ψ.—8 Ita Dresd. 1. 2. 4. 5. Ascens. 1. *afuit* Hitt. *affuit* Dresd. 3.—9 Hæc est emend. Ernestii, post Nic. Ruben. qui conj. *diminutionemque non solum juris nostri, sed etiam majestatis imperii populique Ro-*

NOTÆ

[c] *Ad meum officium*] Quæstoris, cujus erat exigere vectigalia, et pecuniam populi Romani curare.

[d] *Patiscus*] Qui sibi quoque laudem occisi Cæsaris, tam falso quam Lentulus, vindicabat.

[e] *Proquæstor*] Ipsius Lentuli.

[f] *Statione*] Locus in quo naves ad tempus morantur, sed minus tute quam in portu. Virg. 'Nunc tantum sinus, et statio male fida carinis.'

terceptis literis cognoramus, Dolabellam, si desperasset de Syria Ægyptoque, (quod necesse erat fieri) in naves cum omnibus suis latronibus, atque omni pecunia conscendere esse paratum, Italiamque petere: idcirco etiam naves onerarias, quarum minor nulla erat duum millium amphorum,[c] contractas, in Lycia a classe ejus obsideri. Hujus rei timore, patres conscripti, percitus, injurias perpeti, et cum contumelia etiam nostra,[10] omnia prius experiri malui. Itaque ad illorum voluntatem[d] introductus in urbem, et in senatum eorum, quam diligentissime potui, causam reipublicæ egi: periculumque omne, quod instaret, si ille latro[e] cum omnibus suis[11] naves conscendisset, exposui. Rhodios autem tanta in pravitate[12] animadverti, ut omnes firmiores[g] putarent, quam bonos; ut hanc concordiam et conspirationem omnium ordinum ad defendendam libertatem propense non crederent esse factam;[f] ut patientiam senatus, et optimi cujusque manere etiam nunc confiderent, nec potuisse audere quenquam Dolabellam hostem judicare;[g] ut denique omnia, quæ improbi[h] fingebant, magis vera existimarent, quam quæ vere facta erant,[13] et a

[c] *Quarum nulla erat, quæ non ad minimum duo millia amphorarum caperet.*
[d] *Quando ipsi voluerunt.* [e] *Si Dolabella.*
[f] *Ut putarent plus simultatis et audaciæ in nobis, quam virtutis et bonæ fidei esse, adeo ut hanc concordiam, &c. non crederent ex propensione animi esse factam.*
[g] *Ac senatum et optimum quemque dicerent Dolabellæ injurias, uti antea perpessi erant, ita nunc dissimulanter perpeti.* [h] *Rhodii.*

mani; edd. vett. habent, *diminutionemque majestatis, non solum juris nostri, sed etiam imperii populique Romani.* 'Mihi videntur hæc verba, *non solum juris nostri sed etiam imperii populique Rom.* explicationi illius voc. *majestatis* inservire.' *Benedict.* Paulo post, *atque ejus pecunia v. paratum esse* al. ap. Græv. Deinde, *amphorarum* Dresd. 1. 2. 3. 5. Torg. Lips. edd. vett.—10 Dresd. 1. 2. Torg. Stewech. Pal. 1. ψ *etiam vestra.*—11 Victor. *cum suis omnibus.*—12 Torg. Lips. P, al. ap. Græv. *tanta pravitate;* Amstel. *tanta imparvitate;* Mentel. Dresd. 1. 2. Pal. 1. ψ, edd. vett. *tanta importunitate.*—13 Dresd. 1. 2. 4. *vera*

NOTÆ

[g] *Firmiores*] Sic videtur locus hic, alioqui subobscurus, explicari posse: Ideo non favebant Lentulo Rhodii, quod crederent non tam reipublicæ causa, quam privato quodam odio Dolabellam ab eo exagitari. Quæ sequuntur, hanc declarationem confirmant.

[h] *Quæ improbi*] Nempe Dolabellam a senatu hostem patriæ nondum esse declaratum, meque privatas duntaxat, non senatus injurias persequi.

nobis docebantur.[i] Qua mente etiam ante nostrum adventum, post Trebonii indignissimam cædem, ceteraque tot tamque nefaria facinora, binæ profectæ erant ad Dolabellam legationes eorum, et quidem novo exemplo, contra leges ipsorum, prohibentibus iis, qui tum magistratus gerebant. Hæc,[14] sive timore[i k] (ut dictitant) de agris, quos in continenti[k] habent, sive furore, sive potentia paucorum, qui et antea pari contumelia viros clarissimos affecerant, et nunc maximos magistratus gerentes, [*p.* 193.] nullo exemplo, neque vestro ex parte, neque nostro præsenti, neque imminenti Italiæ urbique nostræ periculo, si ille parricida cum suis latronibus, navibus, ex Asia Syriaque ex-

[i] *Hæc nobis incommoda intulerunt Rhodii sive timore.*
[k] Dans la terre ferme.

facta erant; vet. cod. ap. Græv. *vere facta essent.* Actutum, *a nobis dicebantur* nonnulli codd. ap. Græv. item Lips. Torg. Dresd. 5. Ascens. 1.—14 Edd. vett. *magistratus. Gerebant hæc, &c.* Dresd. 1. 5. Lips. Ascens. 1. *magistratum gerebant. Hæc.* Dresd. 1. 2. Mentel. Magdeb. *sive timore est;* Lips. *sive timor et ut, &c.* Dresd. 5. Ascens. 1. *sive timor;* P *sine timore.* Tum, *sive furor, sive patientia paucorum* Dresd. 1. 2. 5. P, Lips. Mentel. *v* ψ, Magdeb. Ascens. 1. *patientia* etiam reliqui codd. et edd. vett. *potentia* Egnatii conjecturæ debetur. *neque vestra ex parte, neque nostro præsentium* vulgg. ante Ernesti; lectio nostra est e conj. Gronovii; *neque* ante *nostro præsenti* deest in Magdeb. *neque ex parte, neque nostrarum partium* Mentel. *neque ex nostro* P. *neque nostrum præsentium* Grut. et Stewech. *Italiam petiisset* edd. vett. *voluerunt* duo codd. Manutii, *v* ψ, Magdeb. edd. vett. Totam hanc periodum ita legi jubet Corradus, *Nec sive timore... voluerunt;* Benedict. ita *Hæc, sive timor est, ut dictitant,... sive furor, sive patientia... magistratus, nullo exemplo. Neque nostra ex parte, neque nostro præsentium... noluerunt.*—

NOTÆ

[i] *Docebantur*] Rhodii, Dolabellam scilicet hostem patriæ senatus decreto appellatum.

[k] *Sive timore*] Quærit causas, cur Rhodii, cum opem ferre Lentulo debuissent, ipsius milites portu excluserint, omnique commeatu prohibuerint. Tres autem has reperit; primam, timorem civium, qui timebant agris quos habebant in continenti; deinde furorem ac potentiam paucorum, qui eadem usi erant perfidia erga Lentulum et Pompeium, viros clarissimos; nunc autem potentiores facti propter magistratus quos gerunt, noluerunt mederi nostro præsentium discrimini, neque periculo, quod urbi nostræ imminebat, si eo Dolabella cum classe contendisset. Hæc, inquam, Rhodii fecerunt nullo exemplo majorum suorum, quorum fides erga populum Romanum enituit, neque vestra ex parte, id est, neque studio vestrarum partium; nihil enim afferre possunt, quo factum suum tueantur.

pulsus, Italiam petisset, mederi cum facile possent, noluerunt. Nonnullis etiam ipsi magistratus veniebant in suspicionem,[15] detinuisse nos, et demorati esse, dum classis Dolabellæ certior fieret de adventu nostro.[l] Quam suspicionem consecutæ res aliquot auxerunt; maxime quod subito ex Lycia Sex. Marius et C. Titius, legati Dolabellæ, a classe discesserunt, navique longa profugerunt,[l] onerariis relictis: in quibus colligendis non minimum temporis laborisque consumserant.[16] Itaque cum ab Rhodo [17] cum iis, quas habueramus, navibus, in Lyciam venissemus, naves onerarias recepimus, dominisque restituimus: iidemque, quod maxime verebamur, ne posset Dolabella cum suis latronibus in Italiam venire, timere desiimus: classem fugientem persecuti sumus usque Sidam,[m] quæ extrema regio est provinciæ meæ. Ibi cognovi, partem navium Dolabellæ diffugisse, reliquas Syriam Cyprumque petiisse.[18] Quibus disjectis, cum scirem, C. Cassii, singularis civis et ducis, classem maximam fore præsto in Syria,[19] ad meum officium reverti: daboque operam, ut meum studium, diligentiam vobis, patres conscripti, reique publicæ præstem: pecuniamque, quam maximam potero, et celerrime cogam,

[l] *Quinetiam aliqui putabant nos a magistratibus Rhodiis retentos esse, donec certiorem facerent Dolabellam de adventu nostro.*

15 Amstel. *veniebat in suspicionem.* Actutum, *detenuisse nos* Medic. *detinuisse eos v. demorari esse* Amstel. *demoratos esse* edd. vett.—16 Ita Romana editio; aliæ edd. cum codd. habent *consumserunt.*—17 Ita Amstel. Hitt. Pal. 1. *a Rhodo* alii codd. et edd. vett. *cum quas,* omisso *iis,* Dresd. 1. 2. 4. 5. Torg. Lips. Mox, pro *iidemque,* quod ex ed. Rom. recepit Ernesti, codd. cum reliquis edd. habent *idemque.* Tum, *usque in Sydam* edd. vett. *usque in Sidam* Lips. Torg. Dresd. 5. Ascens. 1. *usque ad Sidam* Dresd. 2. Porro, *quæ extra mare regio* Dresd. 1. 2. 5. Lips. Ascens. 1.—18 *Syriam Ægyptumque petiisse* Dresd. 1. 2. 5. Torg. Lips. P v ψ, Ascens. 1.—19 Ita Dresd. 1. 2. 3. 4. Torg. Lips. *in Syriam* Dresd. 5. Ascens. 1. Mox, *studium et diligentiam* Dresd. 3. Deinde, *omnibusque rationibus* quinque Dresd. Torg. Lips. ψ, Victor. Ascens.

NOTÆ

[l] *Profugerunt*] Exercitus nostri metu: ideoque putabamur detenti a Rhodiis magistratibus, ut spatium Dolabellæ legatis ad fugiendum daretur.

[m] *Usque Sidam*] Vide Epist. 5. libri tertii.

omnibusque cum rationibus[m] ad vos mittam. Si percurrero provinciam, et cognovero,[20] qui nobis et reipublicæ fidem præstiterunt in conservanda pecunia a me deposita, quique scelere ultro deferentes pecuniam publicam, hoc munere societatem facinorum cum Dolabella inierunt, faciam vos certiores. De quibus, si vobis videbitur, si, ut meriti sunt, graviter constitueritis, nosque vestra auctoritate firmaveritis; facilius et reliqua exigere vectigalia, et exacta servare poterimus. Interea quo commodius vectigalia tueri, provinciamque ab injuria defendere possim, præsidium necessarium voluntariumque[21] comparavi. His literis scriptis, milites circiter XXX, quos Dolabella ex Asia conscripserat, e Syria fugientes[22] in Pamphyliam venerunt: hi nuntiaverunt, Dolabellam Antiocheam, quæ in Syria est, venisse; non receptum, conatum esse aliquoties vi introire; repulsum semper esse cum magno suo detrimento: itaque, centum circiter amissis, ægris relictis,[23] noctu Antiochea profugisse Laodiceam versus: ea nocte omnes fere Asiaticos milites ab eo discessisse: ex his ad octingentos Antiocheam rediisse, et se iis tradidisse, qui a Cassio relicti, urbi illi præerant; ceteros per Amanum in Ciliciam descendisse: quo ex numero se quoque esse dicebant: Cassium autem, cum suis omnibus copiis, nuntiatum esse quatridui iter Laodicea abfuisse,[24] tum cum Dolabella eo tenderet. Quamobrem opinione celerius confido sceleratissimum latronem pœnas daturum. Quarto Nonas Junias, Pergæ.[25]

(16.) TREBONIUS CICERONI S.

ARGUMENTUM.—Ciceroni patri gratulatur de filio, quem optimis studiis deditum Athenis offenderat. Versus mittit, in civem improbum a se con-

[m] Avec tous les comptes.

Bengel. *omnibus rationibus* v.—20 *Si percurro et cognovero* Dresd. 1. 2. ψ. Mox, *sceleste ultro deferentes* Dresd. 3. *scelerate ultro deferentes* Lamb.—21 Hitt. *voluntarium necessariumque.*—22 Idem cod. cum Dresd. 2. 3. *et Syria fugientes;* Dresd. 1. *ex Syria fugientes;* Dresd. 4. *in Syria fugientes;* Stewech. *de Syria fugientes.*—23 Dresd. 3. *itaque quingentis de suis amissis ægrisque pluribus relictis.* Mox, *Antiochea perfugisse* P.—24 Ita Dresd. 1. 5. Ascens. 1. *affuisse* Dresd. 2. 4. Torg. Grut.—25 *Quarto N. J. Pergæ* desunt in v ψ.

scriptos: et in libro de Cæsaris interitu sui petit rationem habeat. Scripta Antonio et Dolabella coss.

[*p.* 194.] S. V. B. E.[1] Athenas veni a. d. XI Kal. Jun. atque ibi, quod maxime optabam, vidi filium tuum, deditum optimis studiis, summaque modestiæ fama. Qua ex re quantam voluptatem ceperim, scire potes, etiam me tacente. Non enim nescis, quanti te faciam, et quam, pro nostro veterrimo[2] verissimoque amore, omnibus tuis, etiam minimis commodis, non modo tanto bono, gaudeam.[a] Noli putare, mi Cicero, me hoc auribus tuis dare:[b] nihil adolescente tuo, atque adeo nostro,[3] (nihil enim mihi a te potest esse sejunctum) aut amabilius omnibus iis, qui Athenis sunt, est, aut studiosius earum artium, quas tu maxime amas, hoc est, optimarum. Itaque tibi, quod vere facere possum,[4] libenter quoque gratulor, nec minus etiam nobis; quod eum, quem necesse erat diligere, qualiscumque esset,[a] talem habemus, ut libenter quoque diligamus. Qui cum mihi in sermone injecisset,[c] se velle Asiam visere, non modo invitatus, sed etiam rogatus est a me, ut id potissimum nobis obtinentibus[b] provinciam faceret. Cui nos et caritate et amore tuum officium præstaturos[d] non debes dubitare. Illud quoque erit nobis curæ, ut Cratippus[c] una cum eo sit, ne putes, in Asia feriatum illum ab iis studiis,[e] in quæ tua cohortatione incita-

[a] *Non modo gaudeam tanto bono, sed etiam omnibus minimis tuis commodis.*
[b] *Me in his tibi adulari.*
[c] *Qui cum inter loquendum mihi significaret.*
[d] *Tuas vices præstaturum esse.*
[e] *Intermissurum illa studia.*

EPIST. XVI. 1 Amstel. *S. V. B.* edd. vett. *Si vales bene est, ego quidem valeo.* Hæc verba desunt in P *v.* Mox, *veni ad XI Kal.* edd. vett.— 2 Stewech. *pro nostro veterano;* codex unus Oxon. *pro vestro veterrimo.*— 3 Stewech. et *v atque ideo nostro.* Actutum, *nil enim . . . esse sciendum* Grut. Tum, *aut am. his omnibus* Hitt. Stewech. Grut.—4 Hitt. *facere vere possum.*

NOTÆ

[a] *Qualiscumque esset*] Quamvis careret ingenio, bonarumque artium non esset studiosus.

[b] *Nobis obtinentibus*] Interfecto Cæsare, Asiam proconsulari imperio Trebonius obtinuerat.

[c] *Cratippus*] Ejus in philosophia magister, et Peripateticorum hujus ætatis facile princeps.

tur,[5] futurum. Nam illum paratum,[f] ut video, et ingressum pleno gradu,[d] cohortari non intermittemus, quo in dies longius, discendo exercendoque se, procedat. Vos quid ageretis[6] in republica, cum has literas dabam, non sciebam. Audiebam quædam turbulenta,[e] quæ scilicet cupio esse falsa, ut aliquando otiosa libertate fruamur:[7] quod vel minime adhuc mihi contigit. Ego tamen nactus in navigatione nostra pusillum laxamenti,[g] concinnavi tibi munusculum[h f] ex instituto meo: et dictum,[g] cum magno nostro honore a te dictum, conclusi, et tibi infra subscripsi.[i] In quibus versiculis[h] si tibi quibusdam verbis εὐθυῤῥημονέστερος[k 8] videbor, turpitudo personæ ejus, in quam liberius invehimur, nos vindicabit.[l] Ignosces etiam iracundiæ nostræ; quæ justa est in ejusmodi et homines et cives.[9] Deinde, qui magis[10] hoc Lucilio[i] licuerit assumere libertatis, quam nobis?[m]

[f] *Jam erga literas bene affectum.* [g] *Otii.* [h] *Libellum.*
[i] *Librumque de tuis acute dictis perfeci, nomenque tuum infra apposui.*
[k] *Liberior in loquendo.*
[l] *Turpissimi mores illius, quem versiculis insector liberius, me apud te defendent.*
[m] *Cur magis licebit Lucilio hanc assumere libertatem, ut mores hominum nequissimorum describat, quam mihi?*

Statim, *congratulor* Dresd. 3.—5 Ita codd. Grævii, et edd. vett. *incitatus* Vat. Victor. Grut.—6 *Vos quid egeritis* Dresd. 1. 2. 4. 5. Torg. Gorl. Magdeb. ψ, Ascens. 1. *Vos quid ageritis* Dresd. 3.—7 Torg. *libertate utamur.* Mox, *mihi adhuc contigit* Vat. Hitt. *adhuc mihi contingit* Lips. Dresd. 2. 4. Torg. Gorl. Magdeb. Ascens. 1.—8 Al. ap. Græv. ἀσχημονέστερος· ψ εὐωνμενέστερος· in Amstel. lacuna erat; sed in margine explicatio erat ascripta omissi Græci verbi, *magis sinister.*—9 Vet. cod. ap. Græv. *et civis et homines.*—10 Ita Dresd. 3. *quid magis*

NOTÆ

[d] *Ingressum pleno gradu*] Id est, citato cursu, *à grands pas.* Liv. lib. x. 'Ubi nemo obvius ibat, pleno gradu ad castra hostium ibant.'

[e] *Quædam turbulenta*] De Antonio, qui Cæsaris testamento corrupto, multa per vim ac tyrannidem Romæ moliebatur.

[f] *Munusculum*] Librum scripsit Trebonius, cujus priori parte civem improbum satirice notat, et insectatur; posteriori autem dicta Ciceronis, non quælibet, sed ea tantum, quæ cum laude Trebonii conjuncta essent, complexus est: Tiro autem, Tullii libertus, in tres libros omnia Ciceronis acute dicta collegit.

[g] *Dictum*] 'Dicta dicere' familiare Ciceroni loquendi genus.

[h] *Versiculis*] Suspicor versiculos propterea appellasse, licet ad poëticos numeros redacti non erant, quia plures breviores sententias, dictaque alia ab aliis sejunxerat.

[i] *Lucilio*] Lucilius, eques Romanus, qui primus carmine satirico homi-

cum, etiamsi odio pari fuerit in eos, quos læsit, tamen certe non magis dignos habuerit, in quos tanta libertate verborum incurreret.[n] Tu, sicut mihi pollicitus es,[11] adjunges me quam primum ad tuos sermones.[o k] Namque illud non dubito, quin, si quid de interitu Cæsaris scribas,[12] non patiaris me minimam partem et rei, et amoris tui ferre.[p] Vale, et matrem, meosque[13] tibi commendatos habe. D. VIII Kalendas Junias, Athenis.

(17.) CICERO S. D. CORNIFICIO, COLLEGÆ.[a]

ARGUMENTUM.—Cornificio Africæ præfecto de Syriaco tumultu, et urbano otio, seu negotiorum cessatione, scribit. Librum de optimo genere dicendi commendat, et suum ipsi studium confirmat.

GRATA mihi vehementer est memoria nostri tua, quam significasti literis: quam ut conserves, non quo[1] de tua constantia dubitem, sed quia mos est ita rogandi, rogo. Ex Syria nobis tumultuosiora[b] quædam nuntiata sunt: quæ, quia[2] tibi sunt propiora,[c] quam nobis, tua me causa magis movent, quam mea. Romæ summum otium est;[d]

[n] *Etsi par mihi fuerit odio in illos, quos perstrinxit versibus suis, at certe ii, quos læsit, non magis erant satira digni, quam quos descripsi.*

[o] *Inseres me in Dialogos.*

[p] *Hujusce gloriæ partem non minimam tribuas.*

Dresd. 1. 2. 4. 5. Torg. Lips. P v ψ. Mox, *odio par* Amstel. Pal. 1. Grut. Hitt. Stewech. Victor. Dresd. quinque Torg. Lips. Deinde *dignos habuit* Dresd. 5. Ascens. 1.—11 Hitt. *pollicitus es mihi.*—12 Dresd. 1. *scribis.*—13 Lips. et al. ap. Græv. *fratresque meos.* ψ *tibi omnes commendatos.*

EPIST. XVII. 1 Ita Dresd. 3. et edd. vett. *non quod* Hitt. Vat. Pal. 6. Dresd. 1. 2. 4. 5. Torg. Lips. Victor.—2 Lips. *contumeliosa quædam n. s. quæ*

NOTÆ

num mores descripsit. Obiisse dicitur sub annum urbis conditæ 651. Hæc me verba pæne addncunt, ut credam, quia Lucilinm laudat, hanc Trebonii satiram poëtico numero inclusam fuisse.

[k] *Ad tuos sermones*] Quos forte Cicero de nece Cæsaris scripturum se promiserat.

[a] *Collegæ*] In auguratu.

[b] *Tumultuosiora*] De Quinto Cæcilio Basso, et Sexto Julio sic inter se dissidentibus, ut belli inde occasio nata sit, nisi id malis interpretari de belli Parthici metu.

[c] *Tibi sunt propiora*] Quia tum in Africa, cum hæc Cicero scriberet, erat Cornificius.

[d] *Otium est*] Quoniam per se solus, vix adhibito in consilium senatu, Cæ-

sed ita, ut malis salubre aliquod et honestum negotium: [a] quod spero fore. [p. 195.] Video id curæ[3] esse Cæsari.[e] Me scito,[4] dum tu absis, quasi occasionem quandam et licentiam nactum, scribere audacius;[f] et cetera quidem fortasse,[g] quæ etiam tu [b] concederes: sed proxime scripsi de optimo genere dicendi; in quo sæpe suspicatus sum, te a judicio nostro,[5] sic scilicet, ut doctum hominem a non indocto,[h] paululum dissidere. Huic tu libro, maxime velim ex animo; si minus,[6] gratiæ causa suffragere.[c] Dicam tuis, ut eum, si velint, describant, ad teque mittant. Puto enim, etiamsi rem minus probaris,[7] tamen in ista solitudine,[i] quicquid a me profectum sit, jucundum tibi fore. Quod mihi existimationem tuam dignitatemque commendas, facis tu quidem omnium more: sed velim sic existimes, me, cum amori,[8] quem inter nos mutuum esse intelligam, plurimum tribuam, tum de summo ingenio, et de studiis

[a] *Sic tamen ut huic otio forensem et honestam occupationem præferres.*

[b] *Me scito ex absentia tua occasionem habuisse scribendi audacius de Arte Rhetorica, sed et quædam alia componendi, quæ etiam tu, &c.*

[c] *Si non ex animo, saltem gratiæ causa faveas.*

quidem quia.—3 Ita codd. Victorii, Pall. 1. 6. Dresd. 1. 2. *Quia video, id curæ* Torg. Lips. Dresd. 4. 5. Ascens. 1.—4 *Merito* Pal. 6. *dum tu abes* malebat Lamb.—5 Pal. 6. Hitt. *te judicio nostro.* Mox, *ab indocto* Hitt. Stewech. Pal. 6. *a non docto* ψ. *ab non indocto* Dresd. 1. 2. 4. 5. Torg.—6 Lamb. *sin minus.* Pal. 1. *suffragare.*—7 Ita sine libris emend. Ernesti; *probabis* habent codd. et reliquæ edd. Pro *solitudine*, quod servant tres codd. Manutii, Amstel. Medic. Dresd. 3. *v*, *sollicitudine* habent Torg. Lips. Dresd. 1. 2. 4. 5. P ψ.—8 Hitt. *cum amore.* Mox, *esse intelligis* Torg. *esse intelligo* Dresd. 3. *plurimum tribuere* al. ap. Græv. Deinde, *de optimis tuis studiis* edd. vett.

NOTÆ

sar omnia gerebat.

[e] *Id curæ esse Cæsari*] Ut reipublicæ antiquam dignitatem, primamque nobis auctoritatem reddat.

[f] *Audacius*] Fingit Cicero, se non ausum scribere de Arte Oratoria, præsente Cornificio, quoniam et ipse artem hanc apprime callebat; de illa siquidem librum ediderat, ut auctor est Quintil. lib. III.

[g] *Et cetera quidem fortasse*] Philosophica forte intelligit: dissidebant autem, opinor, quod elocutioni Cicero plurimum, Cornificius autem rebus ipsis haud paulo plus quam verbis tribueret.

[h] *A non indocto*] Modeste Tullius, præter consuetudinem, de se prædicat.

[i] *In ista solitudine*] In qua versaris, nullis impeditus negotiis.

tuis optimis, et de spe amplissimæ dignitatis ita judicare, ut neminem tibi anteponam, comparem paucos.

(18.) CICERO CORNIFICIO, COLLEGÆ, S. D.

ARGUMENTUM.—Infrequentiam literarum excusat: Cornificii prudentiam laudat gravitatemque: præsentem reip. casum accusat cum Cæsaris excusatione.

QUOD extremum fuit[1] in ea epistola,[2] quam a te proxime accepi, ad id primum respondebo. Animum adverti enim,[3] hoc vos magnos oratores facere[a] nonnunquam. Epistolas requiris meas: ego autem nunquam, cum mihi denuntiatum esset a tuis, ire aliquem,[4] non dedi.[a] Quod mihi videor ex tuis literis intelligere, te nihil commissurum esse temere, nec ante, quam scisses,[5] quo iste, nescio qui, Cæcilius Bassus[b] erumperet, quicquam certi constituturum;[b] id ego et speraram, prudentia tua fretus: et, ut confiderem,[c] fecerunt tuæ gratissimæ mihi literæ: idque ut facias quam sæpissime,[d] ut et quid tu agas, et quid agatur, scire possim, et etiam quid acturus sis, valde te rogo. Etsi periniquo patiebar animo, te a me digredi;[e] [6] tamen eo tempore me consolabar, quod et in summum otium[c] te

[a] *Ego autem toties ad te scripsi, quoties mihi nuntiatum est ad te aliquem ire.*
[b] *Quod mihi significas literis tuis, te nihil inconsiderate facturum, neque certi quicquam prius te constituturum, quam scisses quonam seditio a Basso excitata erumperet.*
[c] *Et ut firmior esset spes mea, &c.* [d] *Ut ad me scribas quam sæpissime.*
[e] *Discedere.*

EPIST. XVIII. 1 Hæc Epistola deest in Dresd. 2. et Pal. 1.—2 Vet. cod. ap. Græv. *in illa epistola.*—3 *Animadverti enim* Dresd. 1. 2. 3. 4. 5. Torg. Lips. *v* ψ.—4 Hitt. *ire aliquam.*—5 Idem cod. *scires.* Statim, *certi constituturum* Stewech. *tuæ gratissimæ literæ* Amstel. *tuæ gravissimæ literæ* edd. vett. *idque ut feceras* Pal. 6.—6 Lamb. *degredi.* Statim, *et in summum etiam otium*

NOTÆ

[a] *Hoc vos m. o. facere*] Ut ea primum refellatis, quæ postremo loco ab adversariis objecta sunt.

[b] *Cæcilius Bassus*] Eques Romanus, qui Pompeianas in partes inclinans, bellum excitaverat in Syria, Sextumque Cæsarem, Julii Cæsaris propinquum, a legione desertum sua, perimi jusserat. Totam historiam repete e Dione, lib. XLVII.

[c] *Otium*] De quo in superiori Epist. 'Puto enim, etiamsi rem minus probaris, tamen in ista solitudine, quicquid a me profectum sit, jucundum tibi fore.'

ire arbitrabar, et ab impendentibus magnis negotiis discedere. Utrumque contra accidit: istic[f] [d] enim bellum est exortum: hic[g] pax consecuta:[7] sed tamen ejusmodi pax, in qua, si adesses, multa te non delectarent; ea tamen, quæ ne ipsum Cæsarem quidem delectant. Bellorum enim civilium hi semper exitus sunt, ut non ea solum fiant, quæ velit victor, sed etiam, ut iis mos gerendus sit,[8] quibus adjutoribus sit parta victoria. Equidem sic jam obdurui,[e] ut ludis[f] Cæsaris[9] nostri, æquissimo animo viderem T. Plancum,[g] audirem Laberii[h] et Publii poëmata. Nihil mihi tam deesse scito, quam quicum hæc familiariter docteque rideam. Is tu eris, si quam primum veneris. Quod ut facias, non mea solum, sed etiam tua interesse arbitror.

(19.) M. T. C. CORNIFICIO S. D.

ARGUMENTUM.—Gratulatur de provincia Syria, Cornificio a Cæsare tributa. Si bellum sit Parthicum, ut Bibuli exemplo se mœnibus includat, per jocum monet.

LIBENTISSIME legi tuas literas: in quibus jucundissimum mihi fuit,[1] quod cognovi meas tibi redditas esse. Non enim dubitabam, quin eas lubenter lecturus esses:[2]

f In Syria. *g Romæ.*

Dresd. 1. 4. 5. Torg. *quod in summum etiam* Ascens. 1.—7 Torg. *constituta* pro v. l. *tamen* deest in edd. vett. Mox, *quæ nec ipsum quidem Cæsarem* Hitt. et Pal. 6. *delectent* P ψ, et plurimæ edd. ante Ernesti; *delectant* testantur quinque Dresd. Torg. Lips.—8 Pal. 6. Stewech. *hii semper ... ut his m. g. sit;* Hitt. etiam *ut his.* Deinde, *parta sit victoria* al. ap. Græv.—9 Hitt. Stewech. Pal. 6. quinque Dresd. Torg. Lips. *v* ψ, *ut ludos Cæsaris.* Statim, *et T. Plancum* conj. Benedict.

NOTÆ

[d] *Istic*] Seditionem movente Cæcilio Basso.

[e] *Obdurui*] Consuetudine malorum.

[f] *Ludis*] A Cæsare datis, post victoriam in Hispania contra Pompeii liberos reportatam.

[g] *T. Plancum*] Ciceronis inimicum, qui Cæsaris beneficio Romam rediit, unde lege damnatus, exulatum ante discesserat. Epist. VII. 2.

[h] *Laberii*] Equitis Romani, Epist. VII. 2. cujus mimi, quæ solutiora sunt poëmata, non admodum probantur Horatio Sat. I. 10. 5. 'Nec tamen hoc tribuens, dederim quoque cetera: nam sic Et Laberi mimos, ut pulchra poëmata, mirer.'

verebar, ut redderentur.[a] Bellum, quod est in Syria, Syriamque provinciam tibi tributam esse a Cæsare, ex tuis literis cognovi. Eandem rem[3] [a] tibi volo bene et feliciter evenire: quod ita fore confido, fretus et industria et prudentia tua. Sed de Parthici belli suspicione quod scribis, sane me commovit. [*p.* 196.] Quantum copiarum[4] haberes, cum ipse conjectura consequi poteram, tum ex tuis literis cognovi. Itaque opto,[5] ne se illa gens moveat hoc tempore, dum[b] ad te legiones eæ perducantur, quas audio duci. Quodsi pares[6] copias ad confligendum non habebis, non te fugiet uti consilio M. Bibuli,[c] [b] qui se oppido munitissimo et copiosissimo tamdiu tenuit, quamdiu in provincia Parthi fuerunt. Sed hæc melius ex re et ex tempore constitues. Mihi quidem usque[d] curæ erit,[7] quid agas, dum, quid egeris, sciero. Literas ad te nunquam habui cui darem, quin dederim. A te, ut idem facias, peto; inprimisque, ut ita ad tuos[8] scribas, ut me tuum sciant esse.

(20.) CICERO CORNIFICIO.[1]

ARGUMENTUM.—Jocatur, quod Sinuessanæ villæ hospitio uti noluerat: et crebras literas poscit.

GRATÆ mihi tuæ literæ, nisi quod Sinuessanum diver-

[a] *Timebam, ne non redderentur.*
[b] *Ut Parthi bellum non inferant, donec, &c.*
[c] *Memineris facere quod fecit Bibulus.* [d] *Semper.*

EPIST. XIX. 1 Codex unus Oxon. *mihi quidem fuit.*—2 *Non enim d. q. e. l. l. esses* desunt in eodem cod. Actutum, pro *verebar ut,* P habet *sed ne;* ψ et edd. vett. *verebar ne.*—3 *Eam rem* Lamb.—4 *Quid enim copiarum* Hitt. Stewech. Pal. 6. Mox, *ex literis tuis* Hitt.—5 Ita Torg. Dresd. 3. 4. 5. *Ita opto* Dresd. 1. 2. Lips. Statim, *hæ perducuntur* Hitt. Victor. *eæ* deest in Stewech.—6 *Quod si paris* Hitt. Pro *fugiet* codex unus Oxon. habet *fugarum.*—7 Hitt. *curæ eris.*—8 Cod. ψ *ut ita ad nos.* Denique, *tuum sentiant esse* al. ap. Græv. *Vale* subjungit *v.*

EPIST. XX. 1 Ita Hitt. Stewech. Amstel. alii codd. *Cicero Cornificio Col-*

NOTÆ

[a] *Eandem rem*] Et belli scilicet Parthici, et Syriæ administrationem.

[b] *M. Bibuli*] Quo tempore Ciliciam Cicero, eodem Bibulus Syriam administrabat: hic Antiochiæ mœnibus se continuit quamdiu cis Euphratem Parthi fuerunt; triumphum nihilominus decerni sibi petiit.

soriolum[2] [c] contemsisti. Quam quidem contumeliam villa pusilla iniquo animo feret,[3] nisi in Cumano et Pompeiano[e] reddideris πάντα περὶ πάντων.[f] [d] Sic igitur facies, meque amabis, et scripto aliquo lacesses. Ego enim respondere facilius possum, quam provocare. Quodsi, ut es, cessabis,[g] [4] lacessam; nec tua ignavia etiam inertiam afferet. Plura otiosus.[5] Hæc, cum essem in senatu, exaravi.[h]

(21.) M. T. C. CORNIFICIO S. D.

ARGUMENTUM.—Anicium senatorem, ejusque negotia et dignitatem commendat.

CAIUS ANICIUS,[1] familiaris meus, vir omnibus rebus ornatus, negotiorum suorum causa legatus est in Africam legatione libera.[e] Eum velim rebus omnibus[2] adjuves, operamque des, ut quam commodissime sua negotia conficiat: inprimisque (quod ei carissimum est[3]) dignitatem ejus tibi commendo: idque a te peto, quod ipse in provincia facere sum solitus non rogatus, ut omnibus senatoribus lictores

[e] *Nisi in Cumana et Pompeiana villa.*
[f] *Omnia de omnibus.*
[g] *Sin autem piger eris, quæ tua est consuetudo.*
[h] *Festinanter scripsi.*

legæ edd. vett.—2 Pal. 1. *deversiolum;* Pal. 6. *v* ψ *diversiolum;* Amstel. *diversiorum.*—3 Ita Dresd. 3. et Torg. *ferret* Lips. Dresd. 1. 2. 4. 5. Mox, *redieris* Stewech. περὶ πάτων Hitt.—4 *Quod si, ut es delicatus, cessabis* Pal. 6. Mox, *etiam mihi inertiam* Lamb. *etiam mi inertiam* Gulielm. *etiam* deest in P. Pro *afferet,* quod servant Dresd. 1. 2. 4. 5. Torg. Lips. *afferat* habent codd. Græv. Dresd. 3. edd. vett.—5 *Plura otiotius* Stewech.

EPIST. XXI. 1 *Caius Anitius* Pall. 1. 6. *Cassius Cunitius* P. *Caius Canutius v.* Mox, *est profectus in Africam* in eodem cod.—2 Duo codd. Grævii *rationibus omnibus.*—3 Codex unus Oxon. *quod et carissimum est.* Mox, *quod in provincia* ψ. Paulo post, *quod idem acceperum, et id cognoveram* Stewech. Amstel. Dresd. 1. 2. 4. 5. Torg. ψ, Venet. Ascens. 1. *quod id acceperam, et cogno-*

NOTÆ

[c] *Diversoriolum*] Quo divertere noluerat Cornificius in Africam discedens. Sinuessa urbs maritima Campaniæ.

[d] Πάντα περὶ πάντων] Significatur his verbis ampla debiti compensatio, *rendre au double ce qu'on doit.*

[e] *Legatione libera*] Quæ concedi solebat senatoribus, cum in provincias ibant, ut sua, non reipublicæ negotia procurarent. Vide Epist. XI. 1. Nomen autem legati Romani mirum quantopere exteræ nationes venerarentur.

darem;[i] quod idem acceperam et cognoveram a summis viris factitatum. Hoc igitur,[4] mi Cornifici, facies: ceterisque rebus omnibus ejus dignitati reique, si me amas, consules: id erit mihi gratissimum. Da operam, ut valeas.[5]

(22.) M. T. C. S. P. D. CORNIFICIO.

ARGUMENTUM.—Narrat de statu reip. post Cæsaris interitum: et ne provinciam sine senatusconsulto tradat, hortatur.

Nos hic cum homine gladiatore,[a] [a] omnium nequissimo, collega[b] nostro,[1] Antonio, bellum gerimus; sed non pari conditione, contra arma verbis. At etiam de te concionatur:[b] nec impune; nam sentiet, quos lacessierit. Ego autem acta ad te omnia arbitror[2] perscribi ab aliis: a me futura debes cognoscere: quorum quidem non est difficilis conjectura. Oppressa omnia sunt; nec habent ducem boni: nostrique τυραννοκτόνοι[c] longe gentium[c] absunt. Pansa[3] [d] et sentit bene, et loquitur fortiter: Hirtius noster tardius convalescit.[e] Quid futurum sit, plane nescio. Spes tamen una est,[4] aliquando populum Romanum majorum similem fore.[d] Ego certe reipublicæ non deero: et, quicquid acciderit, a quo mea culpa absit, animo forti feram.

[i] *Idque a te peto, ut Cornificio facias, quod ego ipse, &c. lictores ei scilicet honoris causa concedas.*

[a] *Cum homine sanguinario.*

[b] *Etiam in te oratione invehitur.*

[c] *Tyranni interfectores.*

[d] *Suam libertatem majorum more defensurum.*

veram Mentel.—4 *Hæc igitur* ψ. Mox, *quod erit mihi gratissimum* Dresd. 3. et edd. vett. *id* ignorant Dresd. 1. 2. 4. 5. Torg. Lips. *erit id mihi, &c.* Bengel.—5 *Da operam ut valeas* desunt in ψ.

EPIST. XXII. 1 Ita Torg. Dresd. 4. 5. P *v*, Græv. 2. et edd. vett. *collega vestro* Lips. Dresd. 1. 2. 3. codd. Græv. ψ. Mox, *sed non pari contentione* codd. Græv. Dresd. 4.—2 Hitt. *arbitrabar;* Pal. 6. *arbitrabor.*—3 *De consulibus creatis Pansa* al. ap. Græv.—4 Edd. vett. *est una.* Statim, *aliquando*

NOTÆ

[a] *Gladiatore*] Qui cædibus, gladiatorum more, exercitatus erat.

[b] *Collega*] In auguratu.

[c] *Longe gentium*] Brutus et Cassius: ille in Macedonia, hic in Syria tum erat.

[d] *Pansa*] Designatus consul. Cæsar enim, expeditionem Parthicam cogitans, in triennium consules designaverat, uti jam ante observatum est.

[e] *Convalescit*] Pro cujus etiam salute populus Romanus vota fecit.

Illud profecto, quoad potero, tuam famam et dignitatem tuebor. A. d. XIII Kalendas[5] Januar. senatus frequens mihi est assensus, cum de ceteris rebus magnis et necessariis, tum de provinciis, ab iis, qui obtinerent, retinendis,[f] [*p.* 197.] neque cuiquam tradendis, nisi qui ex senatusconsulto successisset. Hoc ego cum reipublicæ causa censui, tum, mehercule, inprimis retinendæ dignitatis tuæ.[e g] Quamobrem te amoris nostri causa rogo, reipublicæ causa hortor, ut ne cui quicquam juris in tua provincia esse patiare: atque ut omnia referas ad dignitatem;[6] qua nihil potest esse præstantius. Vere tecum agam, ut necessitudo nostra postulat. In Sempronio,[h] si meis literis obtemperasses, maximam ab omnibus laudem adeptus esses. Sed illud et præteriit, et levius est. Hæc magna res est: fac ut provinciam retineas in potestate reipublicæ. Plura scripsissem, nisi tui festinarent. Itaque Cherippo nostro me velim excuses.[i]

(23.) M. T. C. P. CORNIFICIO S. D.

ARGUMENTUM.—Respondet ad ea, quæ Stratorius nuntiaverat de provincia: deinde reip. formam describit, et philosophiam laudat.

OMNEM[1] conditionem imperii tui, statumque provinciæ mihi demonstravit Stratorius.[2] O multa intolerabilia locis

[e] *Provinciæ tuæ.*

R. P. Hitt.—5 Duo codd. Grævii *a. d. XVIII Kal.* P et edd. vett. *ad XIII Kal.* Actutum, *senatus aut frequens* Hitt. et Pal. 6. *senatus autem frequens* Stewech. Pal. 1. *v.* Deinde, *qui obtinent v.*—6 Dresd. 3. *ad dignitatem senatus.* Actutum, *qua nihil possit v.*

EPIST. XXIII. 1 Amstel. et Dresd. verba *Omnem conditionem,* usque ad *hæc posterius,* cum antecedenti Epist. connectunt, et novam Epist. a verbis *Rerum urbanarum, &c.* incipiunt. Dresd. 1. 3. 5. Torg. Lips. P *v,* Ascens. 1. et a verbis *Omnem conditionem,* et ab illis *Rerum urbanarum* novam inchoant Epist.—2 *Statorius* conj. Manut. *Tratorius* codd. multi ap. Græv. Dresd.

NOTÆ

[f] *Retinendis*] Censuit Cicero ex lege Julia, provincias esse retinendas ab iis, qui eas tum obtinerent.

[g] *Dignitatis tuæ*] Africæ, quam administrabat Cornificius, quamque Antonius Calvisio cuidam sine senatusconsulto tradiderat.

[h] *In Sempronio*] Vide Epist. 25.

[i] *Excuses*] Quod nihil ei rescribam.

omnibus![a] Sed quo tua major dignitas, eo, quæ tibi[3] acciderunt,[b] minus ferenda. Neque enim, quæ tu propter magnitudinem et animi et ingenii moderate fers, a te non ulciscenda sunt, etiamsi non sunt dolenda.[a] Sed hæc posterius. Rerum urbanarum acta tibi mitti[4] certo scio: quod ni ita putarem, ipse perscriberem, inprimisque Cæsaris Octaviani conatum;[c] de quo multitudini fictum[d] ab Antonio crimen videtur,[b] ut in pecuniam adolescentis impetum faceret. Prudentes autem et boni viri, et credunt factum,[c] et probant. Quid quæris? magna spes est in eo.[d] Nihil est, quod non existimetur laudis et gloriæ causa facturus. Antonius autem, noster familiaris,[e] tanto se otio esse intelligit, ut, cum interfectores suos domi comprenderit,[5][f] rem proferre non audeat.[g] A. d. VII Idus[6] Octobr. Brun-

[a] *Quanquam enim dolere non debes ea quæ tu propter, &c. a te nihilominus ulciscenda sunt.*
[b] *Quem Antonius videtur apud populum accusasse.*
[c] *Credunt missos ab Octaviano percussores.* [d] *In Octaviano.*

quinque, Torg. Lips. *Tratonius* ψ. *Tartorius v.*—3 Dresd. 3. *quo tua major est dignitas, eo tibi;* al. ap. Græv. *quo tua major dignitas est, eo quæ tibi.* Statim, *animi ingenii* quinque Dresd. Torg. Ascens. 1. *sint dolenda* P et edd. vett.—4 Codex unus Oxon. omittit *mitti.* Paulo post, *factum ab Antonio v.*—5 P *quæ comprehenderit.*—6 *Ad VI Idus* P. *Itaque ad VII Idus* edd. vett. *Brundusi venerat profectus* Dresd. 1. *Brundusii venerat profectus* Dresd. 2. *Brundusium venerat profectus* Torg. Dresd. 5. Ascens. 1. *Brundusium venerat obviam*

NOTÆ

[a] *Locis omnibus*] Tum Romæ ubi Cicero, tum in Africa, ubi Cornificius erat.

[b] *Quæ tibi acciderunt*] Injuriam significat a Tito Sextio factam, qui Numidiæ rector, Cornificio bellum intulit.

[c] *Octaviani conatum*] Qui se Antonii hostem, defensoremque reipublicæ professus, veteranos privato consilio collegit, firmissimumque ex iis exercitum confecit. Vide Epist. x. 28.

[d] *Fictum*] Finxit Antonius multitudini; sic enim opinatur Cicero, ut eam contra Octavianum incitaret, ejusque in pecuniam ei a Cæsare testamento relictam invaderet: finxit, inquam, missos ab Octaviano, qui se Antonium domi interficerent, eosque comprehensos fuisse. Tradit Suetonius vere missos ad Antonium percussores, quorum tamen insidias effugit.

[e] *Familiaris*] Ironice, nisi malis, olim amicus, nunc meus et reipublicæ hostis.

[f] *Comprenderit*] A Cæsare Octaviano immissos.

[g] *Non audeat*] Veritus, ne forte Cæsaris factum optimo cuique probaretur.

disium erat profectus obviam legionibus[h] Macedonicis IV, quas sibi conciliare pecunia cogitabat, easque ad urbem adducere, et in cervicibus nostris collocare.[e] Habes formam reipublicæ, si in castris[i] potest esse respublica: in qua tuam vicem sæpe doleo, quod nullam partem, per ætatem, sanæ et salvæ reipublicæ gustare potuisti. Atque antehac quidem sperare saltem[7] licebat: nunc etiam id ereptum est.[f] Quæ enim est spes,[8] cum in concione dicere ausus sit Antonius, Cannutium[k] apud eos sibi locum quærere, quibus, se salvo, locus in civitate esse non posset?[g] Equidem et hæc, et omnia, quæ homini accidere possunt, sic fero, ut philosophiæ magnam habeam gratiam,[9] quæ me non modo ab solicitudine abducit, sed etiam contra omnes fortunæ impetus armat: tibique idem censeo faciendum, nec, a quo culpa absit, quicquam in malis numerandum. Sed hæc tu melius. Stratorium[10] nostrum cum semper probassem, tum maxime in tuis rebus summam ejus fidem, diligentiam, prudentiamque cognovi. Da operam: ut valeas, hoc mihi gratius facere nihil potes.[11]

[e] *Et jugum nobis imponere.* [f] *Spes omnis erepta est.*
[g] *Velle sibi conciliare reipub. defensores, qui parum tuti in urbe, Antonio vivo, essent.*

legionibus al. ap. Græv. *Brundisium ierat obviam legionibus* Lamb. Paulo post, *etiam in cervicibus* Stewech.—7 Lips. *sperare salutem.* Mox, *illud ereptum est* edd. vett.—8 Ita Hitt. aliique codd. ap. Græv. *Quæ enim spes est* edd. vett. Paulo post, *esse non possit* Dresd. 3. probante Benedict.—9 Edd. vett. *habeam magnam gratiam.* Actutum, *ab sollicitudine adduxit* Stewech. *ab sollicitudine adducit* Hitt. *ab sollicitudine abduci* Amstel.—10 *Tratorium* codd. Græv. quinque Dresd. Torg. Lips. *v* ψ. *Tractorium* P.—11 Hitt. *nihil potest.* P subjungit *Vale.*

NOTÆ

[h] *Legionibus*] Ex Macedonia reversis post Cæsaris obitum. Erant autem hæ legiones, Martia, quarta, secunda, et trigesima quinta: duæ Antonium secutæ sunt, secunda, et trigesima quinta; Octavianum reliquæ duæ. Vide Appianum, Belli Civilis lib. III. De numero legionum dissentire videtur.

[i] *Si in castris*] Si modo nunc Romæ, quæ ob intestina bella, castris, quam urbi similior est, &c.

[k] *Cannutium*] Tribunum plebis, qui Antonium assidue exagitabat.

(24.) M. T. C. S. P. D. CORNIFICIO.

ARGUMENTUM.—Ut omni cura in remp. incumbat, hortatur. De legatis scribit ad Antonium missis. Pinarium commendat.

EGO nullum locum prætermitto (nec enim debeo) non modo laudandi tui, sed ne ornandi quidem. Sed mea studia erga te et officia malo tibi ex tuorum literis, quam ex meis, esse nota. Te tamen hortor, ut omni cura in rempublicam[1] incumbas: hoc est animi, hoc est ingenii tui, hoc ejus spei, quam habere debes, amplificandæ dignitatis tuæ. [*p.* 198.] Sed hac de re alias ad te pluribus: cum enim hæc scribebam, in expectatione erant omnia: nondum legati[1] redierant, quos senatus non ad pacem deprecandam,[h] sed ad denuntiandum bellum miserat, nisi legatorum nuntio[i] paruisset.[m] Ego tamen, ut primum occasio data est, meo pristino more rempublicam defendi:[2] me principem senatui, populoque Romano professus sum; nec postea, quam suscepi causam libertatis, minimum tempus amisi tuendæ salutis libertatisque communis. Sed hæc quoque[3] te ex aliis malo.[k] T. Pinarium,[4][n] familiarissimum meum, tanto tibi studio commendo, ut majore non possim. Cui, cum propter omnes virtutes, tum etiam propter studia communia, sum amicissimus. Is procurat rationes negotiaque Dionysii nostri,[5] quem et tu multum amas, et ego omnium plurimum. Ea tibi ego non debeo

[h] *Non ad pacem rogandam.* [i] *Mandato.* [k] *Cognoscere.*

EPIST. XXIV. 1 Codex unus Oxon. *in republica.* Statim, *hoc est animi* omittunt Dresd. 3. Pal. 6. Hitt. Tum, *hoc est ejus spei* Amstel. Victor. edd. vett.—2 'Egregia et summo viro digna est Ernestii conj. ut legatur *defendendi;* sed nullus librorum antiquorum eam confirmat. Lips. male *remp. offendi.*' Benedict.—3 *Sed hoc quoque* nonnulli ap. Græv. Mox, *malo cognoscere* Ascens. 1.—4 *Primarium* codex unus Oxon.—5 *Dionysii mei* Lips. et al.

NOTÆ

[1] *Nondum legati*] Ad Antonium missi, ut a Mutinensi obsidione desisteret.

[m] *Paruisset*] Mandato quidem senatus non paruit, sed acie victus, ab obsidione destitit.

[n] *T. Pinarium*] Ex inclyta Pinariorum, et antiquissima familia, quæ tempore Evandri, ante urbem conditam, floruit.

commendare:[6] sed commendo tamen. Facies igitur,[7] ut ex Pinarii, gratissimi hominis, literis, tuum et erga illum et erga Dionysium studium perspiciamus.

(25.*) M. T. C. S. P. D. CORNIFICIO.

ARGUMENTUM.—Ex literis Cornificii SC. factum esse significat: ut in remp. incumbat, hortatur: Lucceio se nulla in re defuturum pollicetur.

LIBERALIBUS[1 a] literas accepi tuas, quas mihi Cornificius altero vicesimo[b] die,[a] ut dicebat, reddidit. Eo die non fuit senatus, neque postero. Quinquatribus[c] frequenti senatu causam tuam egi,[2] non invita Minerva.[d] Etenim eo ipso die senatus decrevit, ut Minerva nostra,[e] custos urbis, quam turbo dejecerat,[f] restitueretur. Pansa[g] tuas literas recitavit. Magna senatus approbatio consecuta est cum summo gaudio,[h] et offensione Minotauri,[i] id est, Calvisii et

[a] *Die vigesima secunda.*

ap. Græv. et *v.*—6 *Eum igitur tibi non debeo commendare* Dresd. 3. *Ea tibi ego commendo tamen sed non debeo commendare* Hitt. unde Gulielm. conj. *commendo, tamen etsi non debeo commendare.*—7 *Facias igitur* Amstel. *v*, Victor. edd. vett. *Pinnarii v.* Idem cod. in fine addit *Vale.*

EPIST. XXV. * Hæc quoque Epist. in Amstel. priori annectitur.—1 *Liberalias v. Tralibus* ψ. Mox, *altero vicem sum hodie, ut dicebat* Dresd. 1. 2. Grut. *alter cui censum hodie, ut dicebat* Dresd. 5. Ascens. 1. *alter qui censum hodie, ut*

NOTÆ

[a] *Liberalibus*] Die qui sacer erat Baccho, qui Liber quoque nominatur: erat autem dies XVI Kal. April.

[b] *Altero vicesimo*] Postquam scriptæ fuerant.

[c] *Quinquatribus*] Dies erat Minervæ sacer, Quinquatrus dictus, quia quinto die post Idus (qui dies appellabatur ater) celebrari solebat.

[d] *Non invita Minerva*] Id jocose dictum. Ciceroni Minerva favit, quoniam ejus simulacrum, quod turbo dejecerat, senatus hoc die restitui jussit.

[e] *Minerva nostra*] Jure suam appellat, quia prius in exilium quam discederet, Minervæ statuam, quam domi jam diu religiosissime colebat, in Capitolio collocavit, dedicavitque, hac inscriptione superaddita, 'Urbis Custodi.'

[f] *Turbo dejecerat*] Istuc prodigii loco fuisse Dio notat lib. XLV, vultque Ciceronis mortem tali portento præsignificatam fuisse.

[g] *Pansa*] Sub finem nihilominus Epistolæ, utriusque consulis obitum conqueritur; quare dicendum, Epistola hac una, duas Epistolas contineri, et posterioris initium ducendum ab illis verbis, 'P. Lucceium,' &c.

[h] *Cum summo gaudio*] Optimi cujusque civis.

[i] *Minotauri*] Calvisii Tauri, quem ob convenientiam nominis, sic jocose

Tauri.[3] Factum de te[4] senatusconsultum honorificum. Postulabatur autem, ut etiam illi notarentur:[b] [5] [k] sed Pansa clementior.[l] Ego, mi Cornifici, quo die primum in spem libertatis ingressus sum, et cunctantibus ceteris a. d. XIII Kal. Jan. fundamenta jeci reipublicæ,[6] eo ipso die providi multum, atque habui rationem dignitatis tuæ. Mihi enim est assensus senatus de obtinendis[m] provinciis. Nec vero postea destiti labefactare eum, qui summa cum tua injuria, contumeliaque reipublicæ provinciam absens[n] obtinebat. Itaque crebras, vel potius quotidianas compellationes[o] meas non tulit, seque in urbem[p] recepit invitus: neque solum spe,[q] sed certa re jam et possessione deturbatus est meo justissimo honestissimoque convicio.[r] Te tuam[7] dignitatem summa tua virtute tenuisse, provinciæque honori-

[b] *Notarentur infamia.*

dicebat Torg.—2 Pal. 6. *ego.*—3 *Clavisii et Tauri* Torg. *Clavis et Tauri* Dresd. 1. 2. 4. 5. Lips. alii ap. Græv. *Calvisi et tauri* Pal. 6. *Calvisii et Tauri*, ut gloss. censet tollendum esse Manut.—4 Al. ap. Græv. *de te est.*—5 Ita Dresd. 4. Guelf. 1. 2. Lips. edd. vett. *Postulabatur ut etiam illi notarentur* Amstel. et edd. vett. *Postulabatur autem etiam illi notarentur* Pal. 1. Dresd. 1. 2. Victor. Gebh. *Postulabatur etiam aut illi notarentur* Mentel. *Postulabatur etiam aut illi ut vocarentur* Græv. 2. *Postulabatur autem, etiam ut illi notarentur* Dresd. 5. Ascens. 1.—6 Pal. 6. Amstel. Dresd. 1. 2. Victor. *fundamenta reip. jeci.* 'Videtur vocabulum *reipublicæ* a librariis male repetitum esse, quia alii libri ante v. *jeci*, alii post illud collocabant hoc vocabulum.' *Benedict.*—7 Grut. et al. vett. *deturbatus est. Meo j. h. convicio te tuam, &c.* Mox, *provinciæ hono-*

NOTÆ

appellat: eorum sententiæ lubens accesserim, qui putant, addita a librariis hæc verba, *id est, Calvisii et Tauri.*

[k] *Notarentur*] Legati, Calvisii Tauri, qui ejus nomine Africam administrare volebant, in quo magnopere tua dignitas violabatur.

[l] *Pansa clementior*] Obstitit, ne infamiæ labes eorum aspergeretur nomini.

[m] *De obtinendis*] Cicero dedit operam, ut iidem provincias obtinerent, a quibus ante necem Cæsaris obtinebantur, neque quisquam succederet absque senatusconsulto; quod nisi ita fuisset a senatu decretum, Calvisius ab Antonio consule missus, Africæ provinciam, summo Cornificii et damno et dedecore obtinuisset.

[n] *Absens*] Per legatos, quos ipse ad urbem profectus, Uticæ reliquerat.

[o] *Compellationes*] Objurgationes, quibus, ut in urbem, imperio deposito, rediret, urgebam.

[p] *In urbem*] Nam ante ad urbem cum imperio aderat.

[q] *Spe*] Obtinendæ provinciæ, quam Cornificius habebat.

[r] *Honestissimo convicio*] Quo Calvisium exagitavit.

bus amplissimis affectum, vehementer gaudeo. Quod te mihi de Sempronio[s] purgas, accipio excusationem: fuit enim illud quoddam cæcum tempus[8 t] servitutis. Ego tuorum consiliorum auctor, dignitatisque fautor,[9] iratus temporibus, in Græciam, desperata libertate, rapiebar; cum me Etesiæ,[u] quasi boni cives,[x] relinquentem rempublicam prosequi noluerunt;[y] austerque adversus maximo flatu me ad tribules[z] tuos Rhegium[a] retulit: atque inde ventis, remis in patriam omni festinatione properavi, postridieque in summa reliquorum servitute liber unus fui. Sic sum in Antonium invectus, ut ille non ferret, omnemque suum violentum[10] furorem in me unum effunderet, meque cum elicere vellet[b] ad cædis causam, tum tentaret insidiis:

ribus Hitt. Pal. 6.—8 Ita Dresd. 3. Hitt. Pal. 6. Mentel. duo codd. Manutii, et Torg. Alii habent *Græcum tempus*, vel *gratum tempus*, vel *grave tempus*, vel denique *egregium tempus*.—9 Vet. cod. Grævii *dignitatis fautor;* Hitt. Stewech. Pal. 1. Amstel. *dignitatique fautor.* Mox, *austerque aversus* Pal. 6. Tum, *ad Tribullos suos* Stewech. *ad tribulos tuos* Amstel. *Regium retulit* Pal. 1. Amstel. *Rhegium attulit* Hitt. Pal. 6. *Rhegium appulit* conj. Gulielm. Deinde, *rentis remisque* quinque Dresd. Torg. Ascens. 1.—10 Ita Dresd. 1. 2. alii codd. et Ascens. 1. *violetum* Dresd. 3. *violentum* Dresd. 5. Torg. al. ap. Græv. *inviolentum* Dresd. 4. Statim, *tum elicere* Hitt. Stewech. *tum tentare* Dresd. 1. 2. 5. Torg. Pro *conjeci* quod solus Guelf. 2. habet a m. sec. *confeci* legitur in quinque Dresd. duobus Pall. Torg. Lips. Hitt. Stewech. Amstel.

NOTÆ

[s] *De Sempronio*] In eo quod te excusas, quod Sempronio provinciam tradere nolueris, quamvis eam legitime, et ex senatusconsulto petere videretur.

[t] *Cæcum tempus*] Sic melius videtur stare sententia, quam si legatur *Græcum;* significat enim obscurum, spissisque involutum tenebris tempus, ob discordias civiles, ut quid rectum, honestumque sit, vix appareat.

[u] *Etesiæ*] Venti scilicet ab Italia in Græciam euntibus secundi.

[x] *Boni cives*] Ciceronis discessum, tanquam perniciosum reipublicæ, inique passi.

[y] *Prosequi noluerunt*] Cum quadraginta continuos dies spirare soleant; in locum autem Etesiarum successit Auster, a quo rejectus est.

[z] *Ad tribules*] Qui in tua tribu sententiam ferunt.

[a] *Rhegium*] Ad Leucopetram Rhegii, agri Rhegiensis promontorium.

[b] *Elicere vellet*] Ea mente Ciceronem in senatum vocaverat Antonius, ut eum interficeret; quod suspicatus Cicero, respondit, se per valetudinem domo pedem efferre non posse. Iratus Antonius, minatus est ejus se disturbaturum ædes. Postridie affuit in senatu Cicero, et absente Antonio, summa cum libertate locutus est. Idem venire jussus ab Antonio ante diem XIII Kal. Oct., recusavit; intellexerat enim Tullius, abs

quem ego ructantem et nauseantem conjeci in Cæsaris Octaviani[c] plagas.[c] [*p.* 199.] Puer enim egregius præsidium sibi primum et nobis, deinde summæ reipublicæ comparavit: qui nisi fuisset, Antonii reditus a Brundisio[d] pestis patriæ fuisset.[d] Quæ deinceps acta sint, scire te arbitror. Sed redeamus ad illud,[11] unde divertimus. Accipio excusationem tuam de Sempronio: neque enim statuti quid in tanta perturbatione habere potuisti. 'Nunc hic dies aliam vitam defert,[12] alios mores postulat,' ut ait Terentius. Quamobrem, mi Quinte, conscende nobiscum, et quidem ad puppim.[13][e] Una navis est jam bonorum omnium: quam quidem nos damus operam, ut rectam teneamus: utinam prospero cursu! Sed quicumque venti erunt, ars nostra certe non aberit.[14] Quid enim præstare aliud virtus potest? Tu fac magno animo sis[15] et excelso, cogitesque, omnem dignitatem tuam cum republica conjunctam esse debere. P. Lucceium[16] mihi meum commendas: quem, quibuscumque rebus potero, diligenter tuebor. Hirtium quidem et Pansam, collegas nostros,[f] homines in consulatu reipublicæ[17] salutares, alieno[e] sane tempore[g]

[c] *Quem ego cruditatem vini exhalantem, et stomachi fastidio laborantem, in Cæsaris retia conjeci.*

[d] *Qui puer Octavius, nisi affuisset, ac restitisset Antonio; exitium patriæ reditus Antonii attulisset.* [e] *Incommodo.*

Mentel. Græv. 2. Venet. Mediol. al. vett.—11 *Sed redeamus illuc* Dresd. 1. 2. 3. 5. Torg. vet. cod. ap. Græv. ψ, aliique codd. Victorii; *Sed redeamus illud* P. *unde derertimus* Vat.—12 Al. ap. Græv. *affert.*—13 Dresd. 3. *equidem ad puppim.*—14 Stewech. *nostra non deerit.*—15 Ita codd. Victorii, Pall. 1. 6. Dresd. 1. *Tu fac ut magno animo sis* Torg. *Tu fac, ut animo magno sis* Dresd. 2. 3. 4. Ascens. 1. al. vett.—16 *P. Luccium* Pal. 1. Victor. Gebh. *P. Luctium* Hitt. *P. Lutium* Pal. 6. P. *P. Lucium v.* Mox, *quibuscumque potero rebus* Hitt.—17 Codex unus Oxon. *respublica.* Mox, *respublica Antoniano*

NOTÆ

se Antonium cædis initium facere velle.

[c] *In Octaviani*] A quo oppressum iri Antonium Tullius confidebat.

[d] *A Brundisio*] Quo profectus erat obviam legionibus Macedonicis, quas sibi conciliare pecunia cogitabat, easque ad urbem adducere, et in cervicibus nostris collocare.

[e] *Ad puppim*] Ad quam gubernator sedet: translatio a navi fluctibus agitata.

[f] *Collegas nostros*] In auguratu.

[g] *Alieno tempore*] Cum eorum consilio et virtute respublica maxime indigebat.

amisimus, republica Antoniano quidem latrocinio liberata, sed nondum omnino explicata:[f] quam nos, si licebit, more nostro tuebimur, quanquam admodum sumus jam defatigati.[18] Sed nulla lassitudo impedire officium et fidem debet. Verum hæc hactenus. Ab aliis te de me, quam a me ipso, malo cognoscere. De te audiebamus ea, quæ maxime vellemus. De Cn. Minucio,[19][i] quem tu quibusdam literis ad cœlum laudibus extulisti, rumores duriores erant. Id quale sit, omninoque, quid istic agatur, facias me[20] velim certiorem.

(26.) CICERO CORNIFICIO S. D.

ARGUMENTUM.—Hæredes Q. Turii, de bonis in Africa relictis, commendat.

Q. TURIUS,[1] qui in Africa negotiatus est, vir bonus et honestus, hæredes fecit similes sui,[k] Cn. Saturninum, Sex. Aufidium, C. Anneium, Q. Considium Gallum, L. Servilium Postumum, C. Rubellium: ex eorum oratione intellexi, gratiarum actione eos magis egere, quam commendatione. Tanta enim liberalitate[l] se tua usos prædicabant, ut iis plus a te tributum intelligerem, quam ego te auderem rogare.[2] Audebo tamen: scio enim, quantum ponderis mea commendatio sit habitura. Quare a te peto, ut ad

[f] *Sed nondum prorsus expedita.*

Stewech. probante Græv.—18 Hitt. et Pal. 6. *sumus defatigati;* edd. vett. *simus defatigati.*—19 *Minutio* edd. vett.—20 Dresd. 1. *facias et me.*

EPIST. XXVI. 1 *Q. Curius* codd. Græv. Dresd. 1. 3. *Q. Tutius* P. Mox, *Cn. Saturnium* Pal. 6. *Cn. Anneium* edd. vett. *C. Rubellinum* codd. Græv. *C. Rubelinam* P *v* ψ. *C. Rubelium* Pall. 1. 6. Deinde, *ex quorum oratione* Dresd. 3. *ex eorum ratione* ψ.—2 Ita Hitt. Stewech. Pall. 1. 6. Victor. *aude-*

NOTÆ

[h] *Nondum omnino explicata*] Quia victum ad Mutinam Antonium elabi victores permiserant.

[i] *De Cneio Minucio*] Vel erat is Cornificii legatus, vel finitimam ei regionem administrabat: suspicatur Hubertinus eum esse, quem postea prætorem urbis, et in foro concionantem, Antonii tunc triumviri milites interfecerunt.

[k] *Similes sui*] Id est bonos et honestos. Honestas autem pro splendore familiæ, non pro moribus hic sumenda est.

[l] *Liberalitate*] Non quod suas illis opes elargitus esset, sed quia singulari in eos humanitate usus erat.

eam liberalitatem,[3] qua sine meis literis usus es, quam maximus his literis cumulus accedat. Caput autem est meæ commendationis, ne patiare, Erotem Turium,[4] Q. Turii libertum, ut adhuc fecit, hæreditatem Turianam avertere,[g] ceterisque omnibus rebus habeas eos commendatissimos. Magnam ex eorum splendore et observantia[m] capies voluptatem. Quod ut velis, te vehementer etiam atque etiam rogo.

(27.) M. T. C. S. P. D. Q. CORNIFICIO.

ARGUMENTUM.—Aufidii, equitis Romani, Africana negotia commendat.

SEX. AUFIDIUS et observantia, qua me colit, accedit ad proximos;[h] et splendore equiti Romano[1] nemini cedit. Est autem ita temperatis[2] moderatisque moribus, ut summa[n] severitas summa cum humanitate jungatur. Cujus tibi negotia, quæ sunt in Africa, ita commendo, ut majore studio, magisve ex animo, commendare non possim. Pergratum mihi feceris, si dederis operam, ut is intelligat, meas apud te literas maximum pondus habuisse. Hoc te vehementer, mi Cornifici, rogo.[3]

[g] *In eo autem commendatio mea maxime sita est, ut non sinas Erotem Turii hæreditatem suam facere.*

[h] *Proximis meis æquari potest.*

rem te rogare vulgg. ante Græv.—3 Codex unus Oxon. *libertatem.*—4 *Eroten Turium* Amstel. Stewech. Pal. 6. *Erotententurium* ψ. *Erotem Thulum* P. Mox, *Turianam hæreditatem* Hitt. Denique, *eos a me commendatissimos* quinque Dresd. Torg. Ascens. 1.

EPIST. XXVII. 1 Stewech. quinque Dresd. Torg. *v* ψ, Ascens. 1. al. vett. *equitis Romani.*—2 *Est ita temperatis* Hitt.—3 *Vale* subjungit cod. unus Oxon.

NOTÆ

[m] *Splendore et observantia*] Hæc verba opum abundantiam, generis nobilitatem, honestatem morum significant.

[n] *Ut summa*] Horum virtutum difficilis societas, quam in Marco Bruto mirifice Tullius extollit, in libro de Perfecto Oratore: 'Quid tam distans, quam a severitate comitas? quis tamen unquam te aut sanctior habitus est, aut dulcior?'

(28.) M. T. C. S. P. D. Q. CORNIFICIO.

ARGUMENTUM.—Quod Cornificius in eos, qui Lilybæo minati fuerant, non animadverterat, leviter reprehendit: contra laudat ejus in remp. studium: addit de pecunia et republica.

[*p.* 200.] ASSENTIOR tibi,[1] eos, quos scribis Lilybæo[a] minari, istic[b] pœnas dare debuisse:[a] sed metuisti,[c] ut ais, ne nimis liber[2] in ulciscendo viderere. Metuisti igitur, ne gravis civis,[3] ne nimis fortis, ne nimis te dignus viderere. Quod societatem reipublicæ conservandæ tibi mecum a patre acceptam[b] renovas, gratum est: quæ societas inter nos semper, mi Cornifici, manebit. Gratum etiam illud, quod mihi tuo nomine[c][4] gratias agendas non putas: nec enim id inter nos facere debemus. Senatus sæpius pro dignitate tua appellaretur,[5] si, absentibus[d] consulibus, unquam, nisi ad rem novam, cogeretur. Itaque nec de H-S XX,[e] nec de H-S DCC,[f] quicquam agi nunc per senatum potest. Tibi autem ex senatusconsulto imperandum, mutuumque sumendum censeo.[d] In republica quid agatur,

[a] *Sentio tecum, ii quos scribis Lilybæo oppido cladem esse minatos, debuerunt istic, ubi es, puniri.*
[b] *Tibi a patre relictam.* [c] *Tua causa.*
[d] *Pecuniam ad alendos milites mutuam sumas censeo, et potestate imperandi tibi a senatu dutu utaris.*

EPIST. XXVIII. 1 Hæc Epist. in Amstel. adhæret priori.—2 Quinque Dresd. Torg. Lips. Pal. 1. Græv. 2. Stewech. Amstel. *v ψ minus liber.*—3 Stewech. *ne minus gravis civis.* Actutum, *ne minus fortis, ne minus te, &c.* codd. Græv. Verba, *Metuisti i. ne g. c. ne n. f. ne n. te d. viderere*, desunt in ψ.—4 Ita Dresd. 2. *quod tuo nomine*, omisso *mihi*, Dresd. 1. 2. 5. Ascens. 1. *quod in tuo nomine* Torg. *tibi tuo nomine* Dresd. 4. *mihi quod tuo nomine* Hitt.—5 Ita Dresd. 3. et edd. vett. *appellaret* Dresd. 1. 2. 4. 5. Amstel. alii codd. ap.

NOTÆ

[a] *Lilybæo*] Lilybæum, promontorium et urbs Siciliæ, ex adverso Libyæ, unde Lilybæum dicitur: *Capo Coco*, et urbs, *Marsella*.

[b] *Istic*] Ubi erat Cornificius, nec mitti debuisse Romam, ut in eos pœna constitueretur.

[c] *Sed metuisti*] Eosque propterea misisti Romam, ut ibi sceleris sui pœnas darent.

[d] *Si absentibus*] Hirtius et Pansa Mutinam contra Antonium discesserant: absentibus autem consulibus, cogere senatum non licebat, nisi res nova, eaque gravissima urgeret.

[e] *H-S XX*] Sestertium vicies, quæ summa redit ad ducenta millia librarum Gallicarum.

[f] *H-S DCC*] Sestertium septingenties: hæc summa efficit septem

credo te ex eorum literis cognoscere, qui ad te acta debent perscribere. Ego sum spe bona: consilio, cura, labore non desum: omnibus inimicis reipublicæ esse me[6] acerrimum hostem, præ me fero. Res neque nunc[7] difficili loco mihi videtur esse: et fuisset facillimo,[e] si culpa a quibusdam[g] abfuisset.

(29.) M. T. C. S. P. D. Q. CORNIFICIO.

ARGUMENTUM.—Lamiæ negotia commendat: eum suspectum Cornificio excusat. Hirtio et Pansa coss.

NON modo tibi,[1] cui omnia nostra notissima sunt, sed neminem in populo Romano arbitror esse, cui sit ignota ea familiaritas, quæ mihi cum L. Lamia[a] est. Etenim magno theatro spectata[a] est tum, cum est ab Gabinio[2] consule relegatus, quod libere et fortiter salutem meam defendisset. Nec ex eo[b] amor inter nos natus est: sed quod erat vetus et magnus, propterea nullum periculum pro me adire dubitavit. Ad hæc officia,[b] vel merita potius, jucundissima consuetudo accedit, ut nullo prorsus plus homine delecter.[3] Non puto te jam expectare, quibus eum tibi verbis commendem:[4] causas enim tanti amoris intelligis: quæ verba desideret, iis me omnibus usum

[e] *Respublica nunc in bono satis esset statu.*
[a] *Palam, in omnium oculis declarata.* [b] *Nec ex ea defensione.*

Græv. *v ψ.*—6 Ita Dresd. 3. 4. *me* deest in Dresd. 1. 2. 5. Torg. Lips.—7 *Res nunc* Dresd. 1. 2. 4. Torg. al. ap. Græv. Mox, *facillima ψ*, et al. ap. Græv. *si culpa a q. fuisset* Hitt. Stewech. *si culpa a q. affuisse* Amstel.

EPIST. XXIX. 1 *Non modo te* edd. vett. Statim, *in republ. arbitror esse* Torg. Dresd. 3. *v.*—2 *Gabino ψ. quod l. et f. s. m. defendisset* desunt in *v.*—3 Hitt. *delectet; v delector.*—4 Hitt. *quibus hunc tibi verbis commendarim;* Dresd. 1. 2. 3. 4. Torg. Lips. Pall. 1. 6. Stewech. *v ψ*, etiam *commendarim;* Amstel. et margo Crat. *commendarem.* Actutum, *causa* Torg. Amstel. Pal. 1.

NOTÆ

milliones, ut vocant, librarum Gallicarum.

[g] *A quibusdam*] Qui reipublicæ partes perfidiose reliquerunt.

[a] *Cum L. Lamia*] Lamia Æliæ gentis erat, et equestris ordinis princeps, quando in exilium a Gabinio consule pulsus est, quod Ciceronis defensionem adversus Clodium acerrime suscepisset.

[b] *Officia*] Officia proprie ad debitum, merita ad liberalitatem pertinent.

putato. Tantum velim existimes, si negotia Lamiæ, procuratores, libertos,[5] familiam, quibuscumque rebus opus erit, defenderis, gratius mihi futurum, quam si ea tua liberalitas pertinuisset ad rem familiarem meam. Nec dubito, quin sine mea commendatione, (quod tuum est judicium de hominibus[6]) ipsius Lamiæ causa studiose omnia facturus sis: quanquam erat nobis dictum, te existimare, alicui senatusconsulto, quod contra dignitatem tuam fieret, scribendo Lamiam affuisse;[c] qui omnino, consulibus illis, nunquam fuit ad scribendum:[d] deinde omnia tum falsa senatusconsulta deferebantur. Nisi forte etiam illi[7] Sempronianо[c] senatusconsulto me censes affuisse: qui ne Romæ quidem tum fui,[d] deque eo ad te scripsi, re recenti. Sed hæc hactenus. Te, mi Cornifici, etiam atque etiam rogo, ut omnia Lamiæ negotia mea putes esse, curesque, ut intelligat, hanc commendationem maximo sibi usui fuisse. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Cura, ut valeas.

(30.) M. T. C. S. P. D. CORNIFICIO.

ARGUMENTUM.—Silentium literarum, præter litigantium commendationes, excusat: de renovato bello scribit, et de angustiis pecuniæ publicæ: de Dionysio, Lucceio, et Calvisii legatis.

ITANE, præter litigatores,[1] [e] nemo ad te meas literas?

[c] *Aliquod senatusconsultum, quod erat contra dignitatem tuam, a Lamia confirmatum fuisse.*

[d] *Qui nullum unquam senatusconsultum, Pansa et Hirtio consulibus, scripto et præsentia confirmavit.*

ψ, et Victor. *causam* Dresd. 1. 2. 3. 4. 5. P *v*, Ascens. 1.—5 Cod. ψ et edd. vett. *liberos.* Mox, *opus fuerit v.*—6 Hitt. et Stewech. *judicium est de omnibus.* Statim, *nobis a te dictum v.* Tum, *illis consulibus* al. ap. Græv. *fuit scribendo* P *v* ψ. *affuit scribendo* codd. Græv.—7 Dresd. 1. 2. 4. 5. Lips. *v* ψ *illo;* Dresd. 3. *illi;* Torg. *illius.* Mox, *ne Romæ quidem fui, ut tum de eo ad te scripsi* Amstel. Dresd. 1. 2. 4. 5. Ascens. 1. *ne Romæ quidem fuit, sicut cum de eo ad te scripsi* Dresd. 3. *ne Romæ quidem fui, ut de eo ad te scripsi* Hitt. Vat. Actutum *re* omittunt Dresd. 3. 4. 5. Torg. P *v* ψ.

EPIST. XXX. 1 *Ita præter lit.* Pal. 6. *Itane propter lit. v.* Mox, *ad meas*

NOTÆ

[c] *Sempronianо*] In Sempronii gratiam facto. Vide Epist. 25.

[d] *Qui ne Romæ quidem tum fui*] Roma discesserat, Græciam cogitans, sed Etesiæ abeuntem prosequi noluerunt. Vide Epist. 25.

[e] *Præter litigatores*] Ciceroni scripserat Cornificius, joco-ne, an serio,

multæ[e] istæ quidem: tu enim perfecisti, ut nemo sine literis meis tibi se commendatum putaret: [*p.* 201.] sed quis unquam tuorum mihi dixit esse, cui darem, quin dederim? aut quid mihi[2] jucundius, quam, cum coram tecum loqui non possim, aut scribere ad te, aut tuas legere literas? Illud magis mihi solet esse[3] molestum, tantis me impediri occupationibus, ut ad te scribendi meo arbitratu facultas nulla detur. Non enim te epistolis, sed voluminibus lacessserem; quibus quidem me a te provocari[4] oportebat. Quamvis enim occupatus sis, otii tamen plus habes. Aut, si ne tu quidem vacas,[f] noli impudens esse,[5] nec mihi molestiam exhibere, et a me literas crebriores, cum tu mihi raro mittas, flagitare. Nam cum antea distinebar[6] maximis occupationibus, propterea quod omnibus curis rempublicam mihi tuendam putabam; tum hoc tempore multo distineor vehementius. Ut enim gravius ægrotant ii,[7] qui, cum levati morbo viderentur, in eum de integro inciderunt; sic vehementius nos laboramus, qui, profligato[f] bello, ac pæne sublato, renovatum bellum[g] gerere conamur. Sed hæc hactenus. Tu tibi, mi Cornifici, fac ut

[e] *Itane est, ut nemo ad te literas meas pertulerit, præter homines litibus occupatos? multæ, &c.*

[f] *Aut si neque tu otium habes.*

literas defert P. *quis unquam mihi tuorum dixit* Pal. 6. *quis unquam mihi dixit* Victor.—2 Pal. 6. omittit *mihi.* Statim, *loqui non possum* ψ. *tuas literas legere* vet. cod. Græv.—3 Al. ap. Græv. *solet mihi esse.* Paulo post, *nulla datur* v.—4 Torg. Dresd. 1. 5. Ascens. 1. *quidem a me te provocari;* Dresd. 4. *quidem te a me te provocare;* Dresd. 3. *quidem et me et te provocari.* Pro *oportebat,* quod servant Dresd. 1. 2. al. ap. Græv. P ψ, *oporteret* exhibent Dresd. 3. 5. Torg. Lips. vet. cod. Græv. v. *oportet* Dresd. 4.—5 Cod. ψ *noli tu quidem impudens esse.*—6 Pal. 6. v ψ *destinabar.* Iidem codd. paulo post, *destineor.*—7 Hitt. et Pal. 6. *ægrotantur ii.* Pro *viderentur,* quod legitur in P v, et edd. vett. *videntur* habent plerique codd. et edd. Paulo post, *gerere*

NOTÆ

non constat, homines tantum litibus occupatos ab eo sibi commendari. Ita se Tullius excusat, ut partim assentiatur, partim neget.

[f] *Profligato*] Quæ sunt profligata, non sunt penitus eversa, sed ex parte tantum. Profligatæ autem sunt Mutinensi prælio Antonii copiæ, non prorsus afflictæ, integrum enim equitatum servavit.

[g] *Renovatum bellum*] Lepidi culpa, qui fugientem receperat Antonium.

persuadeas, non esse me[8] tam imbecillo animo, ne dicam inhumano, ut a te vinci possim aut officiis, aut amore. Non dubitabam equidem: verumtamen multo mihi notiorem amorem tuum[9] effecit Cherippus. O hominem, semper illum quidem mihi aptum,[g] nunc vero etiam suavem! Vultus mehercule tuos mihi expressit omnes;[10] non solum animum ac verba pertulit. Itaque noli vereri, ne tibi succensuerim, quod eodem exemplo ad me, quo ad ceteros.[h] Requisivi equidem proprias ad me unum literas;[11] sed neque vehementer, et amanter. De sumtu, quem te in rem militarem facere et fecisse dicis, nihil sane possum tibi opitulari, propterea quod et orbus senatus, consulibus amissis, et incredibiles angustiæ pecuniæ publicæ: quæ conquiritur undique, ut optime meritis militibus[h] promissa solvantur; quod quidem fieri sine tributo[i] posse non arbitror. De Attio Dionysio[12] [k] nihil puto esse, quoniam mihi nihil dixit Stratorius. De P. Lucceio[13] nihil tibi concedo, quo studiosior ejus sis, quam ego sum: est enim nobis necessarius. Sed a magistris[l] cum contenderem de

[g] *Ingenio meo accommodum.*

[h] *Quod ad me literas dederis eodem exemplo quo ad ceteros minus tibi familiares.*

cogamur al. ap. Græv.—8 Hitt. et Pal. 6. *me non esse.* Statim, pro *officiis* ψ habet *officio.*—9 Hitt. *tuum amorem.* Actutum, *Carippus v. Cerippus* ψ. *Charippus* edd. vett.—10 Pal. 6. *omnis.* Mox, *verba protulit* al. ap. Græv.—11 Edd. vett. *ad me unum a te literas.* Statim, *orbus est senatus* Lamb. *quæ conquiruntur undique* Hitt.—12 *De Ateio Dionysio* duo codd. Gulielm. *De Actio Dionysio* Pal. 6. Mox, *dixit Tratorius* quatuor codd. Grævii, quinque Dresd. Torg. Lips. *v*, Benedict. *dixit Antonius* P. *dixit Tritonius* ψ.—13 *De P. Luccio* Victor. et Gebh. *De P. Luctio* Hitt. *De P. Lucio* P ψ. Statim,

NOTÆ

[h] *Optime meritis militibus*] In bello Mutinensi.

[i] *Sine tributo*] Hinc apparet quanta tum erat rei pecuniariæ inopia; neque enim ab Æmilii Pauli temporibus, post devictum Perseum, contigerat, ut populo tributum imponeretur. Vide Plut. in Æmilio.

[k] *De Attio Dionysio*] Eorum mihi conjectura non displicet, qui pro *Attio* reponunt *Attico*, putantque Dionysium hunc significari, qui cum Ciceronis servus esset, et in libertatem post assertus, ex Cicerone et Attico nomina desumsit, vocatusque est Marcus Pomponius Atticus Dionysius.

[l] *A magistris*] Auctionum, ut auctionum diem prorogarent; quanquam nonnulli intelligunt de magistris ali-

proferendo die, probaverunt mihi, sese, quo minus id facerent, et compromisso,[m] et jurejurando impediri.[i] Quare veniendum arbitror Lucceio: quanquam, si meis literis obtemperavit,[14] cum tu hæc leges, illum Romæ esse oportebit. Ceteris de rebus, maximeque de pecunia, cum Pansæ mortem ignorares, scripsisti, quæ per nos ab eo consequi te posse arbitrarere: quæ te non fefellissent, si viveret: nam te diligebat. Post mortem autem ejus quid fieri posset, non videbamus. De Venuleio,[n] Latino, Horatio, valde laudo. Illud non nimium probo, quod scribis, quo illi animo æquiore ferrent, te tuis etiam legatis lictores ademisse. Honore enim digni[o] cum ignominia dignis[15] non erant comparandi: eosque ex senatusconsulto, si non decedunt, cogendos, ut decedant, existimo. Hæc fere ad eas literas, quas eodem exemplo[k 16] binas accepi. De reliquo, velim tibi persuadeas, non esse mihi meam dignitatem tua cariorem.

[i] *Sed cum peterem a magistris auctionum, ut prorogarent diem auctionum, negaverunt se posse, propter jusjurandum et compromissum inter magistros auctionum factum.* [k] *Iisdem verbis.*

quo studiosior tu ejus sis Hitt. *quod studiosior ejus sis* edd. vett.—14 Ita Amstel. Pall. 1. 6. Victor. al. *obtemperaverit* codex unus Oxon. et edd. vett.—15 Ita Pall. 1. 6. *Honore e. d. c. i. non dignis* al. ap. Græv. *Honore enim cum i. dignis* Amstel. P *v* ψ, Manut. al. vett. Deinde, *eoque ex senatus, &c.* edd. vett. *eos ex sen.* Torg. Dresd. 1. 2.—16 Codex unus Oxon. *quas eodem ipso.*

NOTÆ

cujus societatis, cui Lucceius pecuniam debebat. Illud autem observa: quando cujuspiam bona in auctione vendebantur, hæredes, aut creditores eligebant, qui præesset illi auctioni; isque dicebatur 'Magister auctionis.'

[m] *Compromisso*] Compromissum mutua erat promissio magistros inter facta, ut ne cui debitori diem solvendo prorogarent.

[n] *De Venuleio, &c.*] Calvisii legatis, quibus lictores Cornificius ademerat.

[o] *Honore enim digni*] Legati scilicet Cornificii cum Calvisii legatis, contumelia dignis, nullatenus erant comparandi.

M. TULLII CICERONIS

EPISTOLARUM

LIBER XIII.

AD C. MEMMIUM ET ALIOS.

(1.) M. T. C. S. P. D. C. MEMMIO.

ARGUMENTUM.—C. Memmius, qui tribunus pl. Lucullos triumphaturos vexaverat, Plutarch. p. 517. et prætor ab Cæsare rationem gesti consulatus repetierat, Sueton. c. 23. damnatus lege de ambitu, Epist. ad Attic. IV. ult. exulabat Athenis, sed ante, quam Cicero in provinciam iturus adveniret, discesserat Mitylenas. Ab hoc ergo per literas petit, ut in gratiam cum Patrone Epicureo redeat, eique locum concedat, ubi Epicurus habitaverat.

[*p.* 202.] ETSI non satis mihi constiterat,[1] cum aliquane[a] animi mei molestia, an potius libenter te Athenis[a] visurus essem,[b] quod injuria, quam accepisti,[c] dolore me

[a] *Etsi non satis certo sciebam, utrum cum aliqua, &c.*

EPIST. I. 1 P *constaret.* Mox, *quam recepisti* Peck. Stewech. P *v. tua*

NOTÆ

[a] *Athenis*] Ubi tum erat Cicero, ad Ciliciæ administrationem proficiscens.

[b] *Visurus essem*] Pridie quam Cicero Athenas venit, Memmius Mitylenas profectus est. Adverte quam solerter benevolentiam Memmii, et gratiam sibi conciliet.

[c] *Injuria quam accepisti*] Cum Memmius consulatum peteret, ambitus

afficeret; sapientia tua, qua fers injuriam, lætitia; tamen vidisse te mallem. Nam quod est molestiæ,[d] non sane multo levius est, cum te non video;[e] quod esse potuit voluptatis,[f] certe, si vidissem te, plus fuisset. Itaque non dubitabo[g] dare operam, ut te videam, cum id satis commode[2] facere potero. Interea, quod per literas et agi tecum, et, ut arbitror, confici potest, agam nunc. Ac te[3] illud primum rogabo, ne quid invitus mea causa facias: sed id, quod mea intelliges, tua[4] nullam in partem multum interesse, ita mihi des, si tibi, ut id libenter facias, ante persuaseris. Cum Patrone[h] Epicureo mihi omnia sunt;[5] [i] nisi quod in philosophia[k] vehementer ab eo dissentio. Sed et initio Romæ,[6] cum te quoque et tuos omnes observabat, me coluit inprimis: et nuper, cum ea, quæ voluit, de suis

deest in Stewech. et P.—2 Peck. *cum etiam id satis commode;* Hitt. Stewech. *cum id satis commode facere potuero.*—3 Ita Vat. duo Gulielm. Victor. *agam. Nunc a te* Dresd. 1. 2. 3. 5. Lips. Torg. Ascens. 1. *agam. Nunc ad te* P v ψ.—4 Ita tres codd. Gulielm. duo Pall. Amstel. Mentel. Græv. 2. Victor. Gebh. *et tua* conj. Græv. *intelliges multum, tua nullam in partem interesse* edd. vett.—5 Codex unus Lamb. Dresd. 3. Ascens. 1. *omnia sunt communia.*—6 *Sed initio Romæ* Peck. *Sed ut initio Romæ* Dresd. 2. *observabit* Pal. 6. *me me coluit* ed. Victor. *de suis præmiis et commodis* vet. cod. Græv. Deinde, *suorum defensorem* codd. Græv. *sociorum defensorum* Hitt. Peck. Stewech. Græv. 2. *sociorum defensorem* Torg. Dresd. 5. Ascens. 1. *otiorum defensorum* Amstel. *socium defensorum* conj. Bengel. qui etiam edidit e Victorio *me me habuit.*—

NOTÆ

accusante Curtio, damnatus est, et Athenas in exilium missus.

[d] *Molestiæ*] Ex eo quod in exilium sis ejectus.

[e] *Cum te non video*] Congressum Ciceronis forte declinavit, quod ab eo se non defensum ægre ferret.

[f] *Voluptatis*] Ex eo quod exilium sapienter feras.

[g] *Non dubitabo*] Hæc initio scribit omnia Tullius, ut in Memmii se gratiam penitus insinuet: juste enim fuisse damnatum satis indicat in Epist. secunda libri tertii ad Quintum Fr. cum ait, ejus absolutionem legum interitum fore.

[h] *Patrone*] Erat hic Epicureæ sectæ Athenis facile princeps.

[i] *Mihi omnia sunt*] Loquendi modus Ciceroni familiaris, ut omnia cum aliquo sibi esse dicat, quicum est amicitia conjunctissimus: sic ad Atticum lib. XIII. 'Bruto certe meo nullo loco deero; idque etiam, si mihi cum illo nihil fuisset, facerem propter ejus singularem, incredibilemque virtutem.'

[k] *Nisi quod in philosophia*] Epicurcus Patro, Tullius autem Academicus: Epicurei voluptatis, Academici virtutis patrocinium suscipiebant.

commodis[1] et præmiis, consecutus est, me habuit suorum defensorum et amicorum fere principem:[b] et jam a Phædro,[m] (qui nobis, cum pueri essemus, antequam Philonem[n] cognovimus,[7] valde, ut philosophus, postea tamen, ut vir bonus, et suavis, et officiosus, probabatur) traditus, mihique commendatus est.[c] Is igitur Patro, cum ad me Romam literas misisset, uti te sibi placarem,[o] peteremque, ut, nescio quid, illud Epicuri parietinarum[d p] sibi concederes; nihil scripsi ad te[8] ob eam rem, quod ædificationis tuæ consilium mea commendatione nolebam impediri. Idem, ut veni[9] Athenas, cum idem, ut ad te scriberem,[q] rogasset; ob eam causam impetravit, quod te abjecisse illam ædificationem[e] constabat inter omnes amicos tuos. Quod si ita est, et si jam plane tua[10] nihil interest, velim, si qua offensiuncula facta est[f] animi tui, perversitate[r] aliquorum,

[b] *Et nuper, quæ commoda sibi et præmia postulabat, mea inprimis opera consecutus est.*

[c] *Et jam mihi in clientelam traditus est, et commendatus a Phædro, qui mihi, cum puer essem, valde placuit, primo ut philosophus, deinde etiam ut vir bonus, &c.*

[d] *Ut nescio quas Epicuri vetustas ædes, &c.*

[e] *Ædificandi consilium te abjecisse.*

[f] *Si qua in re leviter a Patrone offensus es.*

7 Stewech. Torg. Lips. Dresd. 4. *cognorimus;* edd. vett. *cognovissemus.* Actutum, *valde* deest in Hitt. Deinde, *mihi commendatus* Pal. 6.—8 Hitt. et Stewech. *nihil tibi scripsi.* Mox, *videbam impediri* Lips.—9 *Eidem ut veni* Dresd. 1. 2. 4. 5. Torg. ψ. *Eidem veni v. Et idem, ut veni* conj. Benedict. *cum idem ad te scriberem* Dresd. 1. 2. 4. 5. Torg. Victor.—10 Pal. 6. *et si jam tua plane;* vet. cod. Græv. *et si jam tua plane nihil interest.* Paulo post, *prop-*

NOTÆ

[1] *De suis commodis*] De quibus commodis, præmiisve loquatur, non liquet.

[m] *A Phædro*] Phædrus, ac Philo nobiles quoque fuerunt philosophi, qui Ciceronis ætate, in Epicurea familia primas obtinebant.

[n] *Philonem*] Mithridatico bello, domo perfugiens, Romam venerat.

[o] *Placarem*] Cur Patroni Memmius succensuerit, nullibi Cicero significat.

[p] *Epicuri parietinarum*] Vetustæ erant Epicuri ædes, quas moriens amico Metrodoro reliquerat, ea lege, ut post ejus obitum aliis Epicureæ sectæ principibus traderentur: has Memmius, ut hic ædificaret, ab Areopagitis impetrarat.

[q] *Ad te scriberem*] Mitylenas, quo profectus erat.

[r] *Perversitate*] Offensionem Memmio factam hac voce nonnihil extenuat; non enim parvi refert utrum improbitate, an perversitate peccetur, cum perversitas ad stultitiam

(novi enim gentem illam [s]) des te ad lenitatem,[g] vel propter tuam summam humanitatem, vel etiam honoris mei causa. Equidem, si, quid ipse sentiam, quæris, nec,[11] cur ille tantopere contendat,[h] video, nec cur tu repugnes; nisi tamen multo minus tibi concedi potest quam illi, laborare sine causa.[i t] Quanquam Patronis et orationem et causam tibi cognitam esse certo scio: honorem,[u] officium,[k x] testamentorum jus,[y] Epicuri auctoritatem,[z] Phædri obtestationem,[a] sedem,[l b] domicilium,[m] vestigia summorum hominum,[c] sibi tuenda esse dicit. Totam hominis vitam[d] rationemque, quam sequitur in philosophia, derideamus licet, si hanc ejus contentionem volumus reprehendere.[n 12] Sed, mehercules,[13] quando illi ceterisque,[o] quos illa delectant, non

[g] *Iracundiam deponas.* [h] *Cur illas ædes tantopere Patro flagitet.*

[i] *Sed tamen multo minus te decet de parietinis illis, quam Patronem sine causa laborare.*

[k] *Quanquam certo scio te intelligere, quas ob causas id tam ardenter Patro flagitet; ait scilicet conservandum esse honorem, officium, &c.*

[l] *Antiquam possessionem.* [m] *Habitationem.*

[n] *Possumus quidem deridere hominis hujusce vivendi institutum, et opiniones, quas sequitur, &c. si nimiam ejus in obtinenda Epicuri domo soliciludinem reprehendere volumus.* [o] *Patroni et Epicureis.*

ter summam quinque Dresd. Torg. Ascens. 1. Victor.—11 Hitt. et Stewech. *ne.* Iidem mox, *ne cur.*—12 Vet. cod. Græv. *volumus reprendere.*—13 Ita Dresd. 1. 2. 3. *mehercule* Dresd. 4. 5. Lips. Torg. Ascens. 1. *mehercle* al.

NOTÆ

quandam, improbitas ad vitiosam voluntatem referatur.

[s] *Gentem illam*] Vel Græcorum, vel Epicureorum, levem inprimis, et ad injurias inferendas promtam.

[t] *Laborare sine causa*] Cum ejusmodi parietinis nihil admodum Memmius indigere videretur.

[u] *Honorem*] Id sibi gloriosum fore existimabat Patro, si Epicuri domum incoleret.

[x] *Officium*] Hoc magistri memoriæ debere se credebat.

[y] *Testamentorum jus*] Quod violari nefas: domum autem suam, ut dictum est antea, sectæ suæ principibus testamento Epicurus reliquerat.

[z] *Epicuri auctoritatem*] De qua nonnihil imminutum iri putabat, si quam habitaverat domum, hæc Epicureis adimeretur.

[a] *Phædri obtestationem*] Phædrus, dum viveret, precatus erat, ne Epicuri hortos in alienas manus devenire paterentur.

[b] *Sedem*] Has ædes Epicurei, non modo semper possederant, sed et semper incoluerant. 'Sedes' ad possessionis antiquitatem, 'domicilium' ad perpetuam habitationem pertinet.

[c] *Summorum hominum*] Epicureorum, qui ibidem habitaverant.

[d] *Totam hominis vitam*] Quam ex Epicuri doctrina Patro hauserat.

valde inimici sumus;[e] nescio an ignoscendum sit huic, si tantopere[p] laborat:[f] in quo etiamsi peccat, magis ineptiis, quam improbitate peccat. Sed, ne plura, (dicendum enim aliquando est[q]) Pomponium Atticum sic amo, ut alterum fratrem: nihil est illo mihi nec carius, nec jucundius. Is (non quo[14] sit ex istis:[r g] est enim omni liberali doctrina politissimus:[h] sed valde diligit Patronem, [*p.* 203.] valde Phædrum amavit) sic a me hoc contendit, homo minime ambitiosus, minime in rogando molestus, ut nihil unquam magis: nec dubitat, quin ego a te nutu[s] hoc consequi possem, etiamsi ædificaturus esses. Nunc vero, si audierit, te ædificationem[t] deposuisse, neque tamen me a te impetrasse; non te in me illiberalem,[15] sed me in se negligentem putabit. Quamobrem peto a te, ut scribas[16] ad tuos, posse tua voluntate[i] decretum illud Areopagitarum, quem ὑπομνηματισμὸν[17 k] illi vocant, tolli. Sed redeo ad prima. Prius velim tibi persuadeas, ut hoc mea causa libenter facias,[18]

[p] *Puto ignoscendum esse Patroni, si tantopere, &c.*
[q] *Addenda est enim optima omnium ratio.* [r] *Ex Epicureis.*
[s] *Facillime.* [t] *Ædificandi propositum.*

Pro *quando*, quod exhibent Dresd. 2. 4. 5. Torg. Lips. et edd. vett. *cum* habent codd. Victorii, Hitt. Pal. 6. Dresd. 1. 3. *inimici simus* Dresd. 3.—14 Edd. vett. *non quod.* Mox, *liberali arte politissimus* vet. cod. Grævii. Paulo post, *in rogitando* edd. vett. Deinde, *nec dubitabat* Dresd. 3. Hitt. Pal. 6. Pro *etiamsi*, quod servant quinque Dresd. Torg. Lips. Hitt. Peck. Pall. 1. 6. Amstel. *ita etiam, si* habent edd. vett.—15 P *v liberalem.*—16 Codex unus Oxon. *scribis.*—17 Hitt. *ὑμνηματισμόν.*—18 Idem cod. *ut mea hoc causa facias.*

NOTÆ

[e] *Non valde inimici sumus*] Immo non paucis qui se Epicureos profitebantur, amicissimus erat, ut patet ex ejus ad Cassium, Atticum, et alios, Epistolis.

[f] *Tantopere laborat*] De conservandis Epicuri hortis et ædibus.

[g] *Non quo sit ex istis*] Vel jocatur Cicero, vel hoc dicit, ut Attico petenti auctoritatem accersat: nam Epist. 19. lib. v. ad eundem, condiscipulos ejus vocat Epicureos.

[h] *Politissimus*] Quæ laus in Epicurum non cadebat, teste Tullio de Fin. lib. 1. 'Vellem,' inquit, 'doctrinis fuisset instructior; est enim non satis politus iis artibus, quas qui tenent, eruditi appellantur.'

[i] *Tua voluntate*] Repugnante Memmio, obtineri non poterat ab Areopagitis, ut decretum illud tolleretur.

[k] Ὑπομνηματισμὸν] Ad perpetuam rei memoriam literis mandatum.

quam ut facias: sic tamen habeto; si feceris, quod rogo, fore mihi gratissimum. Vale.

(2.) CICERO MEMMIO SAL.

ARGUMENTUM.—Petit, ut Evandro statuario de sacrarii habitatione accommodet.

C. AVIANO[1] EVANDRO, qui habitat in tuo sacrario,[a] et ipso multum utor, et patrono ejus M. Æmilio[b] familiarissime. Peto igitur a te in majorem modum,[2] quod sine tua molestia fiat, ut ei de habitatione accommodes.[a c] Nam propter opera instituta multa multorum, subitum[d] est ei remigrare[3] Kal. Quint.[b e] Impedior verecundia, ne te pluribus verbis rogem.[4] Neque tamen dubito, quin, si tua nihil, aut non multum intersit, eo sis animo, quo ego essem, si quid tu me rogares: mihi certe gratissimum feceris.

(3.) M. T. C. S. P. D. C. MEMMIO.

ARGUMENTUM.—Fufium commendat, ut ei in sacrario Memmii habitare liceat.

A. FUFIUM,[1] unum ex meis intimis, observantissimum

[a] *Ut patiaris eum in habitatione tua aliquantum adhuc temporis permanere.*
[b] *Primo die Julii.*

EPIST. II. 1 *Gaio Aricino* P. Mox, *qui habitabat* al. ap. Græv. *in tuo sacratario* Hitt. *M. Aimilio* vet. cod. Græv.—2 Ita codd. Græv. et Victor. *majorem in modum* edd. vett. Statim, *molestia tua* al. ap. Græv. *de tua habitatione* Dresd. 3. Actutum, *commodes* Dresd. 4. quod Ernestio placuit.—3 Ita Dresd. 1. 3. *remigare* Lips. Torg. Dresd. 2. 4. 5. *est ejus remigare* Amstel. Græv. 2. Stewech. P.—4 Dresd. 3. et Torg. pro v. l. *angam;* Lips. *rogem, angam.*

EPIST. III. 1 Ita Vat. Pall. 1. 6. Dresd. 1. Torg. Victor. *Aulum Fusium*

NOTÆ

[a] *In tuo sacrario*] In parte ædium Memmii: notandum est, non in templis modo, sed in domibus quoque profanis extitisse loca quædam consecrata, in quibus sacræ res asservari, Diique domestici coli solebant.

[b] *Æmilio*] Cujus erat Evander libertus.

[c] *Accommodes*] Ne cogatur Kalendis Quintilibus, ut mos est, demigrare: multa enim pro multis opera incepit, quæ ante Kalendas Quintiles absolvi non possunt, nec alio transferri; quare subitum ei nimis et incommodum esset in veterem domum reverti, tua relicta.

[d] *Subitum*] Propter brevitatem temporis.

[e] *Kal. Quint.*] Qui dies finiendis locationibus annuis constitutus erat.

studiosissimumque nostri, eruditum hominem, et summa humanitate, tuaque amicitia dignissimum, velim ita tractes, ut mihi coram recepisti.[c f] Tam gratum mihi id erit,[2] quam quod gratissimum.[d] Ipsum præterea summo[3] officio et summa observantia tibi in perpetuum devinxeris. Vale.

(4.) M. T. C. Q. VALERIO, Q. F. ORCÆ, LEG. PROPRÆT. S. D.

ARGUMENTUM.—Cum Cæsar, victor civilium bellorum, agrum militibus divisurus esset, eique negotio præfecisset Q. Valerium; huic Volaterranos commendat, ne illorum ager divisioni subjiciatur.

CUM municipibus[a] Volaterranis[1 b] mihi summa necessitudo est: magno enim meo beneficio affecti,[c] cumulatissime mihi gratiam retulerunt: nam nec in honoribus[d] meis laboribus unquam defuerunt. Cum quibus si mihi nulla causa[2] intercederet,[e] tamen, quod te vehementissime diligo, quodque me a te plurimi fieri sentio, et monerem te, et hortarer,

[c] *Ut mihi præsens promisisti.*
[d] *Id mihi erit quam gratissimum, hominemque tibi in perpetuum obligabis.*

Dresd. 2. 5. *A. Fustium* Dresd. 4. *A. Fuffium* F *v. Aufidium* Dresd. 3. Mox, *ex meis intumis* Hitt. *ex meis vicinis* P.—2 *Tam mihi gratum id erit* edd. vett.—3 *Propterea summo* F. omisso *Ipsum.* Pro *officio* vet. cod. Græv. habet *studio.* Quinque Dresd. Torg. cum uno cod. Oxon. omittunt *Vale.*

EPIST. IV. 1 *Cum municipibus Volterraneis* Pall. 1. 6. *Cum municipiis Volteranis v.* Mox, *meo* deest in ψ, pro quo Lamb. legit *a me.* Tum, *in h. meis laboribusque* quinque Dresd. Torg. Lips. *v* ψ, Ascens. 1.—2 Dresd. 3. *nulla alia causa.* Paulo post, *cum præsertim prope* Peck. *ad jus suum obtinendum*

NOTÆ

[f] *Coram recepisti*] Hanc videtur Cicero Epist. scripsisse, cum e Cilicia ad urbem accessisset, et Athenis cum Memmio esset collocutus.

[a] *Cum municipibus*] Quando omnibus oppidi cujuspiam incolis data civitas est, hi vel migrarunt Romam, vel ibi, ubi prius erant, remanserunt: si venerunt Romam, 'Romani cives' dicti sunt; sin minus, 'municipes,' quasi jus adepti cum Romano populo 'munera capiendi.' Ita Cantelius noster in tractatu de Republica Romana.

[b] *Volaterranis*] Volaterra Etruriæ oppidum, hodie *Volterra.*

[c] *Beneficio affecti*] Promulgatam a tribunis plebis legem de agris Volaterranorum dividendis, irritam Cicero consul fecerat.

[d] *Nec in honoribus*] Ut eos augerent; *in laboribus,* ut una mecum eos ferrent.

[e] *Intercederet*] Quæ me ad defensionem Volaterranorum suscipiendam impelleret.

ut eorum fortunis consuleres, præsertim cum prope præcipuam causam haberent ad jus obtinendum:[a] primum quod Sullani temporis[f] acerbitatem, Deorum immortalium benignitate, subterfugerunt; deinde, quod summo studio populi Romani a me in consulatu meo defensi sunt. Cum tribuni plebis[3] legem iniquissimam de eorum agris[b] promulgavissent; facile senatui populoque Romano persuasi, ut eos cives, quibus fortuna pepercisset,[g] salvos esse vellent. Hanc actionem meam C. Cæsar primo[4] suo consulatu[h] in lege Agraria[c] comprobavit, agrumque Volaterranum et oppidum omni periculo[d] in perpetuum liberavit; ut mihi dubium non sit, quin is, qui novas necessitudines adjungat,[e] vetera sua beneficia conservari velit. Quamobrem est tuæ prudentiæ,[5] aut sequi ejus[f] auctoritatem,[i] cujus sectam[g] atque imperium summa cum tua dignitate secutus es; [*p.* 204.] aut certe illi integram omnem causam reservare.[h] Illud vero dubitare non debes, quin tam grave,[k] tam firmum, tam honestum municipium tibi tuo summo beneficio in perpetuum obligari velis.[6] Sed hæc, quæ

[a] *Præsertim cum singularem causam haberent ad conservationem agrorum obtinendam.*
[b] *De eorum agris dividendis.* [c] *In lege, quam de agris dividendis tulit.*
[d] *Omni tributo.* [e] *Qui nova beneficia quotidie conferat.*
[f] *Cæsaris.* [g] *Factionem.*
[h] *Aut rem totam Volaterranorum relinquere arbitrio Cæsaris.*

conj. Lamb.—3 Ita Peck. Pal. 6. Victor. *Cum enim tribuni plebis* edd. vett. Mox, *promulgassent* al. ap. Græv.—4 Hitt. Stewech. Pal. 6. omittunt *primo.* Tum, *lege in agraria* quinque Dresd. Torg. Lips. vet. cod. Græv. *legem agrariam* Dresd. 4. et Hitt. *in lege agraria* pro gloss. habet Bengel. *agrum Volteranum* ψ.—5 Hitt. *tuæ providentiæ.* Mox, *consecutus es* ψ.—6 'Sic scripti et

NOTÆ

[f] *Sullani temporis*] Cum Sulla rerum potiretur, agrosque passim divideret, Volaterranum quoque publicavit, sed neque dividere potuit, nec jus civitatis Volaterranis eripere: biennium enim obsessi, fortiter restiterunt.

[g] *Fortuna pepercisset*] Tyrannidem exercente Sulla, et in omnium possessiones involante.

[h] *Suo consulatu*] Quem cum M. Bibulo, immo potius, quem solus gessit, ademta collegæ suo auctoritate omni.

[i] *Auctoritatem*] Cæsaris, qui Volaterranos incolumes esse voluit.

[k] *Tam grave*] *Grave* ad mores, *firmum* ad divitias, *honestum* ad splendorem pertinet.

supra scripta sunt, eo spectant, ut te horter et suadeam.[7] Reliqua sunt, quæ pertinent ad rogandum: ut non solum tua causa tibi consilium me dare putes, sed etiam, quod mihi opus sit, me a te petere et rogare. Gratissimum igitur mihi feceris, si Volaterranos omnibus rebus integros incolumesque esse volueris. Eorum ego[8] domicilia, sedes,[l] rem, fortunas, quæ a Diis immortalibus,[m] et a præstantissimis[n] in nostra republica civibus, summo senatus populique Romani studio, conservatæ sunt, tuæ fidei, justitiæ, bonitatique commendo. Si pro meis pristinis opibus[o] facultatem mihi res hoc tempore daret, ut ita defendere possem Volaterranos, quemadmodum consuevi tueri meos; nullum officium, nullum denique certamen, in quo illis prodesse possem, prætermitterem. Sed quando[9] apud te nihilominus[i] hoc tempore valere me confido, quam valuerim semper apud omnes; pro nostra summa necessitudine, parique inter nos et mutua benevolentia abs te peto, ut ita de Volaterranis mereare, ut existiment, eum quasi divino consilio isti negotio præpositum esse, apud quem unum nos, eorum perpetui defensores, plurimum valere possemus.[10]

(5.) M. T. C. Q. VALERIO, Q. F. ORCÆ, LEG. PROPRÆT. S. P. D.

ARGUMENTUM.—Ne ager C. Curtii dividatur, rationibus et argumentis rogat.

NON moleste fero, eam necessitudinem, quæ mihi tecum

[i] *Non minus.*

edd. pr.; male quidam *obligare* dedere: restituit illud etiam Grævius.' *Ernesti.* Mox, *quæ scripta sunt supra* edd. vett. *quæ supra dicta sunt* P.—7 Vet. cod. *et tibi persuadeam;* unde Lamb. *et tibi suadeam.*—8 *Eorum ergo* Peck.—9 *Sed cum* Hitt. Dresd. 1. 3. Victor. Gebh. *Sed quo* Dresd. 2.—10 Ita quinque Dresd. Lips. Torg. P, Ascens. 1. *possumus v ψ,* alii codd. et edd. vett.

NOTÆ

[l] *Domicilia, sedes*] Quid sit inter utramque vocem discriminis, docet Epistola prima.

[m] *A Diis immortalibus*] Contra Sullæ tyrannidem.

[n] *A præstantissimis*] Et inprimis a Cæsare.

[o] *Pristinis opibus*] Quas in civili dissensione amiserat.

est, notam esse quam plurimis: neque tamen ob eam causam (quod tu optime existimare potes)[a] te impedio,[1] quo minus susceptum negotium,[b] pro tua fide et diligentia, ex voluntate Cæsaris, qui tibi rem magnam difficilemque commisit, gerere possis. Nam cum multi a me petant multa, quod de tua erga me voluntate non dubitent, non committo, ut ambitione[c][p] mea conturbem officium tuum.[2] C. Curtio ab ineunte ætate familiarissime sum usus. Ejus et Sullani temporis injustissima calamitate[q] dolui;[3] et cum iis, qui similem injuriam acceperant, amissis omnibus fortunis, reditus tamen in patriam voluntate omnium concedi videretur, adjutor incolumitatis fui. Is habet in Volaterrano possessionem, cum in eam, tanquam e naufragio,[4] reliquias contulisset.[d] Hoc autem tempore eum Cæsar in senatum legit:[e] quem ordinem ille, ista possessione amissa, tueri vix potest.[r] Gravissimum autem est, cum superior factus sit[5] ordine, inferiorem esse fortuna: minimeque convenit, ex eo agro, qui Cæsaris jussu dividatur, eum moveri,[f] qui Cæsaris beneficio senator sit. Sed mihi minus libet multa de æquitate rei[6] scribere, ne causa potius

[a] *Neque tamen ob eam necessitudinem, quemadmodum existimare posses, &c.*
[b] *Agrorum divisionem tibi a Cæsare traditam.* [c] *Ut importuna petitione.*
[d] *Cum relictas a Sulla opes ad agrum hunc coëmendum contulisset.*
[e] *Senatorem fecit.* [f] *Pelli.*

EPIST. V. 1 Dresd. 1. 2. 4. Torg. *v impedii;* Amstel. *impediri;* Pal. 6. Dresd. 5. Ascens. 1. *impediri;* ψ *impendii;* Dresd. 3. *impeditum dicas;* al. ap. Græv. *impediri velim.*—2 Dresd. 1. Peck. *turbem officium tuum;* Dresd. 2. Pall. 1. 6. *conturbent officia tua;* Mentel. *corrumpant officium tuum.*—3 Dresd. 3. *injustissimam calamitatem dolui;* Peck. *injustissima calamitate condolui.* Actutum, *et cum his* Hitt. Stewech.—4 Stewech. *tanquam in naufragio.*—5 Al.

NOTÆ

[p] *Ut ambitione*] Præter interpretationem quam attulimus, duplici modo locus hic explicari potest: non committo ut conturbem officium tuum, vel nimio erga Curtium studio, vel ut ostendam ambitiosius, quantum apud te possim.

[q] *Calamitate*] Qua bonorum ferme omnium jacturam, Sullæ avaritia, passus est.

[r] *Tueri vix potest*] Senatorum census fuit sestertium octoginta millia, florente republica. Sestertium est summa quædam valens mille sestertios; sestertius autem erat moneta Romana valens monetæ Gallicæ circiter asses duos.

apud te valuisse videar, quam gratia. Quamobrem te in majorem modum[7] rogo, ut C. Curtii rem, meam putes esse: quicquid mea causa faceres, ut, id C. Curtii causa cum feceris, existimes,[8] quod ille per me habuerit, id me habere abs te. Hoc te vehementer etiam atque etiam rogo.

(6.) M. T. C. Q. VALERIO, Q. F. ORCÆ, PROCOS. S. P. D.[1]

ARGUMENTUM.—Cuspii amicos generatim omnes commendat, nominatim L. Julium et P. Cornelium.

[*p.* 205.] SI vales, bene est: valeo.[2] Credo te memoria tenere, me et coram P. Cuspio[3] tecum locutum esse, cum te prosequerer paludatum;[a] et item postea pluribus verbis tecum egisse, ut, quoscumque tibi ejus necessarios commendarem, haberes eos in numero meorum necessariorum. Id tu (pro tua summa erga me benevolentia, perpetuaque observantia) mihi liberalissime atque humanissime recepisti.[a] Cuspius, homo in omnes suos officiosissimus, mirifice quosdam homines ex ista provincia[b] tuetur et diligit, propterea, quod fuit in Africa bis, cum maximis societatis[b] negotiis præesset. Itaque hoc ejus officium, quod adhibet[4]

[a] *Promisisti.* [b] *Ex Africa.*

ap. Græv. *factus sis.* Mox, *ex agro* Hitt.—6 Mentel. *de æquitate reip.*—7 Ita Peck. Pall. 1. 6. Victor. *majorem in modum* edd. vett.—8 Ita Vat. Pall. 1. 6. Victor. *cum feceris meum existimes* Amstel. Græv. 2. Torg. Lips. edd. vett. *quid cum mea c. f. ut id C. C. c. meum cum feceris existimes* Mentel.

EPIST. VI. 1 Ita codd. Grævii et Victor. *Orcæ prope* Stewech. unde Gulielm. *Orcæ propræt.*—2 *S. V. B. E. V.* codd. Grævii; *Si vales bene est, ego quidem valeo* al. ap. Græv. Hæc verba desunt in P *v* ψ.—3 Al. ap. Græv. *de P. Cuspio.* Statim, *et idem postea plurimis* edd. vett. Deinde, *necessariorum meorum* Hitt. Stewech.—4 Quinque Dresd. duo Pall. duo Gulielm. Torg. Lips. Amstel. Mentel. Stewech. Hitt. Græv. 2. P *v* ψ *quod adhibetur.*—

NOTÆ

[a] *Paludatum*] Paludamentum vestis erat militaris, non purpura tantum, sed cocco etiam et auro distincta; quæ licet a Varrone et Livio militibus tribuatur, erat nihilominus imperatorum propria, qui hac induti, ad bellum proficisci solebant.

[b] *Societatis*] Publicanorum, qui reipublicæ vectigalia in Africa colligebant.

erga illos,[c] ego mea facultate et gratia soleo, quantum possum, adjuvare. Quare Cuspianorum omnium commendationis[c] causam hac tibi epistola exponendam putavi: reliquis epistolis tantum faciam, ut notam[d] apponam eam, quæ mihi tecum convenit, et simul significem, de numero esse Cuspii amicorum. Sed hanc commendationem, quam his literis consignare volui, scito esse omnium gravissimam.[5] Nam P. Cuspius singulari studio contendit a me, ut tibi quam diligentissime L. Julium commendarem. Ejus ego studio vix videor mihi satisfacere posse, si utar verbis iis, quibus, cum diligentissime quid agimus, uti solemus. Nova quædam postulat: et putat me ejus generis artificium quoddam tenere. Ei ego pollicitus sum, me ex intima nostra arte depromturum mirificum genus commendationis. Id cum assequi[e] non possum,[6] tu re velim efficias, ut ille, genere mearum literarum incredibili, quiddam perfectum arbitretur.[d] Id facies, si omne genus liberalitatis, quod et ab humanitate et potestate tua[7] proficisci poterit, non modo re, sed etiam verbis, vultu denique expromseris:[e] quæ quantum in provincia valerent,[f] vellem

[c] *Omnium Cuspii amicorum commendationis, &c.*
[d] *Ut arbitretur, id se assecutum vi literarum mearum.*
[e] *Declaraveris.*

5 Ita Dresd. 2. 3. P ψ. *omnium gratissimam* Dresd. 1. 4. 5. Torg. Lips. *v*, Ascens. 1.—6 Ita codd. Grævii, Victorii, Dresd. 1. 3. Hitt. Pal. 6. *quando a. n. possum* Dresd. 2. 4. 5. Torg. Lips. edd. vett. *cum a. verbis non possum* codex unus Oxon. Mox, *incredibile* Dresd. 4. Torg. Lips. Ascens. 1. *quodam perfectum* al. ap. Græv.—7 Lamb. conj. *et a potestate.* Pro *expromseris*, quod servant Dresd. 3. Pal. 6. Hitt. Stewech. Amstel. *ex prosperis* habet Medic. *expresseris* Mentel. Græv. 2. *exp̄sseris* Dresd. 4. Pro *valerent* omnes codd.

NOTÆ

[c] *Erga illos*] Istius provinciæ homines, in qua diu moratus est.

[d] *Notam*] Ciceronem inter, et Valerium, in provinciam abeuntem, convenerat, ut in iis literis, quibus ex animo aliquem et sincere commendatum vellet, notam adhiberet, qua gravis commendatio a levi distingueretur.

[e] *Assequi*] Id quod præstare se posse negat Cicero, admirabili sane artificie præstat, et assequitur.

[f] *Valerent*] Ad auctoritatem homini privato in provincia conciliandam, cum intelligitur hunc ab rectore provinciæ diligi et coli.

expertus esses.[g] Sed tamen [suspicor][8] ipsum hominem,[f] quem tibi commendo, perdignum esse tua amicitia: non solum, quia mihi Cuspius dicit, credo, (tametsi id satis esse debebat) sed quia novi ejus judicium in hominibus et amicis deligendis. Harum literarum vis quanta fuerit, propediem judicabo; tibique, ut confido, gratias agam. Ego, quæ te velle, quæque ad te pertinere arbitrabor,[9] omnia studiose diligenterque curabo. Cura, ut valeas. P. Cornelius,[10] qui tibi has literas dedit, est mihi a P. Cuspio commendatus: cujus causa quanto opere cuperem deberemque,[g] profecto ex me facile cognosti. Vehementer te rogo, ut cures,[11] ut ex hac commendatione mihi Cuspius quam maximas, quam primum, quam sæpissime gratias agat. Vale.

(7.) M. T. C. CLUVIO[1] S. P. D.

ARGUMENTUM.—Petit a Cluvio, ne municipii Atellani vectigalis ager dividatur, sed causam integram Cæsari reservet.

CUM in Galliam[a] proficiscens, pro nostra necessitudine tuaque summa in me[2] observantia, ad me domum venisses, locutus sum tecum de agro vectigali municipii Atellani,[h]

[f] *L. Julium.* [g] *Cui favere quantopere et vellem, et deberem.*
[a] *In Galliam Cisalpinam.*

et edd. ante Ernesti habent *valeant.*—8 'Voc. *suspicor* non convenit verbo *credo*, quod mox sequitur; estque omnino alienum a re tam bona. Sine dubio delendum est. Uncis inclusi.' *Ernesti.* Mox, *nec id solum, quia* edd. vett. *mi Cuspius* Hitt. Paulo post, *in amicis diligendis* vet. cod. Grævii; *amicis deligendis* Dresd. 2. et Manut.—9 Hitt. et Pal. 6. *ad te arbitrabor pertinere.*—10 Multi codd. ab his verbis novam incipiunt Epist. quibus consentiunt Dresd. 3. 4. 5. Torg. Lips. Statim, *has*, quod legitur in Dresd. 5. et Ascens. 1. deest in pluribus codd. et edd. ante Ernesti. *literas dedi* Amstel. *literas reddidit* al. ap. Græv.—11 Dresd. 3. *rogo cures.*

EPIST. VII. 1 *Clunio* Vat.—2 Vat. et Victor. *quæ tua summa in me.* Paulo

NOTÆ

[g] *Expertus esses*] Ex iis verbis patet, non multo ante in provinciam suam Valerium discessisse.

[h] *Atellani*] Atella urbs est Campaniæ, media inter Neapolim et Capuam, nunc *Aversa*, aliis *Santo Arpino.* Atellani autem, licet siti erant in Campania, agros tamen in Gallia Cisalpina sibi vectigales possidebant.

qui esset in Gallia:[b] [i] quantoque opere ejus municipii[c] causa laborarem,[k] tibi ostendi. Post tuam autem profectionem, cum et maxima res[1] municipii honestissimi mihique conjunctissimi,[3] et summum meum officium ageretur, pro tuo animo in me singulari, existimavi, me oportere ad te accuratius scribere: [*p.* 206.] etsi non sum nescius, et quæ temporum ratio, et quæ tua potestas sit, tibique negotium datum esse a C. Cæsare, non judicium,[d] præclare intelligo. Quare a te tantum peto, quantum et te facere posse, et libenter mea causa[4] facturum esse arbitror. Et primum velim existimes, quod res est, municipii fortunas omnes in isto vectigali consistere;[e] his autem temporibus hoc municipium maximis oneribus pressum, summis affectum esse difficultatibus. Hoc etsi commune[5] videtur esse cum multis; tamen mihi crede, singulares huic municipio calamitates accidisse: quas idcirco non commemoro, ne de miseriis meorum necessariorum conquerens, homines, quos nolo,[m] videar offendere.[6] Itaque, nisi magnam spem haberem, C. Cæsari nos causam municipii probaturos,[f] non erat causa, cur a te hoc tempore aliquid contenderem: sed quia confido, mihique persuasi, illum et dignitatis muni-

[b] *Quem municipes Atellani possident in Gallia Cisalpina.*
[c] *Atellani municipii.*
[d] *Tibique mandatum a Cæsare, ut agros militibus dividas, non tibi factam potestatem, ut quos velis, conserves.*
[e] *In hoc agro, ex quo tributum annuum percipiunt.*
[f] *Effecturum me, ut Cæsar Atellanorum causam probaret.*

post, *ejus m. causa laborem* Torg. Dresd. 3. *v.*—3 Verba *mihique conjunctissimi* desunt in Pal. 6.—4 Ita Dresd. 3. 4. *mei causa* Dresd. 1. 2. 5. Torg. Lips. Pal. 1. Amstel. Stewech.—5 *Hoc etsi c. ei* Lamb.—6 Torg. *offendere vel offen-*

NOTÆ

[i] *Qui esset in Gallia*] Reliqui enim Atellanorum agri in Campania erant.

[k] *Laborarem*] Quoniam in Ciceronis fidem et clientelam se dederant.

[l] *Maxima res*] Agebatur enim de conservatione, aut jactura agrorum, unde vectigal annuum percipiebant.

[m] *Quos nolo*] Vel Cæsarem, vel Cæsarianum aliquem; nisi Crispum Sallustium velit indicare, qui Campaniæ præfuit paulo ante quam Cæsar in Africam contra Pompeianos proficisceretur.

cipii,[n] et æquitatis, etiam voluntatis[7] erga se habiturum esse rationem; ideo a te non dubitavi contendere, ut hanc causam illi integram conservares.[8] Quod etsi nihilominus a te peterem, si nihil audivissem te tale fecisse;[g] tamen majorem spem impetrandi nactus sum, posteaquam mihi dictum est, hoc idem a te Regienses[9] impetravisse:[o] qui etsi te aliqua necessitudine attingunt; tamen tuus amor in me sperare me cogit, te, quod tuis necessariis tribueris, idem esse tributurum meis; præsertim cum ego pro his unis petam; habeam autem, qui simili causa[10] laborent, complures necessarios. Hoc me non sine causa facere, neque aliqua levi ambitione commotum a te contendere,[h] etsi te existimare arbitror; tamen mihi affirmanti[11] credas velim, me huic municipio debere plurimum; nullum unquam fuisse tempus neque honorum, neque laborum meorum, in quo non hujus municipii studium in me extiterit singulare. Quapropter a te etiam atque etiam, pro nostra summa conjunctione, proque tua in me perpetua et maxima benevolentia, majorem in modum peto atque contendo, ut, cum fortunas agi ejus municipii intelligas, quod sit mihi necessitudine,[p] officiis, benevolentia conjunctissimum, id mihi des; quod[12] erit hujusmodi, ut, si a Cæsare, quod speramus, impetrarimus, tuo beneficio nos id consecutos esse judicemus: sin minus; pro eo tamen id habeamus,

[g] *Te alia municipia conservasse.* [h] *Enixe flagitare.*

disse.—7 Ita Hitt. Stewech. Pal. 6. *et etiam voluntatis* Amstel. quinque Dresd. Torg. Lips. *et voluntatis etiam* edd. vett. *etiam voluntatis et* P.—8 Lamb. conj. *reservares.*—9 *Regiensis* Hitt. *Regesses* Amstel. Mox, *sperare cogit* Hitt.—10 Idem cod. *qua simili causa;* unde Gulielm. conj. *qui a simili causa.*—11 Dresd. 1. 2. 3. 4. Torg. Lips. *arbitranti affirmanti;* Dresd. 5. Ascens. 1. *affirmandum arbitranti;* codex unus Oxon. *affirmanti arbitranti.* Pro *credas* Lips. habet *concedas.* Statim, *debere quamplurimum v.*—12 Ed. Grut. et al. ante Ernesti *id mihi des. Quod, &c.* Pro *impetrarimus* edd. vett. habent *impetraverimus.* Pro *judicemus* codex unus Oxon. habet *judices.* Deinde,

NOTÆ

[n] *Dignitatis municipii*] Tria commendabant Atellanos, dignitas municipii, causæ æquitas, studium erga Cæsarem.

[o] *Impetravisse*] Ut agrum suum militibus non divideres.

[p] *Necessitudine*] Cluvii forte clientes erant.

cum a te data sit opera, ut impetraremus.[i] Hoc cum [13] mihi gratissimum feceris, tum viros optimos, homines honestissimos, eosdemque gratissimos, et tua necessitudine dignissimos, summo beneficio in perpetuum tibi tuisque devinxeris.

(8.) M. T. C. M. RUTILIO S. P. D.

ARGUMENTUM.—Rutilium rogat, ut in agrorum divisione Albinii prædia ne attingat.

CUM et mihi conscius essem, quanti te facerem, et tuam erga me benevolentiam expertus essem, non dubitavi a te petere, quod mihi petendum esset. P. Sextium [1] [a] quanti faciam, ipse optime scio : quanti autem facere debeam, et tu, et omnes homines sciunt. Is cum ex aliis te mei [2] studiosissimum esse cognosset, petivit a me, ut ad te quam accuratissime scriberem de re C. Albinii senatoris, cujus ex filia natus est L. Sextius,[b] optimus adolescens, filius P. Sextii. Hoc idcirco scripsi, ut intelligeres, non solum me pro P. Sextio laborare debere, sed Sextium etiam pro Albinio. Res autem est hæc :[a] [3] a M. Laberio C. Albinius prædia in æstimationem [c] accepit ;[b] [*p.* 207.] quæ prædia

[i] *Sin minus impetraverimus, voluntatem tamen tuam pro re ipsa reputemus, siquidem quantum in te est, effeceris, ut impetraremus.*

[a] *Res autem, de qua agitur, ita se habet.*

[b] *Albinius prædia a M. Laberio debitore pro debito suo accepit.*

quando a te data sit Amstel. P v ψ. *quando a te data est* edd. vett.—13 *Hoc tum* ed. Victor. Denique, *eosdem gratissimos* Hitt.

EPIST. VIII. 1 *P. Sestium* Vat. Pall. 1. 6. Hitt. Statim, *et omnes sciunt* codex unus Oxon.—2 Edd. vett. *te mihi.* Pro *cognosset* P v ψ exhibent *cognoscet ;* al. ap. Græv. *cognosceret.* Deinde, *C. Albini* nonnulli codd. et edd. vett.—3 *Res autem hæc est* edd. vett. Actutum, *a M. Liberio* codex unus

NOTÆ

[a] *P. Sextium*] Qui cum Ciceronem defenderet, a Clodianis in Castoris templo pro mortuo relictus est, multumque laboravit, ut eundem ab exilio revocaret.

[b] *L. Sextius*] In oratione pro Sextio, prænomen patris filio quoque Cicero tribuit, Publiumque nominat.

[c] *In æstimationem*] Id est tanti æstimata, quanti erant ante bellum civile. Consule Epist. decimam sextam, et decimam octavam libri noni.

Laberius emerat a Cæsare de bonis Plotianis.[c d] Ea si dicam non esse e republica dividi,[d e] docere te videar, non rogare. Sed tamen cum Cæsar Sullanas[f] venditiones et assignationes ratas esse velit,[4] quo firmiores existimentur suæ; si ea prædia dividentur, quæ ipse Cæsar vendidit, quæ tandem in ejus venditionibus esse poterit auctoritas? Sed hoc quale sit, tu pro tua prudentia considerabis. Ego te plane rogo, atque ita, ut majore studio, justiore de causa, magis ex animo rogare nihil possim, ut Albinio[5] parcas, prædia Laberiana ne attingas. Magna me affeceris non modo lætitia, sed etiam quodammodo gloria, si P. Sextius homini maxime necessario[g] satisfecerit per me,[6] ut ego illi uni plurimum debeam. Quod ut facias, te vehementer etiam atque etiam rogo. Majus mihi dare beneficium[7] nullum potes. Id mihi intelliges[h] esse gratissimum.

(9.) M. T. C. CRASSIPEDI S. P. D.

ARGUMENTUM.—Crassipedi, Bithyniæ quæstori, Bithynicam publicanorum societatem, inprimisque Cn. Pupinm commendat.

QUANQUAM tibi præsens commendavi, ut potui diligen-

[c] *Ex bonis Plotii.*
[d] *Si dicam non esse utile reipublicæ, ut Albinii prædia dividantur.*

Oxon. *in existimationem* in eodem cod.—4 Edd. vett. *ratas esse velit.* Paulo post, *esse potuerit* ψ.—5 *Albano* ψ: *Albino v* et Oliv. Mox, *Liberiana v. Laberiana ne tangas* Hitt. et Pal. 6.—6 Ita Hitt. et Victor. *satisfecerit pro me* Amstel. Stewech. P. *per me satisfecerit* edd. vett. *ut ego illud* Stewech. *illi* deest in Amstel. *ut ego plurimum debeam illud* Mentel. *cum ego illi uni, &c.* edd. vett. *uni* deest in Dresd. 1. 2. Ascens.—7 Victor. *beneficium dare.*

NOTÆ

[d] *Bonis Plotianis*] Quæ fisco Cæsar addixit, quia Pompeium erat secutus.

[e] *E republica dividi*] Neque enim reipublicæ conducit, aut Cæsari, ea militibus bona dividere, quæ Cæsar ipse vendidit, nisi velit omnem venditionibus suis auctoritatem adimere.

[f] *Sullanas*] Quamvis Sullam Cæsar, Marii utpote nepos, Sullæque sectatores oderat. Ille, profligatis Marianis partibus, cum rempublicam solus regeret, ditissimos cives proscripsit, eorumque bona suis militibus assignavit; quas assignationes, licet erant iniquissimæ, voluit esse ratas Cæsar, ut majorem suis auctoritatem afferret.

[g] *Necessario*] Albinio, socero suo.

[h] *Intelliges*] Aliquando ex officiis in te meis.

tissime, socios Bithyniæ;[a] teque cum mea commendatione,[1] tum etiam tua sponte intellexi cupere ei societati, quibuscumque rebus posses, commodare;[a] tamen, cum ii, quorum res agitur, magni sua interesse arbitrarentur, me etiam per literas declarare tibi, qua essem erga ipsos voluntate, non dubitavi hæc ad te scribere. Volo enim te existimare, me, cum universo ordini[2] publicanorum [multum] semper libentissime tribuerim, idque magnis ejus ordinis erga me meritis[b] facere debuerim, tum inprimis amicum esse huic Bithynicæ societati: quæ societas ordine ipso, hominum[3] genere, pars est maxima civitatis:[b] constat enim ex ceteris[c] societatibus: et casu permulti sunt in ea societate valde mihi familiares, inprimisque is, cujus præcipuum[d] officium agitur hoc tempore, P. Rupilius, P. F. Menenia,[e] qui est magister in ea societate. Quæ cum ita sint, in majorem modum[4] a te peto, Cn. Pupium, qui

[a] *Inservire.*
[b] *Quæ societas maximum Romæ locum tenet, tum quia est ex ordine equestri, tum quia constat ex hominibus illustrissimis.*

Epist. IX. 1 Ita Pall. 1. 6. Hitt. Victor. *cum ea commendatione* Amstel. Mentel. Græv. 2. cum uno Gulielm. Mox, *quibuscumque posses rebus* Vat. *q. r. posse commodare* Vat. *q. r. posse prodesse* Dresd. 3. Paulo post, *erga illos* Hitt. *erga eos* Stewech.—2 Hitt. *universo ordine.* Statim, *multum* deest in quinque Dresd. Torg. Lips. aliisque codd. ap. Græv. Tum, *idque pro magnis ejus ordinis* al. ap. Græv.—3 Stewech. Dresd. 3. Hitt. *et hominum;* Lamb. et Benedict. conj. *ordine, ipso hominum genere pars, &c.* Lips. *maxima societatis;* P *maxime civitatis.* Paulo post, *inprimis is* Stewech. P *v.* Tum, *P. Memmii filius* P ψ. *P. Meii filius v. P. filius Men.* Oliv.—4 Ita codd. Grævii et Vic-

NOTÆ

[a] *Socios Bithyniæ*] Publicanos, qui simul in Bithynia reipublicæ vectigalia colligebant. Bithynia provincia est Asiæ Minoris, ad Pontum sita, et opposita Thraciæ, proxima Troadi; primum Bebrycia, deinde Mygdonia; tum a Bithyno rege Bithynia dicta est, nunc *Becsangial.*

[b] *Erga me meritis*] Cum exularet Cicero, et rei pecuniariæ laboraret inopia, mutuam pecuniam ab illis accepit.

[c] *Ex celeris*] Cum variæ variis in provinciis publicanorum essent societates, hæc Bithynica ex omnibus conflata erat.

[d] *Præcipuum*] Quia societatis rector et magister, cujus erat sociis imperare quid facto opus esset, et ad eos referre, quæ ad societatis commodum pertinebant.

[e] *Menenia*] De Menenia tribu. Vide Epist. VIII. 8.

est in operis[f] ejus societatis,[c] omnibus tuis officiis atque omni liberalitate tueare, curesque, ut ejus operæ, quod tibi facile factu est, quam gratissimæ sint sociis:[d] remque, et utilitatem sociorum, (cujus rei quantam potestatem quæstor habeat, non sum ignarus[g]) per te quam maxime defensam et auctam velis.[e] Id cum mihi gratissimum feceris, tum illud tibi expertus promitto et spondeo, te socios Bithyniæ, si iis commodaris, memores esse et gratos cogniturum.

(10.) CICERO BRUTO S.

ARGUMENTUM.—M. Bruto, quem Cæsar, in Africanum bellum profecturus, Cisalpinæ Galliæ præfecerat, Epist. VI. 6. M. Terentium Varronem, quæstorem sorte datum, diligentissime commendat.

CUM ad te tuus quæstor, M. Varro, proficisceretur, commendatione egere eum non putabam.[1] Satis enim commendatum tibi eum arbitrabar ab ipso more majorum; qui (ut te non fugit) hanc quæsturæ conjunctionem liberorum necessitudini proximam voluit esse.[a] Sed cum sibi ita persuasisset ipse, meas de se accurate[2] scriptas literas maximum apud te pondus habituras, a meque contenderet, ut quam diligentissime scriberem; malui facere, quod meus familiaris tanti sua interesse arbitraretur. Ut igitur

[c] *Qui agit pro illa societate.*
[d] *Ut ea quæ facit, quod, &c. quam gratissima sint sociis.*
[e] *Horumque publicanorum commoda et opes, &c. velim et defendas, et augeas.*
[a] *Qui tantam esse voluerunt conjunctionem quæstoris cum proconsule suo, quanta ferme est liberorum cum parentibus.*

tor. *majorem in modum* edd. vett. Tum, *Cn. Puppium* edd. vett. *Cn. Pompeium* P. Pro *tueare* ψ habet *tueri.* Deinde, *quod tibi factum facile est* Hitt.

EPIST. X. 1 Codex unus Oxon. *egere non putabam.*—2 Cod. ψ *meas ad se*

NOTÆ

[f] *Operis*] Opera nonnunquam accipitur pro operis alicujus ministro; alias opus ipsum, et actionem significat. Videtur utrovis modo hic sumi posse, et ita explicari: Pupium, unum ex ministris qui res societatis curant, &c. vel uti dictum est in interpretatione.

[g] *Non sum ignarus*] Quoniam quæsturæ munus in Sicilia Tullius exercuerat.

debere me facere hoc intelligas, cum primum M. Terentius in forum venit,[a] ad amicitiam se meam contulit. Deinde, ut se corroboravit,[b] [*p.* 208.] duæ causæ accesserunt, quæ meam in illum benevolentiam augerent;[3] una, quod versabatur in hoc studio nostro,[c] quo etiam nunc maxime delectamur,[b] et cum ingenio, ut nosti, nec sine industria; deinde, quod mature se contulit in societates publicanorum: quod quidem nollem: maximis enim damnis affectus est. Sed tamen causa[4] communis ordinis, mihi commendatissimi, fecit amicitiam nostram firmiorem. Deinde versatus in utrisque subselliis[d c] optima et fide et fama, jam ante hanc commutationem reipublicæ,[5] petitioni[d] sese dedit,[e] honoremque honestissimum existimavit fructum laboris[e] sui. His autem temporibus[f] a me Brundisio[f] cum literis et mandatis profectus ad Cæsarem[g] est:[6] qua in re et

[b] *Ubi virilem ætatem attigit.*
[c] *In eloquentia.* [d] *Patronus, et judex.*
[e] *Ante bellum civile Pompeium inter et Cæsarem petiit magistratus.*
[f] *Post cladem autem Pharsalicam.*

adcurate.—3 'Ernesti recte recepit ex nonnullis codd. lectionem Victorii *augerent*, quam etiam Dresd. 1. 2. 3. confirmant.' *Benedict.* *auxerunt* Amstel. Mentel. Græv. 2. duo Gulielm. P *v.* *auserunt* Stewech. *auxerint* Dresd. 4. Mox, *maxime delectatur* Dresd. 3. Tum, *in societate publicanorum* ψ.—4 Voc. *causa* deest in quinque Dresd. Torg. Pall. 1. 6. Amstel. Mentel. Græv. 2. Stewech. *v* ψ. Venet. Ascens. 1. Pro *amicitiam* Benedict. malit *amicitia.*—5 Verba, *jam ante h. c. reipublicæ*, desunt in *v. se dedit petitioni* Victor. *R. P. sese dedit* al. ap. Græv.—6 Ita Hitt. Stewech. Amstel. *profectus est ad Cæsa-*

NOTÆ

[a] *In forum venit*] Vel ut causas ageret ipse, vel ut oratores in foro dicentes audiret.

[b] *Delectamur*] Non publicis quidem, sed privatis exercitationibus; eversa enim propemodum republica, rarius in curia causas agebat.

[c] *In utrisque subselliis*] Id est, in majoribus et minoribus causis. Varro enim causas egit, et apud eos judices, qui simul cum magistratu non curuli parvis de rebus, et apud eos qui cum curuli de majoribus cognoscerent. Erant autem diversa pro diversitate judicum subsellia, nisi magis arridet interpretatio, quæ clara est, et brevis; alia enim erant subsellia judicis, alia patroni. Quid sit magistratus curulis, dictum antea. Si plura de Varrone quæris, consule Indicem Historicum.

[d] *Petitioni*] Magistratuum; quam porro dignitatem primum petierit incertum est.

[e] *Laboris*] Quem causas agendo susceperat.

[f] *Brundisio*] Quo profectus erat Cicero post cladem Pharsalicam.

[g] *Ad Cæsarem*] Ut contenderet a Cæsare, Ciceroni ut liceret, vel ali-

amorem ejus in suscipiendo[h] negotio perspexi, et in conficiendo ac renuntiando[i] fidem. Videor mihi, cum[7] separatim de probitate ejus et moribus dicturus fuissem, si prius causam, cur eum tantopere diligerem, tibi exposuissem, in ipsa causa[g] exponenda satis etiam de probitate dixisse. Sed tamen separatim promitto, in meque recipio,[8] fore eum tibi et voluptati et usui.[h] Nam et modestum hominem cognosces, et prudentem, et a cupiditate[9] omni remotissimum;[i] præterea magni laboris, summæque industriæ. Neque ego hæc polliceri debeo,[10] quæ tibi ipsi, cum bene cognoris, judicanda sunt; sed tamen in omnibus novis conjunctionibus interest, qualis primus aditus sit, et qua commendatione quasi amicitiæ fores aperiantur:[k] quod ego his literis efficere volui; etsi id ipsa per se necessitudo quæsturæ[l] efficere debet:[11] sed tamen nihilo infirmius illud, hoc addito.[m] Cura igitur, si me tanti facis, quanti et Varro existimat, et ipse sentio, ut quam primum intelligam, hanc meam commendationem tantum illi utilitatis attulisse, quantum et ipse sperarit, nec ego dubitarim.

[g] *Habebam in animo loqui separatim de probitate Varronis, si prius, &c. sed videor in ipsa causa, &c.*

[h] *Utilitati.* [i] *Et avaritiæ nullatenus obnoxium.*

[k] *Et qua commendatione amicitiæ detur initium.*

[l] *Ipsa quæ solet esse quæstoris cum proconsule conjunctio.*

[m] *Sed illud ipsum, quod facit quæsturæ necessitudo, non erit infirmius, addita mea commendatione.*

rem edd. vett. Mox, *et fidem in conf. ac renunc.* vulgg. ante Græv.—7 *Videor, cum* codex unus Oxon.—8 P *ex me recipio.*—9 Codex unus Oxon. *et a commoditate.* Mox, *summæ industriæ* Hitt.—10 *Neque hæc ego polliceri debeo* Hitt. et Stewech. *cum bene cognoveris* edd. vett. *judicanda sint* Dresd. 3. *judicanda fuit* Dresd. 4. Deinde, *amicitiæ quasi fores* al. ap. Græv.—11 Dresd. quinque, Torg. Lips. ψ, Victor. *effecisse debet,* probante Benedict. *illud* deest in ψ.

NOTÆ

cubi in Italia, vel etiam Romæ versari: eo tempore Cæsar, Pharnace devicto, Romam redibat.

[h] *In suscipiendo*] In ferendis meis literis, meaque cum Cæsare reconciliatione promovenda.

[i] *Renuntiando*] Et renuntiando mihi quæ cum Cæsare confecisset.

(11.) M. T. C. BRUTO S. P. D.

ARGUMENTUM.—Commendat Bruto vectigalia, quæ Arpinates in Gallia habebant; et legatos, qui ad ea exigenda proficiscebantur.

QUIA semper animadverti, studiose te operam dare, ut ne quid meorum tibi esset ignotum;[a] propterea non dubito, quin scias, non solum[1] cujus municipii sim, sed etiam, quam diligenter soleam meos municipes, Arpinates,[a] tueri. Quorum quidem omnia commoda, omnesque facultates, quibus et sacra conficere, et sarta tecta[2 b] ædium sacrarum, locorumque communium tueri[b] possint, consistunt in his vectigalibus, quæ habent in provincia Gallia. Ad ea visenda,[c] pecuniasque, quæ a colonis debentur, exigendas, totamque rem et cognoscendam et administrandam, legatos equites Romanos misimus, Q. Fufidium,[3] Q. F. M. Faucium, M. F. Q. Mamercum, Q. F. Peto a te in majorem modum, pro nostra necessitudine, ut tibi ea res curæ sit, operamque des, ut per te quam commodissime negotium municipii administretur, quam primumque conficiatur; ipsosque, quorum nomina scripsi, ut quam honorificentissime, pro tua natura, et quam liberalissime tractes. Bonos viros ad tuam necessitudinem adjunxeris, municipiumque gratissimum beneficio tuo devinxeris: mihi vero etiam gratius feceris,[4] quod cum semper tueri municipes meos consuevi, tum hic annus præcipue ad meam curam

[a] *Ut meæ res omnes tibi essent cognitæ.*
[b] *Et sacras ædes integras atque incolumes conservare.*
[c] *Ad ea examinanda.*

EPIST. XI. 1 Verba *non solum* desunt in uno cod. Oxon.—2 Idem cod. *saerata tecta; ψ sancta tecta.* Mox, *tueri possunt* Lips. *tueri possit* Dresd. 1. 2. 5. Torg. Ascens. 1. *constitui in his v.*—3 Ita Pall. 1. 6. Hitt. Stewech. Amstel. *Q. Suffidium* edd. vett. Actutum, *Q. F. M. Lucium* Hitt. Tum, *Q. Mamercium* in eodem cod. *Q. Manercium* Stewech. *v ψ. Q. Mancium* P. *majorem in modum* vulgg. ante Græv. *ut ea res tibi curæ sit* edd. vett.—4 Ita

NOTÆ

[a] *Arpinates*] Arpinum Volscorum oppidum, Ciceronis et Marii septies consulis natalibus illustre: municipium, et præfectura *Arpino.*

[b] *Sarta tecta*] Vocabantur, auctore Festo, opera publica, quæ locabantur, ut integra præstarentur.

officiumque pertinet. Nam, constituendi municipii causa,[y] hoc anno ædilem[c] filium meum fieri volui, et fratris filium, et M. Cæsium,[z 5] hominem mihi maxime necessarium: is enim magistratus in nostro municipio, [*p.* 209.] nec alius ullus creari solet:[d] quos cohonestaris,[6] inprimisque me, si res publica municipii, tuo studio, diligentia[7] bene administrata erit. Quod ut facias, te vehementer etiam atque etiam rogo.

(12.) M. T. C. BRUTO S. P. D.

ARGUMENTUM.—Q. Fufidium, Arpinatis municipii legatum, qui tribunus militum in Cilicia fuerat, diligenter commendat.

ALIA epistola communiter[a] commendavi tibi legatos Arpinatium, ut potui diligentissime: hac separatim Q. Fufidium,[1] quocum mihi omnes necessitudines sunt,[b] diligentius commendo, non ut aliquid de illa commendatione comminuam, sed ut hanc addam. Nam et privignus est M. Cæsii, mei maxime et familiaris[2] et necessarii, et fuit in Cilicia mecum tribunus militum:[c e] quo in munere ita se tractavit,[d] ut accepisse ab eo beneficium viderer, non de-

[y] *Nam, ut municipium meliorem in formam redigatur.* [z] *Arpinatem.*
[a] *Generatim.* [b] *Cui sum multiplici nomine conjunctus.*
[c] *Cum Ciliciam proconsul rexi.* [d] *Ita se gessit.*

Pal. 1. Amstel. Victor. *etiam eo gratius feceris* ψ, et edd. vett.—5 *M. Cælium* P.—6 'Videtur legendum esse *cohonestabis.*' Benedict.—7 Ita codd. Victorii, Dresd. 1. 2. 4. 5. Torg. tres Gulielm. duo Pall. Amstel. Mentel. Græv. 2. P *v* ψ, Ascens. 1. *tuo studio et diligentia* vulgg. ante Græv. *tuo studio diligentiaque* Dresd. 3.

EPIST. XII. 1 Ita codd. *Q. Suffidium* vulgg. ante Græv. Mox, pro *comminuam,* quod servant Dresd. 1. 2. 5. Torg. Pall. 1. 6. Stewech. Amstel. Venet. Ascens. 1. *diminuam* Dresd. 3. 4. Lips. vulgg. ante Græv. *deminuam* Lamb. *sed ut ad hanc addam* Pal. 6. Mentel. Dresd. 1. 2. 3. 5. Torg. Lips. *v* ψ. *ad* omittunt Maffei codex et Amstel. *sed ut ad hanc accedam* al. ap. Græv. *sed ut et hanc addam* conj. Benedict.—2 Dresd. 3. *mei maxime familiaris.*—

NOTÆ

[c] *Ædilem*] Fieri Arpini, ut publicas hujus municipii ædes refici, ludosque exhiberi curet.

[d] *Nec alius creari solet*] Præter ædilem: in aliis quippe municipiis vel dictator creari solebat, ut Lanuvii; vel consul, ut Tusculi; vel decemvir, ut Corfinii.

[e] *Tribunus militum*] Qui primum in legione locum post legatum obtinebat.

disse. Est præterea[3] (quod apud te valet plurimum) a nostris studiis non abhorrens. Quare velim eum quam liberalissime complectare; operamque des, ut in ea legatione,[4] quam suscepit contra suum commodum, secutus auctoritatem meam,[e] quam maxime ejus excellat industria. Vult enim (id quod[5] optimo cuique natura tributum est) quam maximam laudem, cum a nobis, qui eum impulimus,[f] tum a municipio[f] consequi; quod ei continget, si hac mea commendatione tuum erga se studium erit consecutus.

(13.) M. T. C. BRUTO[1] S. P. D.

ARGUMENTUM.—L. Castronium, Lucensem municipem, commendat.

L. CASTRONIUS PÆTUS, longe princeps municipii Lucensis,[g] est honestus,[h] gravis, plenus officii,[2] bonus plane vir, et cum virtutibus, tum etiam fortuna, si quid hoc ad rem pertinet, ornatus:[g] meus autem est familiarissimus,[3] sic prorsus, ut nostri ordinis[h] observet neminem diligentius. Quare ut et meum amicum, et tua[4] dignum amicitia, tibi commendo. Cui, quibuscumque rebus commodaveris,[i5] tibi profecto jucundum, mihi certe erit gratum. Vale.

[e] *A me impulsus.* [f] *Ab Arpinatibus.*
[g] *Tum etiam opibus, si tamen opes in commendatione locum habent.*
[h] *Ut ordinis senatorii.* [i] *Quibuscumque rebus ei inserviés.*

3 *Est propterea* codex unus Oxon.—4 Hitt. et Pal. 6. *des in ea legatione; v des ut in ea legione.* Mox, *contra commodum suum* Hitt. et Pal. 6.—5 *Vult enim quod v.* Idem codex in fine addit *Vale.*

EPIST. XIII. 1 *D. Bruto* ψ.—2 Idem cod. *plenus officiis.*—3 Hitt. *meus autem quam familiarissimus.*—4 *Quare et ut meum amicum et tua* codd. Grævii et Victor. *Quare et ut meum amicum, et ut tua* edd. vett.—5 Dresd. 1. 2. Torg. *v ψ commendaveris;* Dresd. 3. *Quibuscumque rebus subveneris.*

NOTÆ

[f] *Impulimus*] Ut legationem hanc susciperet.

[g] *Lucensis*] Luca Tusciæ urbs, et colonia, de qua prius.

[h] *Honestus*] Adverte vim et ordinem commendationis; *honestus* ad familiæ splendorem; *gravis* ad ætatem, et mores; *plenus officii* ad voluntatem, consuetudinemque de aliis bene merendi pertinet; *bonus* autem *vir* omnes ferme laudes complectitur.

(14.) M. T. C. BRUTO S. P. D.

ARGUMENTUM.—Petit ut exactionem ejus pecuniæ, quam L. Straboni P. Cornelius debet, suo studio et diligentia curet.

L. TITIO STRABONE,[1] equite Romano, inprimis honesto et ornato, familiarissime utor. Omnia mihi cum eo intercedunt jura summæ necessitudinis.[k] Huic in tua provincia pecuniam debet P. Cornelius. Ea res a Volcatio,[i] qui Romæ jus dicit, rejecta in Galliam est. Peto a te hoc diligentius, quam si mea res esset,[2] quo est honestius de amicorum pecunia laborare, quam de sua, ut negotium conficiendum cures: ipse suscipias, transigas, operamque des, quoad tibi æquum[3] et rectum videbitur, ut quam commodissima conditione libertus Strabonis, qui ejus rei causa missus est, negotium conficiat, ad nummosque perveniat.[l] Id et mihi gratissimum erit; et tu ipse L. Titium[4] cognosces amicitia tua dignissimum: quod ut tibi curæ sit, ut omnia solent esse, quæ me velle scis, te vehementer etiam atque etiam rogo.[5]

[k] *Maximis et omnibus amicitiæ vinculis sum illi conjunctus.*
[l] *Et debitam Straboni pecuniam accipiat.*

EPIST. XIV. 1 Ita Dresd. 3. Torg. Hubert. aliique; *L. Titione Strabone* Dresd. 1. 2. 4. 5. P ψ, al. ap. Græv. et Ascens. 1. *L. Ticione Strabone* v.—2 Stewech. *quam mea res esset.*—3 Ita Stewech. Pal. 6. Amstel. Victor. *quod tibi æquum* al. ap. Græv. et edd. vett.—4 Ita Dresd. 1. Torg. v ψ, alii; *ipse Titium* P. *ipse L. Titionem* nonnulli codd. Grævii, Amstel. Dresd. 2. 3. 4. 5. Lips.—5 *Vale* subjungit v: et sic Oliv. et edd. vett.

NOTÆ

[i] *A Volcatio*] Quare non addit, *prætore urbano*, quia merito dubitari potest, utrum ii qui Romæ jus hoc anno dixerunt prætorum titulo uti potuerint, cum a Cæsare tantum non habitis comitiis essent constituti: Suetonius enim auctor est, C. Cæsarem in tertio et quarto consulatu nulla habuisse comitia præter tribunorum, et ædilium plebis, præfectosque pro prætoribus constituisse, qui præsente se res urbanas administrarent: ceteroquin Cicero Volcatium nominasset prætorem, si magistratum a populo, comitiis habitis, more majorum obtinuisset.

(15.) M. T. C. C. CÆSARI IMP. S. P. D.

ARGUMENTUM.—Præcilium adolescentem, patre natum Cæsaris amicissimo, commendat. Cæsare IV cos. sine collega.

PRÆCILIUM[1] tibi commendo unice, tui necessarii, mei familiarissimi, viri optimi filium; quem cum adolescentem ipsum, propter ejus modestiam, humanitatem, [*p.* 210.] animum, et amorem erga me singularem, mirifice diligo; tum patrem ejus, re[a] doctus, intellexi et didici mihi fuisse semper amicissimum. En, hic ille est,[2] de illis maxime qui irridere[b] atque objurgare me solitus est, quod me non tecum, præsertim cum abs te honorificentissime invitarer, conjungerem.[a]

Ἀλλ' ἐμὸν οὔ ποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἔπειθεν,
Ὡς νεφέλη ἐκάλυψε μέλαινα.[c] [3]

Audiebam[4] enim nostros proceres[d] clamitantes,

Ἄλκιμος ἔσσ', ἵνα τίς σε καὶ ὀψιγόνων εὖ εἴπῃ.[e] [5]

Sed tamen iidem[b] me consolantur:[6] et jam hominem per-

[a] *Experientia.*
[b] *Hic illè est Præcilius senex, qui omnium maxime irridere, &c.*
[c] *Sed hoc mihi persuadere nunquam potuit; sic quasi me nubes obscura involvisset, non vidi quod mihi utilius fuit.*
[d] *Pompeianos.* [e] *Fortis esto, ut aliquis te posterorum laudet.*

EPIST. XV. 1 *Protilium* P *v. P. Rutilium* Mentel. *P. Retilium* Græv. 2. *Publium Retilium* ψ.—2 *Em hic est ille* Medic. *Hem hic ille est* v ψ, Victor. *Hic est ille*, omisso *En*, Hitt. Pal. 6. Dresd. 3. *En hic illi est* Amstel. *En hic est ille* Græv. 2. *Sed hic ille est* Mentel. *de illis maxime* desunt in Hitt. Pal. 6. Dresd. 3. *de aliis maxime* habet Mentel. Tum *solicitus est* Græv. 2. *soliti sunt* v ψ, Oliv. Deinde, *cum ab te* vulgg. ante Græv.—3 Græca desunt in v ψ. *Ὡς νεφέλη ἐκάλυψε μέλαινα* desunt hoc loco in pluribus codd. et edd. vett.—4 *Audiebamus* P *v.*—5 P, aliique codd. et edd. vett. *εἴπῃ. Ὡς νεφέλη ἐκάλυψε μέλαινα.*—6 Ita codex unus Corradi et ed. Lamb. *idem me consolatur* codd. fere omnes et edd. vett. *et jam h. p. inani gloria* est ex emend. Manutii et Lamb. *etiam h. p. et inanem gloriam* Amstel. *etiamnum gloria* Medic. unde *etiamnunc* dedit Victor. *perustum et inanum gloria* Dresd. 1. 2. 4. *et intimum*

NOTÆ

[a] *Conjungerem*] Initio belli civilis, Tullius a Cæsare invitatus est, ut sibi contra Pompeium adhæreret, vel saltem ut neutram in partem inclinans, alicubi belli exitum præstolaretur: neutrum fecit, ac Pompeium secutus est.

[b] *Iidem* [*idem*] Præcilius me consolatur, cum asserit me tibi carissimum esse.

ustum,[f] inani[c] gloria volunt incendere; atque ita loquuntur:

Μὴ μὰν ἀσπουδεί γε καὶ ἀκλειῶς ἀπολοίμην,[7]
Ἀλλὰ μέγα ῥέξας τι καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι.[g]

Sed minus jam movent,[h] ut vides.[d] Itaque ab Homeri magniloquentia[8 e i] confero me ad vera[f] præcepta *Εὐριπίδου·*[k] *Μισῶ σοφιστὴν, ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός·*[l 9 g] quem versum senex Præcilius laudat egregie: et ait, posse eundem[b] et *ἅμα πρόσω καὶ ὀπίσω*[i] videre, et tamen nihilominus

Αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.[m 10]

[f] *Iidemque nunc Pompeiani me jam defessum et languentem, &c.*
[g] *Ne negligenter, et sine gloria peream, sed magno aliquo edito facinore, et quod posteri audiant.*
[h] *Pompeiani.* [i] *Relictis Homeri magnificis versibus.*
[k] *Euripidis.* [l] *Odi sapientem, qui non sibi sapit.*
[m] *Et ait posse eundem hominem, qui sibi consulit, præterita simul, et futura videre, et tamen semper præclare agere, et aliis antecellere.*

gloria codd. Manutii et Torg. *et jam non gloria* al. ap. Manut. *et inanem gloria* Amstel. Lips. Dresd. 5. Ascens. 1. *immani gloria* Dresd. 3. cum libro Vincentii Riccii.—7 Ἀλλ' ἄγε πῶς μέμονας; οὐ δεῖ γε καὶ ἀκλειῶς ἀπολέσθαι plurimi codd. et edd. vett. Hi duo versus desunt in *υ ψ*.—8 Ita Dresd. 1. 2. *magni eloquentia* Dresd. 3. 4. 5. Torg.—9 Εὐριπίδου... σοφὸς desunt in *υ ψ*. Statim, *senex Cæcilius* Dresd. 3. *et* ante ἅμα deest in eodem cod. ἅμα π. κ. ὀπίσω desunt in *υ ψ*.—10 Hic versus deest etiam in iis-

NOTÆ

[c] *Inani* [*etiamnum*] Corruptus Manutio, aliisque videtur hic locus: legi potest *iidem nunc*, id est, Pompeiani me tædio affectum, inani adhuc gloria volunt incendere, mihique persuadere, ut tecum rursus armis decertem, atque ita, &c.

[d] *Ut vides*] Quia Romæ tum versabatur, cum adhuc Pompeiani in Hispania contra Cæsarem dimicarent.

[e] *Magniloquentia*] Quæ ad inanem gloriam me incitat.

[f] *Vera*] Quæ veram homines sapientiam docent in eo positam, ut quisque primum sibi, deinde aliis sapiat.

[g] Σοφὸς] Pompeianos arguit, qui sibi non sapiebant, cum bis jam profligati, in Græcia scilicet, et in Africa, cum Cæsare manus tertium conserere non dubitarent.

[h] *Eundem*] Qui suis rebus consulat, præclare se gerere, et aliorum quoque rationibus, et saluti consulere; sic se gerebat Cicero ex Præcilii sententia.

[i] Ὀπίσω] Hæc videntur verba respicere ad duplicem Æsopi manticam; declarantque, qui hujus sententiæ usum habuerit, inprimis illum sapere, cum et se et ceteros norit, sibi et aliis serviat: utrumque autem Cicero amicitia Cæsaris consequebatur, cujus beneficio sibi et aliis utilis erat, præteritum corrigebat errorem, et sana in futurum tempus consilia capiebat.

Sed, ut redeam ad id, unde cœpi, vehementer mihi gratum feceris, si hunc adolescentem humanitate tua, quæ est singularis, comprehenderis;[11] et ad id, quod ipsorum Præciliorum causa te velle arbitror, addideris cumulum commendationis meæ.[12] Genere novo[k] sum literarum ad te usus, ut intelligeres, non vulgarem esse commendationem.

(16.) M. T. C. C. CÆSARI IMP. S. P. D.

ARGUMENTUM.—Apollonium, P. Crassi libertum, Cæsari in Hispania contra Pompeii filios bellum gerenti, commendat.

P. CRASSUM[a] ex omni nobilitate adolescentem dilexi plurimum:[a 1] et de eo cum ab ineunte ejus ætate bene speravissem, tum per me existimare cœpi, iis judiciis, quæ de eo feceram, cognitis.[b b] Ejus libertum[2] Apollonium jam tum equidem, cum ille[c] viveret, et magni faciebam, et probabam. Erat enim et studiosus Crassi, et ad ejus optima studia[c] vehementer aptus: itaque ab eo admodum diligebatur. Post mortem autem Crassi, eo mihi etiam dignior visus est, quem in fidem atque amicitiam meam reciperem, quod eos a se[3] observandos et colendos putabat, quos ille[d] dilexisset, et quibus carus fuisset. Itaque et ad me in Ci-

[a] *Unum inter omnes adolescentes nobiles dilexi plurimum.*
[b] *Ubi comperi non errasse me in iis judiciis, quæ de eo feceram.*
[c] *Crassus.* [d] *Crassus.*

dem codd.—11 Codex unus Oxon. *complecteris.*—12 Ita Hitt. et Stewech. *commendationi meæ* codd. Grævii et edd. vett.

EPIST. XVI. 1 Cod. ψ *primum.* Actutum, *et de eo* est ex emend. Lamb. *et ex eo* habent codd. et edd. vett. *cum* deest in *v.* Statim, *tum optime existimare v* ψ, et vulgg. ante Græv. *cum per me existimare* Mentel. *ex iis judiciis* edd. ante Ernesti. 'Non assentior Ernestio, viro summo, qui particulam *ex* ejecit.' *Benedict.*—2 *Ejus liberum* Dresd. 1. 2. 4. Torg. Lips.—3 Dresd. 1. 2. 3. 4. Torg. *v* ψ *quo eos a se,* probante Benedict. *quos eos a se* Dresd. 5. Mox,

NOTÆ

[k] *Genere novo*] Ob Græcas locutiones præter consuetudinem interjectas.

[a] *P. Crassum*] Marci Crassi Romanorum ditissimi filium, qui una cum patre a Parthis occisus est, adolescens omni virtutum genere ornatus.

[b] *Cognitis*] Corroborata jam ætate opinionem de se datam non fefellit Crassus.

[c] *Optima studia*] Eloquentiæ, cui, Cicerone magistro, operam Crassus dederat. Vide Ciceronem in Bruto.

liciam[4] [d] venit, multisque in rebus mihi magno usui fuit et fides ejus, et prudentia: et, ut opinor, tibi in Alexandrino [e] bello, quantum studio et fidelitate consequi potuit, non defuit. Quod cum speraret, te quoque[5] ita existimare,[e] in Hispaniam [f] ad te, maxime ille quidem suo consilio, sed etiam me auctore, est profectus. Cui ego commendationem non sum pollicitus,[6] non quin eam valituram apud te arbitrarer: sed neque mihi egere commendatione videbatur, qui et in bello tecum fuisset, et, propter memoriam Crassi, de tuis [g] unus esset; et, si uti commendationibus vellet, etiam per alios eum videbam id consequi posse. Testimonium mei[7] de eo judicii, quod et ipse magni æstimabat, et ego apud te valere eram expertus, ei libenter dedi.[f] Doctum igitur hominem cognovi, et studiis optimis deditum, idque a puero. Nam domi meæ cum Diodoto[8] Stoico,[h] homine, meo judicio, eruditissimo, multum a puero fuit. Nunc autem, incensus studio rerum tuarum, eas literis Græcis mandare cupit:[9] posse arbitror: valet ingenio: habet usum: jam pridem in eo genere studii [g] literarumque versatur: [*p.* 211.] satisfacere immortalitati laudum tuarum mirabiliter cupit. Habes opinionis meæ testimonium: sed tu hoc facilius multo,[10] pro tua singulari prudentia, judicabis.[i] Et tamen, quod negaveram, commendo tibi

[e] *Et cum existimaret suam fidem tibi quoque perspectam esse.*
[f] *Libenter testificatus sum in iis literis, quodnam de illo judicium facerem.*
[g] *In historia.*

putavit codex unus Oxon.—4 *Siciliam* ed. Grut.—5 Hitt. *cum te speraret quoque.*—6 Idem cod. *non solum pollicitus.* Mox, *te arbitrer* P. Hæc omnia, *et si uti... dedi* desunt in eodem cod.—7 Ita Guelf. 1. P *v*, Rom. et sic conj. Lamb. *Testimonium meum* alii codd. et edd. vett. Statim, *magni æstimat* Amstel. *valere enim expertus* ψ.—8 *Diodoro* multi codd. *docto* P.—9 Hæc est emend. Ernesti; omnes codd. et edd. vett. habent *cupiebat.* Actutum, *quod*

NOTÆ

[d] *In Ciliciam*] Cum proconsul hanc regerem.

[e] *In Alexandrino*] Quod cum Ptolemæo Cæsar gessit, post fusum in pugna Pharsalica Pompeium.

[f] *In Hispaniam*] Quo Cæsar se contulerat contra Pompeii liberos.

[g] *De tuis*] Quia Publius Crassus Cæsaris in Gallia legatus fuit.

[h] *Diodoto Stoico*] Vide Epist. IX. 4.

[i] *Judicabis*] De ejusdem Apollonii ingenio, doctrina, exercitatione, et utrum possit esse idoneus rerum tuarum scriptor.

eum. Quicquid ei commodaveris, erit id majorem in modum gratum.[11]

(17.) M. T. C. SER. SULPICIO S. P. D.

ARGUMENTUM.—Manium Curium Servio Sulpicio, Achaiæ præsidi, commendat. Adde Epist. VII. 29.

M' CURIUS,[1] qui Patris[k] negotiatur, multis et magnis de causis a me diligitur. Nam et amicitia pervetus mihi cum eo est, ut primum in forum venit,[2] instituta: et patris cum aliquoties antea, tum proxime hoc miserrimo bello,[h] domus ejus tota mihi patuit; qua si opus fuisset, tam essem usus, quam mea. Maximum autem mihi vinculum[3] cum eo est quasi sanctioris cujusdam necessitudinis, quod est Attici[i] nostri familiarissimus, eumque unum præter ceteros observat ac diligit. Quem si tu jam forte cognosti,[4] puto me hoc, quod facio, facere serius. Ea est enim[5] humanitate et observantia, ut eum tibi jam per se ipsum commendatum[6] putem. Quod tamen si ita est, magnopere a te quæso, ut ad eam voluntatem, si quam in illum ante has meas literas contulisti, quam maximus post mea commendatione[7] cumulus accedat. Sin autem, propter verecundiam suam, minus se tibi obtulit,[k] aut nondum

[h] *Hoc civili bello.*
[i] *Sed hoc præcipue nomine mihi conjunctissimus est, quod sit Attici, &c.*
[k] *Rarius ad te accessit.*

posse arbitror P.—10 Dresd. 1. 2. Torg. *v* ψ omittunt *multo*.—11 *Vale* subjungit P.

EPIST. XVII. 1 *Marcus Curius* Oliv. *Manius Curius v* ψ. *qui Patras* ψ. *qui negotiatur Patris* Hitt.—2 Ita Dresd. 3. Hitt. Pal. 6. *in forum veni* Dresd. 1. 2. 4. 5. Torg. Lips. cum edd. vett. Mox, *et Patris* edd. vett. *et Patras v*. Deinde, *tum proximo* in eodem cod.—3 Hitt. *vinculum mihi*.—4 Ita Pal. 1. et Victor. *cognovisti v* et al. ap. Græv.—5 *Ea enim est* edd. vett.—6 Ita Stewech. Lips. Victor. *jam ipsum per se commendatum* codd. Grævii, quinque Dresd. Torg. Ascens. 1. *jam ipse per se commendatum* P.—7 Ita emend. Lamb. *potest mea commendatione* maluit Manut. *postea commendatione* omnes fere codd. et plurimæ edd. *præterea commendatione* P. *etiam commendatione* Torg. *commendatione* deest in Dresd. 5. Rom. Venett. 1469. 1471. *post ea com-*

NOTÆ

[k] *Patris*] Patræ Achaiæ in Peloponneso civitas: nunc *Patras*.

eum[8] satis habes cognitum, aut quæ causa est,[l] cur majoris commendationis indigeat; sic tibi eum commendo, ut neque majore studio quenquam, neque justioribus de causis commendare possim. Faciamque id, quod debent facere ii,[9] qui religiose et sine ambitione[m] commendant. Spondebo enim tibi, vel potius spondeo, in meque recipio, eos esse M' Curii[10] mores, eamque tum probitatem, tum etiam humanitatem, ut eum et amicitia tua, et tam accurata commendatione, si tibi sit cognitus, dignum sis existimaturus. Mihi certe gratissimum feceris, si intellexero, has literas tantum, quantum scribens confidebam, apud te pondus habuisse.

(18.) CICERO SERVIO S.

ARGUMENTUM.—Gratias agit, quod optima in Atticum voluntate sit, quem dum commendari dicit necesse non esse, eo ipso valde commendat, quo Servius ei neque in Epiroticis, neque in aliis rebus desit.

NON concedam, ut Attico[a] nostro,[1] quem elatum lætitia vidi, jucundiores tuæ suavissime ad eum et humanissime scriptæ literæ, fuerint quam mihi. Nam etsi utrique nostrum prope æque gratæ erant, tamen ego admirabar magis, te, quasi rogatus,[2] aut certe admonitus,[b] liberaliter Attico respondisses, (quod tamen dubium nobis, quin ita futurum fuerit, non erat[a]) ultro ad eum scripsisse, eique nec opinanti voluntatem tuam tantam per literas detulisse.

[l] *Aut si quæ alia causa est.* [m] *Pie, ac sincere.*

[a] *Quanquam dubium nobis non erat, quin roganti, aut saltem monenti Attico officiose responsurus fuisses.*

mendatione conj. Benedict.—8 Ita Pall. I. 6. Amstel. Victor. *aut eum nondum* vulgg. ante Græv. Mox, *aut si quæ causa est* conj. Lamb. Pro *indigeat* ψ habet *intelligat.*—9 Hitt. et Stewech. omittunt *facere ii.*—10 Iidem codd. *esse eo M' Curii; v eos esse Marci Curii.*

EPIST. XVIII. 1 *Attice nostro* ψ. *aut Attico nostro* al.—2 Hitt. *q^i si rogatus;* Pal. 6. *qui si rogatus;* Mentel. *quam rogatus;* al. ap. Græv. *quam si roga-*

NOTÆ

[a] *Attico*] Cui tum in Epiro negotia habenti, suam ultro Sulpicius voluntatem et operam obtulerat.

[b] *Aut certe admonitus*] Correctio; nec enim decet amicum ab amico rogari, cum sponte debeat in eum beneficia conferre.

De quo non modo rogare te, ut eo studiosius mea quoque causa facias,[b] non debeo, (nihil enim cumulatius[3] fieri potest, quam polliceris) sed ne gratias quidem agere, quod tu et ipsius causa et tua sponte feceris.[c] Illud tamen dicam, mihi id, quod fecisti, esse gratissimum. Tale enim tuum judicium de homine eo, quem unice diligo,[4] non potest mihi non summe esse jucundum. Quod cum ita sit, esse gratum necesse est.[c] Sed tamen, cum mihi,[5] pro conjunctione nostra, vel peccare[d] apud te in scribendo licet; utrumque eorum, quæ negavi mihi facienda esse, faciam. Nam et ad id, quod Attici causa te ostendisti esse facturum, tantum velim addas, [*p.* 212.] quantum ex nostro amore[6] accessionis fieri potest: et, quod modo verebar tibi gratias agere, nunc plane ago, teque ita existimare volo, quibuscumque officiis in Epiroticis[d e] reliquisque rebus Atticum obstrinxeris, iisdem me tibi obligatum fore.

(19.) M. T. C. SER. SULPICIO S. P. D.

ARGUMENTUM.—Rogat, ut Lysonem, quem antea commendaverat, in fidem et necessitudinem recipiat.

CUM Lysone Patrensi[f] est mihi quidem hospitium vetus;

[b] *Ut studiosius mea causa Attici commodis inservias.*
[c] *Siquidem non mea, sed ipsius causa, nec a me rogatus, sed tua sponte fecisti.*
[d] *In negotiis, quæ habet in Epiro.*

tus. Statim, *Attice* ψ.—3 Cod. ψ *nihil cumulatius.*—4 Ita Hitt. Pal. 6. Gebh. *quem ego unice diligo* quinque Dresd. Torg. Lips. al. ap. Græv. Mox, *mihi nisi summe* P.—5 *Sed cum mihi* P. *Sed t. quando mihi* Dresd. 2. 5. Torg. Lips. Ascens. 1. *Sed t. quomodo mihi* Dresd. 1. Mox, *utrum eorum v.* Deinde, *faciunda esse* Pall. 1. 6. Hitt.—6 Torg. Lips. Dresd. 5. Stewech. Ascens. 1. *ex meo amore.* Paulo post, *nunc præclare ago v.* Idem cod. in fine addit *Vale.*

NOTÆ

[c] *Esse gratum necesse est*] Nihil fere jucundum, quod non idem gratum; grata vero multa, quæ non eadem jucunda: accipere medicinam, gratum est, non vero jucundum; sæpe veritas grata est, seu utilis, raro jucunda.

[d] *Peccare*] Sic Martialis: 'peccat Qui commendandum se putat esse suis.'

[e] *In Epiroticis*] Atticum multas in Epiro possessiones habuisse testatur Cornelius Nepos. Epirus autem regio est Græciæ finitima, quæ tum ad Sulpicii provinciam pertinebat: dicta primum est Molossia, deinde Chaonia; nunc vel *Albania* appellata, vel *Janna.*

[f] *Patrensi*] Patris in Achaia nato, apud quem Cicero, e Cilicia rediens,

quam ego necessitudinem[1] sancte[e g] colendam puto. Sed ea causa etiam cum aliis compluribus;[2] familiaritas[f] tanta nullo cum hospite; et ea cum officiis ejus multis, tum etiam consuetudine quotidiana sic est aucta, ut nihil sit familiaritate nostra conjunctius. Is cum Romæ annum prope ita fuisset, ut mecum viveret, etsi eramus in magna spe, te meis literis commendationeque diligentissime facturum, id quod fecisti, ut ejus[g] rem et fortunas absentis[3] tuerere; tamen quod in unius[h] potestate erant omnia, et quod Lyso fuerat in nostra[i] causa nostrisque præsidiis, quotidie aliquid timebamus.[h] Effectum tamen est et ipsius[4] splendore, et nostro reliquorumque hospitum studio, ut omnia, quæ vellemus, a Cæsare impetrarentur: quod intelliges ex iis literis, quas Cæsar ad te dedit. Nunc non modo non remittimus[k] tibi aliquid ex nostra commendatione, quasi adepti jam omnia; sed eo vehementius a te contendimus, ut Lysonem in fidem necessitudinemque tuam recipias: cujus dubia fortuna, timidius tecum agebamus, verentes, ne quid accideret ejusmodi, ut ne tu quidem mederi posses: explorata vero ejus incolumitate, omnia a te studia summa cura peto.[5] Quæ ne singula enumerem, totam tibi domum commendo; in his adolescentem filium ejus, quem C. Memmius[6] [i] Gemellus, cliens meus, cum in calamitate exilii sui

[e] *Pie, inviolateque.* [f] *Hospitalitas.* [g] *Lysonis Romæ versantis.*
[h] *Cæsaris.* [i] *In Pompeiana.* [k] *Non minuimus.*

Epist. xix. 1 Dresd. 2. *quam ego consuetudinem.*—2 *Sed ea causa cum aliis compluribus* P. *Sed ea causa communis ei est cum aliis compluribus* al. ap. Græv. —3 Pall. 5. 6. *fortunas præsentis.* Actutum *tuere* ψ.—4 Hitt. *tamen et ipsius.* Paulo post, *quod intelligas* v.—5 Dresd. 1. 2. 3. 4. Torg. Stewech. Pal. I. Amstel. *a te studio summo cura peto;* Hitt. Pal. 6. *a te summo studio et cura peto;* Dresd. 5. *a te studio summo curaque peto;* Mentel. et Græv. 2. *a te summo studio curaque peto;* codd. Corradi et Ascens. 1. *à te summo studio summaque cura peto,* probante Benedict.—6 *C. Menius* Amstel. Hitt. Pal. 1. 6. Men-

NOTÆ

Tironem morbo laborantem reliquit.

[g] *Sancte*] Mirum, quam inviolate, sancteque jus hospitii veteres colerent, quare et Jovem Hospitalem nominabant. Virg. Æneid. I. 735. 'Jupiter, hospitibus nam te dare jura loquuntur.'

[h] *Timebamus*] Ne quid ipsi, vel suis injuriæ fieret.

[i] *Memmius*] Credibile est hunc eun-

Patrensis civis[k] factus esset, Patrensium legibus adoptavit; ut ejus ipsius hæreditatis jus causamque tueare. Caput illud est, ut Lysonem,[7] quem ego virum optimum gratissimumque cognovi, recipias in necessitudinem tuam. Quod si feceris,[8] non dubito, quin in eo diligendo, ceterisque postea commendando, idem, quod ego, sis judicii et voluntatis habiturus.[l] Quod cum fieri[9] vehementer studeo, tum etiam illud vereor, ne, si minus cumulate videbere fecisse aliquid ejus causa, me ille negligenter scripsisse putet, non te oblitum mei. Quanti enim[10] me faceres, cum ex sermonibus quotidianis meis, tum ex epistolis etiam tuis potuit cognoscere.

(20.) CICERO SERVIO S.

ARGUMENTUM.—Asclaponem medicum commendat.

ASCLAPONE Patrensi, medico, utor valde[1] familiariter, ejusque cum consuetudo mihi jucunda fuit, tum ars etiam, quam sum expertus in valetudine meorum:[a] in qua mihi, cum ipsa[2] scientia, tum etiam fidelitate benevolentiaque satisfecit. Hunc igitur tibi commendo, et a te peto, des operam,[3] ut intelligat, diligenter me scripsisse de sese, me-

[l] *Idem, quod ego, de eo sentias eadem; sis in eum voluntate.*

tel. Græv. 2. Dresd. 1. 2. Torg. ψ. *C. Mænius* Vat. Victor. *C. Memnius* Dresd. 5. Paulo post, *adoptaverit v.*—7 Hitt. Pal. 6. *et Lysonem;* codex unus Oxon. omittit *ut.*—8 *Quod si legeris* Hitt. et sic Pal. 6. in marg. Mox, *postea* omittunt Dresd. 1. 2. 5. Torg. *v* ψ, Ascens. 1.—9 *Quod tum fieri* Pal. 6. Mox, *videre effecisse* Pal. 1. *viderere fecisse* Hitt. *jubere fecisse* Mentel. *videberis fecisse* edd. vett. *scripsisse de se putet* vulgg. ante Græv.—10 *Quanti tamen* Vat. et edd. vett. Actutum, *me feceris* Amstel. Torg. Lips. Dresd. 1. 2. 5. Ascens. 1.

EPIST. XX. 1 Quinque Dresd. et Torg. omittunt *valde.* Mox, *tum consuetudo* F, et vulgg. ante Græv. *cum* deest in P. Deinde, *tum etiam ars* edd. vett.—2 F, et edd. vett. *tum ipsa.*—3 Ita solus Gorl. *ut des opem* alii codd.

NOTÆ

dem esse, ad quem superiores scripsit literas; idem enim ipsi prænomen, et uterque Patris exulavit.

[k] *Patrensis civis*] Amissa Romana civitate; idem enim duarum urbium civis esse non poterat.

[a] *Meorum*] Maxime Tironis, quem, ut dictum est prius, e Cilicia decedens, ægrum Patris reliquit.

amque commendationem usui magno sibi fuisse. Erit id mihi vehementer gratum.[9]

(21.) M. T. C. SER. SULPICIO S. P. D.[1]

ARGUMENTUM.—M. Æmilii rem familiarem, et inprimis libertum ejus Hammonium, commendat.

M. ÆMILIUS[2] AVIANUS ab ineunte adolescentia me observavit, semperque dilexit, vir cum bonus, tum perhumanus, et in omni genere[b] officii diligendus.[a] [*p.* 213.] Quem si arbitrarer esse Sicyone,[c] et nisi audirem, ibi eum etiam nunc, ubi ego reliqui, Cibyræ[3] commorari, nihil esset necesse, plura me ad te de eo scribere. Perficeret enim ipse profecto suis moribus, suaque humanitate, ut sine cujusque commendatione diligeretur abs te non minus, quam et a me, et a ceteris suis familiaribus. Sed cum illum abesse putem, commendo tibi in majorem modum[4] domum ejus, quæ est Sicyone, remque familiarem, maxime Caium Avianum Hammonium, libertum ejus, quem quidem tibi etiam suo nomine commendo. Nam cum propterea mihi est probatus, quod est in patronum suum officio et fide singulari, tum etiam in me ipsum[5] magna officia contulit, mihique molestissimis temporibus[b] ita fideliter benevoleque præsto

[a] *Qui cum omnibus officiis cumulate satisfaciat, merito est diligendus.*
[b] *Exilii mei tempore.*

et edd. ante Ernesti. Statim, *scripsisse de se* Hitt. et Stewech.—9 *Vale* subjungit *v.*

EPIST. XXI. 1 *Cicero Octavio S.* Dresd. 1.—2 *M. Aimilius* vet. cod. Græv. *M. Emilius* al. ap. Græv. *Avinianus* Hitt. et Pal. 6. Statim, *et omni* Hitt. Pal. 1. Amstel. Dresd. 1. 2. Torg. Lips. Græv. 2.—3 *Tibur* Stewech. *v. Cybiræ* Oliv. *Tibure* al. ap. Græv.—4 Ita codd. Grævii et Victor. *majorem in modum* edd. vett. Actutum, *domum suam* Dresd. 1. 2. Torg. Lips. Ascens. 1. Paulo post, *Avianium Hammonium* Pal. 6. Hitt. Victor. *Amanum Hammonium v. Avianum Hamonium* P. *Avianium Ammonium* Lamb.—5 Ita Pall. 1. 6.

NOTÆ

[b] *In omni genere*] Nihil immutandum puto, licet Manutius aliter sentiat.

[c] *Sicyone*] Civitas est Peloponnesi, quæ apud Suidam Hellas quoque vocatur. Plutarchus in Demetrii Vita scribit, incolas ab eo translatos in alium locum, et Demetriadem appellatam: hodie *Basilica* dicitur.

fuit, ut si a me manumissus esset.[c] Itaque peto a te, ut eum Hammonium,[8] et in patroni ejus negotio sic tueare, ut ejus procuratorem, [quem tibi commendo,] et ipsum suo nomine diligas, habeasque in numero tuorum: hominem pudentem[d] 9 et officiosum cognosces, et dignum, qui a te diligatur.

(22.) CICERO SERVIO S.

ARGUMENTUM.—T. Manlium suo et Varronis nomine commendat.

T. MANLIUM,[1] qui negotiatur Thespiis,[d] vehementer diligo. Nam et semper me coluit, diligentissimeque observavit, et a studiis[e] nostris non abhorret. Accedit eo, quod Varro Murena magnopere ejus causa vult omnia:[e] qui tamen existimavit, etsi suis literis, quibus tibi Manlium[2] commendabat, valde confideret, tamen mea commendatione aliquid accessionis fore. Me quidem cum Manlii familiaritas,[3] tum Varronis studium commovit, ut ad te quam accuratissime scriberem. Gratissimum igitur mihi feceris, si huic commendationi meæ tantum tribueris, quantum cui tribuisti[4] plurimum:[f] id est, si T. Manlium, quam maxime, quibuscumque rebus honeste ac pro tua dignitate poteris, juveris[5] atque ornaveris. Ex ipsiusque præterea[6]

[c] *Quasi libertatem a me accepisset.*
[d] *Modestum.* [e] *Magnopere ejus commodis favet.*
[f] *Quantum ulli unquam antea tribuisti.*

duo codd. Gulielm. et Victor. *quod in me ipsum* edd. vett.—8 *Itaque peto ut eum Ham. v. Itaque peto a te ut eum et in, &c.* al. ap. Græv.—9 Ita Amstel. Pal. 1. Dresd. 1. 2. Torg. Victor. *prudentem* Dresd. 3. 4. 5. Lips. *v*, edd. vett. In fine Dresd. 1. 2. 4. 5. Torg. Bengel. Benedict. addunt *Vale.*

EPIST. XXII. 1 Græv. 2. et *v T. Manilium;* unus Gulielm. *T. Aulium.* Paulo post, *qui ita existimavit* Pall. 1. 6. Hitt. Stewech. P *v* ψ, Victor.—2 *Manilium v*, et sic infra.—3 *Manlii familiaris* ψ.—4 Idem cod. *quantum alicui tribuisti.*—5 Dresd. 1. 2. Lips. Torg. *v sciveris.*—6 Ita Hitt. Stewech. Pall. 1. 6. Dresd. 1. 2. 3. 4. Torg. P *v* ψ. *Ex ipsius præterea* Lips. Dresd. 5. Ascens. 1. et vulgg. ante Græv. Actutum *gratissimis et ornatissimis* Dresd. 2. Deinde, *eum te quem soles* edd. vett.

NOTÆ

[d] *Thespiis*] Bœotiæ oppidum est sub Helicone monte; unde Musæ Thespiades nonnunquam dicuntur.

[e] *A studiis*] Vel eloquentiæ, vel philosophiæ.

gratissimis et humanissimis moribus confirmo tibi, te eum, quem soles fructum a bonorum virorum officiis expectare, esse capturum.

(23.) CICERO SERVIO S.

ARGUMENTUM.—Cossinium Anchialum libertum commendat.

L. COSSINIO,[1] amico et tribuli tuo,[g] valde familiariter utor. Nam et inter nosmetipsos vetus usus intercedit; et Atticus noster majorem etiam mihi cum Cossinio[2] consuetudinem fecit. Itaque tota Cossinii domus me diligit, inprimisque libertus ejus, L. Cossinius Anchialus,[3] homo et patrono, et patroni necessariis, quo in numero ego sum, probatissimus. Hunc tibi ita commendo, ut, si meus libertus esset, eodemque apud me[4] loco esset, quo et est apud patronum suum, majore studio commendare non possem. Quare pergratum mihi feceris, si eum in amicitiam tuam receperis, atque eum, (quod sine molestia tua fiat) si qua in re opus ei fuerit, juveris.[5] Id et mihi vehementer gratum erit, et tibi postea jucundum. Hominem enim summa probitate, humanitate, observantiaque cognosces.

(24.) CICERO SERVIO S.

ARGUMENTUM.—Gratias agit, quod sua commendatione Lysoni offensionem remiserit, eumque diligentius commendat.

[*p.* 214] CUM antea capiebam ex officio meo[h] voluptatem,[6] quod memineram, quam tibi diligenter Lysonem, hospitem et familiarem meum, commendassem; tum vero

[g] *Ex tribu tua.* [h] *Ex commendatione mea.*

EPIST. XXIII. 1 *L. Cosinio* Stewech. *L. Cospinio* Hitt. Statim, pro *tribuli tuo*, quod servant Pall. 1. 6. Hitt. Victor. *tribuli meo* habent F P *v.*—2 *Cossini* codex unus Oxon.—3 Ita Pall. 1. 6. Vat. Victor. *Archilaus* codex unus Gulielm. *Anchilaus* F ψ, et al. ap. Græv. Mox, *et patroni necessarius* F.—4 Lips. Dresd. 5. Ascens. 1. *eodemque si apud me.* Torg. Dresd. 4. Pall. 1. 6. P, Victor. *quo est.* Statim, *suum* deest in P. Verba, *majore s. c. n. possem*, desunt in ψ. *non possum* P *v.*—5 F *juverit.*

EPIST. XXIV. 6 Pal. 6 *ex officio voluptatem.* Pro *memineram*, quod e Guelf. 1. 2. Mediol. et Rom. recepit Ernesti, *meminerim* legitur in Torg. Lips. Dresd. quinque, et omnibus codd. Grævii. Mox, *ex literis tuis cognovi* Ste-

posteaquam ex literis ejus cognovi, tibi eum falso suspectum fuisse,[f] vehementissime lætatus sum, me tam diligentem in eo commendando fuisse. Ita enim scripsit[2] ad me, sibi meam commendationem maximo adjumento fuisse, quod ad te delatum diceret, sese contra dignitatem tuam Romæ de te loqui solitum esse. De quo, etsi pro tua facilitate et humanitate purgatum se tibi scribit esse; tamen primum, ut debeo, tibi gratias ago,[3] cum tantum literæ meæ potuerunt, ut, his lectis, omnem offensionem suspicionis, quam habueras de Lysone, deponeres: deinde credas mihi affirmanti velim, me hoc non pro Lysone magis, quam pro omnibus scribere, hominem esse neminem, qui unquam mentionem tui sine tua summa laude fecerit. Lyso vero cum mecum prope quotidie esset, unaque viveret, non solum, quia me libenter audire arbitrabatur,[4] sed quia libentius ipse loquebatur, omnia mihi tua et facta et dicta laudabat. Quapropter etsi a te ita tractatur, ut jam non desideret commendationem meam, unisque[5] se literis meis omnia consecutum putet; tamen a te peto in majorem modum, ut eum etiam atque etiam tuis officiis, liberalitate complectare. Scriberem ad te, qualis vir esset, ut superioribus literis feceram,[6] nisi eum jam per seipsum tibi satis esse notum arbitrarer.

wech. Verba, *vehementissime l. s. me t. d. in eo c. fuisse*, desunt in ψ.—2 *Ita scripsit* codex unus Oxon.—3 Dresd. quinque, Torg. Lips. ψ, al. ap. Græv. *tibi maximas gratias ago.* Statim, *potuerint* ψ. Tum, *de Lysone poneres v.*—4 Ita Torg. Dresd. 1. 3. 5. F P *v. arbitratur* Dresd. 2. 4. Lips. ψ.—5 Ita Dresd. 3. *isque* habent Dresd. 1. 2. 4. 5. Lips. ψ, Ascens. 1. *nisi quod* Torg. *nisi quia v.* Mox, *majorem in modum* Hitt. Stewech. Deinde, *tuis officiis et liberalitate complectare* Ascens. 1. *tuis officiis liberaliter complectare* conj. Benedict. et sic legitur in ψ.—6 Verba, *ut s. l. feceram*, desunt in ψ. *et sup. &c. v.* Denique *satis tibi esse* vulgg. ante Græv.

NOTÆ

[f] *Suspectum fuisse*] De eo, quod diceretur contra tuam dignitatem Romæ locutus.

(25.) CICERO SERVIO S.

ARGUMENTUM.—Hegesaretum breviter sed accurate commendat.

HEGESARETUS[7] Larissæus,[a] [a] magnis meis beneficiis ornatus in consulatu meo, memor et gratus fuit, meque postea diligentissime coluit. Eum tibi magnopere commendo, ut et hospitem meum et familiarem,[8] et gratum hominem, et virum bonum, et principem civitatis suæ, et tua necessitudine dignissimum. Pergratum mihi feceris, si dederis operam, ut is intelligat, hanc meam commendationem magnum apud te[9] pondus habuisse.

(26.) CICERO SERVIO S.

ARGUMENTUM.—Mescinii Rufi Achaica negotia commendat.

L. MESCINIUS[1] ea mecum necessitudine conjunctus est, quod mihi quæstor fuit.[b] Sed hanc causam,[c] quam ego (ut a majoribus accepi) semper gravem[2] duxi, fecit virtute et humanitate sua justiorem. Itaque eo sic utor, ut nec familiarius ullo, nec libentius. Is quanquam confidere[3] videbatur, te sua causa, quæ honeste posses, libenter esse facturum, magnum esse tamen speravit apud te meas quo-

[a] *Ex Larissa oppido.*

EPIST. XXV. 7 *Nagerasetus v. Agessaretus ψ. Hagesaretus* Oliv. *Larisæus* F. *Lariosus v. Lariseus ψ. magnis meis officiis ψ.*—8 Ita Pall. 1. 6. Dresd. 3. Victor. *ut et hospitem et familiarem meum* edd. vett. *ut et hospitem meum et familiarem meum* Dresd. 1. 2. 4. 5. Torg. Amstel. P *v*, Ascens. 1.—9 F *apud se.* P *v* in fine addunt *Vale.*

EPIST. XXVI. 1 Ita Hitt. Pall. 1. 6. Victor. *L. Mescennius* Amstel. *L. Messinius* edd. vett. Mox, pro *ea*, quod displicet Ernestio, Benedict. conj. *eadem.* Tum, *quo mihi ψ.*—2 Codex unus Oxon. *a majoribus accepissem pergravem.*—3 *Is q. considero ψ.* Statim, *et sua causa* Hitt. Stewech. Amstel. quinque Dresd. Torg. Lips. P *ψ. libenter te esse facturum* codex unus Græv. et edd. vett. *magni esse ψ. magnum tamen esse* omnes codd. Græv. *apud* deest

NOTÆ

[a] *Larissæus*] Duæ civitates ejusdem nominis in Thessalia sitæ sunt; altera mediterranea ad Peneum fluvium, nunc *Larsa;* altera maritima, nunc sub Turcarum imperio, civitas amplissima, quæ hodie *Armiro.*

[b] *Quæstor fuit*] In Cilicia.

[c] *Hanc causam*] Nempe quod meus quæstor fuerit. Vide Epist. 10.

que literas pondus habituras.[b] Id cum ipse ita judicabat,[4] tum pro familiari consuetudine sæpe ex me audierat, quam suavis esset inter nos, et quanta conjunctio. Peto igitur a te, tanto scilicet studio, quanto intelligis debere me petere pro homine tam mihi necessario,[5] et tam familiari, ut ejus negotia, quæ sunt in Achaia, ex eo, quod hæres est M. Mindio,[6] fratri suo, qui Eli[d] negotiatus est, explices et expedias, cum jure et potestate, quam habes, tum etiam auctoritate et consilio tuo. Sic enim præscripsimus iis, quibus ea negotia mandavimus, ut omnibus in rebus, [*p.* 215.] quæ in aliquam controversiam vocarentur, te arbitro, et, quod commodo tuo fieri posset, te disceptatore[c] uterentur. Id ut honoris mei causa suscipias, vehementer te etiam atque etiam rogo. Illud præterea, si non alienum tua dignitate[7] putabis esse, feceris mihi pergratum, si qui difficiliores erunt, ut rem sine controversia confici nolint, si eos, quando cum senatore res est, Romam rejeceris.[d] Quod quo[8] minore dubitatione facere posses, literas ad te a M. Lepido consule, non quæ te aliquid juberent, (neque enim id tuæ dignitatis esse arbitrabamur[9]) sed quodam modo quasi commendaticias sumsimus. Scriberem, quam id beneficium bene apud Mescinium positurus esses, nisi et te scire con-

[b] *Speravit tamen meas literas magnum apud te pondus habituras.*
[c] *Etiam controversiarum moderatore.*
[d] *Si aliqui reperiantur pertinaciores, quique nolint rem absque controversia transigi, rogo te, ut eos Romam mittas, quod quidem facere potes, siquidem res est cum senatore.*

in edd. vett.—4 *Id cum ipse judicabat* Hitt. *Id tum ipse ita judicabat* Pal. 1. *Id cum ipse ita judicavit* ψ. Mox, *ex me sæpe audierat* Stewech.—5 Idem cod. *pro homine tum necessario.*—6 *Numidio* P *v.* Pro *Eli*, quod servant Pall. 1. 6. Hitt. *Helii* Amstel. Stewech. *Elii* ψ. *Ea* P. *eo v. Elide* edd. vett. *tum jure* edd. vett.—7 Ita codd. Victorii et Græv. *a tua dignitate* vulgg. ante Græv. Paulo post, pro *quando cum*, quod e Lips. Guelf. 2. et ed. pr. restituit Ernesti, *cum cum* habent Dresd. 1. 3. 4. Pal. 6. Victor.—8 *Pro quo* codex unus Oxon. Statim, *posses* est ex ingenio Ernestii; codd. et edd. vett. habent *possis.*—9 Ita edd. vett. *arbitramur* Hitt. Stewech. Pall. 1. 6. Victor.

NOTÆ

[d] *Qui Eli*] Elis Peloponnesi regio et civitas, in qua templum erat Jovi Olympio sacrum, et curule certamen in ejusdem Jovis honorem exercebatur.

fiderem, et mihi peterem.[e] Sic enim velim existimes, non minus me de illius re laborare, quam ipsum de sua. Sed cum illum[10] studeo quam facillime ad suum pervenire,[f] tum illud laboro, ut non minimum hac mea commendatione se consecutum arbitretur.

(27.) CICERO SERVIO S.

ARGUMENTUM.—Gratias agit, quod Avianum commendatione sua liberaliter tractasset: eumque commendat iterum.

LICET eodem exemplo sæpius tibi hujus generis literas mittam, cum gratias agam, quod meas commendationes tam diligenter[1] observes; (quod feci in aliis, et faciam, ut video, sæpius) sed tamen non parcam operæ,[g] et ut vos soletis in formulis,[e] sic ego in epistolis de eadem re alio modo. C. Avianus[2] igitur Hammonius incredibiles mihi gratias per literas egit, et suo, et Æmilii Aviani, patroni sui, nomine; nec liberalius, nec honorificentius potuisse tractari, nec se præsentem, nec rem familiarem absentis patroni sui. Id mihi cum jucundum est eorum causa, quos tibi ego[3] summa necessitudine et summa conjunctione adductus commendaveram, quod M. Æmilius unus est ex meis familiarissimis atque intimis, maxime necessarius homo, et magnis meis beneficiis devinctus, et prope omnium, qui mihi debere aliquid videntur, gratissimus; tum

[e] *Et nisi pro me hoc beneficium peterem.* [f] *Suum jus assequi.*
[g] *Amicos tibi commendare non desinam.*

arbitremur v. Mox, *et quasi commendatitias* Lamb.—10 *Sed tamen illud* ψ. Paulo post, *hac sua commendatione v.*

EPIST. XXVII. 1 Victor. *tam diligentes.* Mox, *sed* ante *tamen* deest in nonnullis codd. Grævii. Deinde, *ut volet is in formulis* Stewech. Pall. 1. 6. Amstel. Medic. Dresd. 1. 2. 3. 5. Torg. ψ. *et volet is in formulis* al. ap. Græv. *ut videtis in formulis* Hitt. *ut soletis in formulis* duo codd. Manut. *et ut solet in formulis* Dresd. 4. *ut vos in vestris formulis* edd. vett. Lectio nostra extat in uno cod. Ursini.—2 *Cavinius* Hitt. et Stewech. *C. Cymanus* P *v. Ammonius* in iisdem codd. Statim, *et Æmiliani patroni* Hitt. et Stewech. *et Aimilii Aviani patroni* vet. cod. Græv. *tractari potuisse* edd. vett. *nec præsentem nec familiarem* codex unus Oxon. *nec se p. nec familiarem* Dresd. 1. 2. 4. 5. Torg. Lips.—3 Ita codd. Grævii et Victor. *quos ego tibi* edd. vett. Mox, *unus ex*

NOTÆ

[e] *In formulis*] Jurisconsultus erat Sulpicius.

multo jucundius, te esse in me tali voluntate, ut plus prosis amicis meis, quam ego præsens fortasse prodessem; credo, quod magis ego dubitarem, quid illorum causa facerem, quam tu, quid mea. Sed hoc non dubito, quin existimes mihi esse gratum. Illud te rogo, ut illos quoque gratos homines esse putes: quod ita esse tibi promitto atque confirmo. Quare velim, quicquid habent negotii, des operam, quod commodo tuo fiat, ut, te obtinente [h] [4] Achaiam,[f] conficiant. Ego cum tuo Servio jucundissimo conjunctissime [5] vivo; magnamque, cum ex ingenio ejus singularique studio, tum ex virtute et probitate voluptatem capio.

(28.) CICERO SERVIO S.

ARGUMENTUM.—Agit gratias quod Mescinio commendatio sua profuerit, rogatque, ut pergat ei bene facere. Deinde commendat Lacedæmonios.

ETSI libenter petere a te soleo, si quid opus est meorum cuipiam;[a] tamen multo libentius gratias tibi ago,[1] cum fecisti aliquid commendatione mea; quod semper facis. Incredibile est enim, quas mihi gratias omnes agant, etiam mediocriter a me [2] tibi commendati: quæ mihi omnia grata: sed de L. Mescinio gratissimum. Sic enim est mecum locutus, te, ut meas literas legeris, statim procuratoribus suis pollicitum esse omnia: multo vero plura [3] et majora fecisse.

[h] *Te gubernante.*
[a] *Etsi libenter opem tuam implorare soleo, quoties meorum aliquis ea indiget.*

meis ψ. Paulo post, *aliquid debere videntur* codd. Grævii; *aliquid* deest in P *v. tum mihi jucundius* P.—4 Cod. ψ *obtinere.*—5 Ita Amstel. et Lips. *jucundissime, conjunctissime* Stewech. et Victor. *jucundissime conjunctissimeque* Guelf. 1. Medic. Dresd. 1. 2. 4. Rom. 1471. Mediol. *jucundissime et conjunctissime* Dresd. 3. *cum Servio tuo jucundissime vivo* Guelf. 2. Torg.

EPIST. XXVIII. 1 Cod. ψ *agam.*—2 Codex unus Oxon. *etiam a me,* omisso *mediocriter.* Statim, *quæ omnia mihi grata* edd. vett. Deinde, *de L.*

NOTÆ

[f] *Te obtinente Achaiam*] Non Achaiæ modo, sed et universæ Græciæ Sulpicius præerat; sed quia Græciæ principatum Achæi tenebant, cum Romani gentem hanc subegerunt; inde factum, ut qui mittebatur in Græciam cum imperio, non Græciæ, sed Achaiæ prætor, proconsulve diceretur.

Id igitur (puto enim etiam atque etiam mihi dicendum esse) velim existimes, mihi te fecisse gratissimum. [*p.* 216.] Quod quidem hoc vehementius lætor, quod ex ipso Mescinio te video magnam capturum voluptatem. Est enim in eo cum virtus, et probitas, et summum officium, summaque observantia; tum studia[a] illa nostra,[4] quibus antea delectabamur,[b] nunc etiam[c] vivimus.[b] Quod reliquum est, velim augeas tua in eum beneficia omnibus rebus, quæ te erunt dignæ. Sed duo quidem te[5] nominatim rogo: primum, ut, si quid satisdandum[d] erit, 'Amplius eo nomine non peti,' cures, ut satisdetur fide mea.[c] Deinde, cum fere consistat hæreditas in iis rebus, quas avertit[d] Oppia,[e] quæ uxor Mindii fuit; adjuves, ineasque rationem,[6] quemadmodum ea mulier Romam perducatur. Quodsi putarit illa fore, ut opinio nostra est, negotium conficiemus.[e] Hoc ut assequamur, te vehementer etiam atque etiam rogo. Illud, quod supra scripsi, id in me recipio,[7] te ea, quæ fecisti Mescinii causa, quæque feceris, ita bene collocaturum, ut ipse judices, homini te gratissimo, jucundissimo

[b] *Quæ nobis antea delectationem, nunc etiam salutem afferunt.*

[c] *Quod si promittendum est, cautione etiam adhibita, Mescinium nihil deinceps pro eo debito, seu pro ea hæreditate petiturum, cura ut hæc promissio fiat meo nomine.* Faites qu'on me prenne pour caution.

[d] *E domo mariti sui sustulit.*

[e] *Si enim suspicetur veniendum sibi Romam esse, restituet illa statim quæ abstulit.*

M. gratissima ψ.—3 Idem cod. *multa plura.*—4 Victor. *studia nostra.*—5 Ita Pal. 1. Stewech. Amstel. Guelf. 1. 2. Gorl. plurimique alii ap. Græv. *Sed duo sunt quæ te* Græv. *Sed duo quæ te v,* Grut. et edd. vett. Paulo post, *satisdet fide v.*—6 Idem cod. *in easdem rationem.*—7 Ita Guelf. 1. 2. Dresd. 4. 5. edd. pr. Ascens. 1. *scripsi, id tibi confirmo in meque recipio* antiqui codd. ap. Manut. Torg. Dresd. 3. Pal. 6. P. *scripsi, illud in me recipio* Dresd. 1. *scripsi, id illud in me recipio* Dresd. 2. Pal. 1. Lips. Statim, *homini gratissimo jucundissimo* Amstel. Pall. 1. 6. Victor. *homini gratissimo jucundissimoque* al. ap.

NOTÆ

[a] *Studia*] Philosophiæ et eloquentiæ.

[b] *Delectabamur*] Ante oppressam rempublicam.

[c] *Nunc etiam*] Oppressa libertate.

[d] *Ut si quid satisdandum*] Satisdare, est promittere per vadem, seu fidem suam pignori dare, *engager sa parole, servir de caution:* satisdatio, *caution.*

[e] *Oppia*] Mindii uxor, cui cum Mescinio lis erat.

benigne fecisse. Volo enim, ad id, quod mea causa fecisti, hoc etiam accedere. Nec Lacedæmonios dubitare arbitror,[8] quin ipsi sua majorumque suorum auctoritate satis commendati sint fidei et justitiæ tuæ: et ego, qui te optime novissem, non dubitavi, quin tibi notissima et jura[f] et merita[g] populorum essent. Itaque cum a me peteret Philippus Lacedæmonius, ut tibi civitatem commendarem; etsi memineram, me ei civitati omnia debere, tamen respondi, commendatione Lacedæmonios apud te non egere.[9] Itaque sic velim existimes, me omnes Achaiæ civitates arbitrari, pro horum temporum perturbatione,[h] felices, quod his tu præsis:[10] eundemque me ita judicare, te, quod unus optime nosses, non nostra solum, sed etiam Græciæ monumenta[f] omnia, tua sponte amicum Lacedæmoniis et esse et fore. Quare tantum a te peto, ut, cum ea[11] facies Lacedæmoniorum causa, quæ tua fides, amplitudo, justitia postulat; ut his, si tibi videbitur, significes,[12] te non moleste ferre,[g] quod intelligas, ea quæ facias, mihi quoque grata esse. Pertinet enim ad officium meum, eos existimare,[h] curæ mihi suas res esse. Hoc te vehementer etiam atque etiam rogo.

(29.) M. T. C. L. PLANCO [1a] S. D.

ARGUMENTUM.—Capitonem pro Antistii hæreditate diligentissime commendat.

NON dubito, quin scias, in iis necessariis, qui tibi a pa-

[f] *Veteres historias.* [g] *Tibi non injucundum esse.*
[h] *Cum enim plurima illis debeam, mea interest, ut existiment, &c.*

Græv. *homini te gratissimo et jucundissimo* P *v.*—8 *Hæc L. dubitare arbitrabor* ψ. *suorum* deest in eodem cod.—9 *Lac. non egere* ψ.—10 Ita codd. Græv. et Victor. *quod tu his præsis* edd. vett.—11 Codex unus Oxon. *quando ea.*—12 Ita Vat. Pall. 1. 6. Amstel. Victor. *ut is si tibi videbitur, significes* Hitt. et Stewech. *uti si tibi videbitur* conj. Græv. *ut his, si tibi videbatur, significares* ψ. *his si tibi videbitur, significes,* omisso *ut,* edd. vett.

EPIST. XXIX. 1 Ita codd. Grævii et Victor. *Cn. Planco* edd. vett.—

NOTÆ

[f] *Jura*] Quæ tueri, non imminuere debet qui provincias regit.

[g] *Merita*] In populum Romanum.

[h] *Perturbatione*] Quam induxit dissensio civilis.

[a] *L. Planco*] Is est, ad quem scrip-

tre relicti sunt,[2] me tibi esse vel conjunctissimum, non his modo causis, quæ speciem habeant magnæ conjunctionis, sed iis etiam, quæ familiaritate et consuetudine teneantur;[a] quam scis mihi jucundissimam cum patre tuo, et summam fuisse. Ab his initiis noster in te amor profectus, auxit paternam necessitudinem, et eo magis, quod intellexi, ut primum per ætatem judicium facere potueris, quanti quisque tibi faciendus esset,[b] me a te inprimis cœptum esse[3] observari, coli, diligi. Accedebat non mediocre vinculum cum studiorum, quod ipsum est per se grave; tum eorum studiorum, earumque artium,[b] quæ per se ipsæ[4] eos, qui voluntate eadem sunt, etiam familiaritate devinciunt. Expectare[5] te arbitror, hæc tam longe repetita principia quo spectent.[c] Id primum ergo habeto, non sine magna justaque causa hanc a me commemorationem esse factam. C. Ateio Capitone utor familiarissime. [*p.* 217.] Notæ tibi sunt varietates meorum temporum.[d] In omni genere et honorum[6] et laborum meorum, et animus, et opera, et auctoritas, et gratia, etiam res familiaris C. Capitonis præsto fuit, et patuit et temporibus et fortunæ meæ.[e] Hujus propinquus fuit T. Antistius; qui cum sorte[c] quæstor Macedoniam obtineret, neque ei successum esset,

[a] *Non ob eas modo causas, quæ speciosam conjunctionem videntur efficere; sed ob eam inprimis, quæ ex familiaritate et consuetudine oritur.*
[b] *Statim atque per ætatem judicare potuisti, quanti quemque facere deberes.*
[c] *Quem ad finem tendat tam longe repetitus sermo.*
[d] *Scis quomodo fuerim in exilium pulsus.*
[e] *Meque quolibet in statu collocatum juvit.*

2 Dresd. 1. 2. 3. Torg. P *v ψ relicti sint*, quod recepit Benedict. Mox, *non iis modo* al. ap. Græv. *quæ speciem habent* Ascens. 1. Deinde, *sed his etiam* Dresd. 3. 4. 5. Torg. Lips. Ascens. 1. Pro *teneantur*, quod ex ingenio dedit Ernesti, *tenentur* exhibent codd. et edd. vett.—3 Cod. *ψ acceptum esse.*—4 Hitt. et Pal. 6. *per se ipsas.*—5 *Expectant ψ.*—6 *In omni genere honorum* Hitt. Paulo post, *et paruit* quinque Dresd. Torg. Lips. codd. Grævii, *v ψ. et*

NOTÆ

tæ sunt libri decimi literæ, post Cæsaris mortem. Consule Indicem Historicum.

[b] *Artium*] Forte rhetorices, in qua Plancus versatissimus erat.

[c] *Sorte*] Mos erat, ut quæstores sorte quoque provincias obtinerent.

Pompeius[d] in eam provinciam cum exercitu venit. Facere Antistius nihil potuit.[f] Nam, si potuisset, nihil ei fuisset antiquius, quam ad Capitonem,[7] quem ut parentem diligebat, reverti; præsertim cum sciret, quanti is Cæsarem faceret, semperque fecisset. Sed oppressus,[e] tantum attigit negotii,[g] quantum recusare non potuit. Cum signaretur[f] argentum Apolloniæ,[g] non possum dicere, eum præfuisse,[8] neque possum negare affuisse,[h] sed non plus duobus, an tribus mensibus. Deinde abfuit a castris:[h] fugit omne negotium: hoc mihi ut testi velim credas:[9] meam enim ille mœstitiam in illo bello videbat, mecum omnia communicabat. Itaque abdidit se in intimam Macedoniam, quo potuit longissime a castris, non modo ut non præesset ulli negotio,[10] sed etiam ut ne interesset quidem. Is post prælium[i] se ad hominem necessarium, A. Plautium, in Bithyniam contulit. Ibi eum Cæsar cum vidisset, nihil aspere, nihil acerbe dixit: Romam jussit venire.[11] Ille in morbum continuo incidit;[12] ex quo non convaluit. Æger Corcyram venit: ibi est mortuus: testamento, quod Romæ Paulo et Marcello consulibus fecerat, hæres ex parte dimidia et tertia[i] est Capito:[k] in sextante sunt ii,[13] quorum

[f] *Abire e provincia non potuit Antistius.* [g] *Tantum Pompeio favit.*
[h] *A castris Pompeii.* [i] *Post prælium Pharsalicum.*
[k] *Decem partes hæreditatis suæ reliquit Capitoni.*

ante *temporibus* deest in Dresd. 4. et Mentel.—7 Dresd. 1. 2. 3. 4. Torg. Pall. 1. 6. *quam ut Capitonem;* vet. cod. Grævii *quam ut ad Capitonem.* Statim, *cum* ante *sciret* deest in Pall. 1. 6. Dresd. 1. 2. 3. 4. Torg.—8 Hitt. *possum dicere eum non præfuisse.* Mox, *negare eum affuisse* edd. vett. Pro *an tribus,* quod servant Vat. Pal. 1. Amstel. Stewech. Victor. Dresd. 1. 2. 4. Torg. *aut tribus* legitur in Lips. Dresd. 3. 5. *v,* et edd. vett.—9 Codex unus Oxon. *velim concedas.*—10 Idem cod. *ut non posset illi negotio.*—11 *Romam jussit venit*

NOTÆ

[d] *Pompeius*] Ex Italia pulsus a Cæsare, primo belli civilis anno.

[e] *Oppressus*] Inopinato Pompeii adventu.

[f] *Cum signaretur*] Nomine, et jussu Pompeii.

[g] *Apolloniæ*] Multiplex hujus nominis civitas; de qua hic agitur, hanc in Epiro fuisse credibile est.

[h] *Affuisse*] Quod Cæsarem Antistio iratum fecit.

[i] *Ex parte dimidia et tertia*] Subauditur 'assis.' Hæredum Antistii præcipuus fuit Capito, ut qui scriptus sit ex dimidia parte, et tertia, id est, ex semisse et triente, seu ex dextante,

pars, sine ulla cujusquam querela, publica[k] potest esse:[l] ea est ad H-S XXX.[14] [1] Sed de hoc Cæsar viderit.[m] Te, mi Plance, pro paterna necessitudine, pro nostro amore, pro studiis[15] et omni cursu nostro totius vitæ simillimo, rogo, et a te ita peto, ut majore cura, majore studio nullo possim, ut hanc rem suscipias; meam putes esse; enitare, contendas, efficias, ut mea commendatione, tuo studio, Cæsaris beneficio, hæreditatem propinqui sui C. Capito obtineat. Omnia, quæ potui, in hac summa tua gratia[n] ac potentia, a te impetrare, si petiissem,[16] ultro te ad me detulisse putabo, si hanc rem impetravero. Illud fore tibi adjumento spero, cujus[o] ipse Cæsar esse optimus judex potest: semper Cæsarem Capito coluit et dilexit.[m] [17] Sed ipse hujus rei testis est: novi hominis memoriam.[p] Itaque

[l] *Duæ reliquæ, sine cujusquam querela, possunt a Cæsare fisco addici.*

[m] *Spero fore ut eo facilius rem hanc impetres, quod ipse Cæsar perspectum habet, se a Capitone observari, et diligi.*

ψ.—12 Idem cod. *continuum incidit.*—13 Cod. *v vix sextante sumtu.*—14 Ita codd. Grævii et Victor. *ad XXX* Stewech. Amstel. P *v* ψ. *ad XXX.LLS.* al. ap. Græv. *enim HS. XXX* Hitt.—15 Stewech. ψ *pro studio.* Statim, *nostræ totius vitæ* Lamb. Tum, pro *nullo possim,* quod servant Dresd. 4. Amstel. Stewech. Victor. P, *nullam possim* Hitt. Pall. 1. 6. Dresd. 1. 2. ψ. *nulla possim* Dresd. 5. *nullus possim* conj. Gulielm. *nullo modo possim v. nullo modo ullam possim* Torg. *nullo* deest in Dresd. 3. *nihil,* vel *rem nullam possim* conj. Ernesti; *non possim* vulgg. ante Græv. *esse* post *putes* deest in nonnullis codd. Grævii.—16 Hitt. Pall. 1. 6. Dresd. 1. 2. 3. 4. Torg. Lips. P *v* ψ *si potuissem;* Dresd. 5. Ascens. 1. *si potero.* Paulo ante, Dresd. 3. 4. 5. omittunt *a te.* Tum, *me detulissem* codex unus Oxon.—17 *Cæsarem et dilexit et*

NOTÆ

relicto aliis hæredibus sextante. Dextans continet decem uncias, sextans autem duas, assis duodecim: tota autem hæreditas, et quælibet res integra, assis nomine vocatur: decem itaque hæreditatis totius partes Capito abstulerat.

[k] *Publica*] Iis enim relicta erat, qui Pompeio aperte semperque adhæserant, cum longissime ab armis Capito semper abfuisset.

[l] *Ad H·S XXX*] Trecenta librarum Gallicarum millia.

[m] *Cæsar viderit*] Quid de illa summa, seu sextante, statuendum sit; dandusne Antistii hæredibus, qui Pompeio faverant, an fisco addicendus.

[n] *Tua gratia*] Apud Cæsarem, quem constanter secutus erat.

[o] *Cujus*] In neutro genere, usitate parum, refer ad *illud.*

[p] *Hominis memoriam*] Qui eorum non obliviscatur, a quibus in honore habitus est.

nihil te doceo:[18] tantum tibi sumito pro Capitone apud Cæsarem, quantum ipsum meminisse senties.[n] Ego, quod in meipso experiri potui, ad te deferam.[o] In eo quantum sit ponderis,[q] tu videbis. Quam partem in republica causamque defenderim, per quos homines ordinesque steterim, quibusque[r] munitus fuerim,[p] non ignoras. Hoc mihi velim credas: si quid fecerim hoc ipso in bello minus ex Cæsaris voluntate, (quod intellexerim[19] scire ipsum Cæsarem, me invitissimum fecisse[q]) id fecisse aliorum consilio, hortatu, auctoritate: quod fuerim moderatior temperatiorque, quam in ea parte quisquam, id me fecisse maxime auctoritate Capitonis;[r] cujus similes si reliquos necessarios habuissem, reipublicæ[s] fortasse nonnihil, mihi certe plurimum profuissem. Hanc rem, mi Plance,[20] si effeceris; meam de tua erga me benevolentia spem confirmaveris; ipsum Capitonem, gratissimum, officiosissimum, optimum virum, ad tuam necessitudinem tuo summo beneficio adjunxeris.

[n] *Tantum commenda Capitonem Cæsari, quantum intelliges, Cæsarem meminisse de Capitonis in ipsum amore et observantia.*

[o] *Quod in meipso sum expertus de Capitonis in Cæsarem amore, conferam ad arbitrium tuum, ut tu ipse judices quanti id sit faciendum.*

[p] *Dignitatem meam conservaverim, et a quibus fuerim defensus.*

[q] *Quod etiam feci invitus, ut ipse Cæsar intellexit.*

[r] *Quod minus offenderim Cæsarem, quam quisquam aliter Pompeianus, id feci maxime consilio Capitonis.*

coluit edd. vett.—18 *Itaque te nihil doceo* vulgg. ante Græv. *tantum tibi submitto* Dresd. 1. 3. 5. Lips. Torg. ψ. Deinde, *quantum ipse* Pal. 6. *quanto ipse* codex unus Oxon.—19 Al. ap. Græv. *intellexi.* Mox, pro *id fecisse*, quod e conj. Lambini recepit Ernesti, *id feci* habent codd. et edd. vett. Tum, *quo fuerim moderatior* tres codd. Grævii; *quod fui moderatior* al. ap. Græv. Verba *quod fuerim m. t. q. in ea p. q. id me f. m. auctoritate* desunt in ψ. Deinde, *cujus similis* Hitt.—20 *Hanc mi rem Plance* Hitt. Statim, *ipsumque Capitonem* edd. vett.

NOTÆ

[q] *Quantum sit ponderis*] Capitonis enim potissimum consilio adductus, leviter admodum civilem discordiam attigi, et post Pharsalicam cladem a bello prorsus abstinui.

[r] *Quibusque*] Manutii sententiæ libens adhæreo, qui putat legendum, *quibusque inimicus fuerim*, ut in eo quod dicit, 'per quos ordines, homines que steterim,' intelligantur Pompeiani; Cæsariani vero in hoc, *quibusque inimicus fuerim.* Sed hæc lectoris arbitrio committimus.

[s] *Reipub.*] Quia si medius Pompeium inter et Cæsarem stetisset Cicero, neque discessisset ex Italia, de pace agere, atque adeo reipublicæ prodesse potuisset.

(30.) M. T. C. ACILIO[a] PROC. S. P. D.

ARGUMENTUM.—L. Manlium in fraterna hæreditate commendat.

[*p.* 218.] L. MANLIUS est Sosis.[1 b] Is fuit Catinensis:[a 2 c] sed est, una cum reliquis Neapolitanis, civis Romanus factus, decurioque[d] Neapoli: erat enim ascriptus in id municipium ante civitatem sociis et Latinis datam.[e] Ejus frater Catinæ nuper mortuus est. Nullam omnino arbitramur de ea hæreditate controversiam eum habiturum; et est hodie in bonis.[b] Sed, cum[3] habet præterea negotia vetera in Sicilia sua; et hanc hæreditatem fraternam, et omnia ejus tibi commendo, inprimisque ipsum virum optimum, mihique familiarissimum, his studiis literarum doctrinæque præditum, quibus ego maxime delector. Peto igitur abs te, ut eum, sive aderit,[4] sive non venerit in Siciliam, in meis intimis, maximeque necessariis scias esse; itaque tractes, ut intelligat, meam commendationem sibi magno adjumento fuisse.

[a] *Catanæ natus est.*
[b] *Et est hodie in possessione hujus hæreditatis.*

EPIST. XXX. 1 Ita Pal. 1. Amstel. Venet. Victor. *Susis* al. ap. Græv.— 2 *Is fuit Atheniensis* P.—3 Ita Hitt. Pal. 6. Victor. *Sed quando* P et edd. vett. *Sed quoniam* Oliv. Mox, *et* ante *omnia* omittunt Dresd. 1. 2. 4. 5. Torg. Lips. Victor. Bengel. Tum *iis studiis* al. ap. Græv. *doctrinæ præditum v.*— 4 Ita Dresd. 1. 2. 5. edd. pr. et Manut. *aberit* Vat. Dresd. 5. Torg. *v*, Victor. *abierit* Dresd. 3. Pal. 6. Hitt. Crat. in marg. Ascens. 1. Paulo post, *meam sibi commendationem* Hitt.

NOTÆ

[a] *Acilio*] Qui Siciliam regebat proconsulari imperio, etsi nunquam antea consul. Vide Ep. 1. libri primi.

[b] *Est Sosis*] Sive *Susis*, quæ Asiæ civitas: melius autem, ut opinor, Manutius, qui nomen ipsissimum fuisse hominis qui commendatur, existimat; nomen at Siculum, cum duo priora sint Romana: id enim moris erat, ut qui peregrini civitate donabantur, eorum assumerent nomina et prænomina, quorum maxime opera id beneficii consecuti erant.

[c] *Catinensis*] Sed Catinensis esse desiit ex quo in Neapolitanum municipium ascriptus est: idem enim duarum urbium civis esse non poterat. Catina, seu Catana, oppidum Siciliæ locuples, honestum, copiosum. Strabo scribit ab Hierone, cum ejus incolas ejecisset, Ætnam appellatum fuisse; hodie tamen dicitur adhuc *Catana:* haud procul mons Ætna situs est, nocturnis incendiis famosus, nunc *Montgibello.*

[d] *Decurioque*] Is erat in municipiis decurio, qui Romæ senator.

[e] *Datam*] Lege Julia.

(31.) M. T. C. ACILIO PROC. S. P. D.*

ARGUMENTUM.—Flavium, Pisonis generi sui pernecessarium, commendat.

C. FLAVIO, honesto et ornato equite[1] Romano,[c] utor valde familiariter. Fuit enim generi mei, C. Pisonis,[f] pernecessarius:[2] meque diligentissime observat et ipse, et L. Flavius, frater ejus. Quapropter velim, honoris mei causa, quibus rebus honeste et pro tua dignitate poteris, quam honorificentissime et quam liberalissime C. Flavium tractes. Id mihi sic erit gratum, ut gratius esse nihil possit.[3] Sed præterea tibi affirmo, (neque id ambitione[d g] adductus[4] facio, sed cum familiaritate et necessitudine, tum etiam veritate) te ex C. Flavii officio et observantia, et præterea splendore[e] atque inter suos gratia, magnam voluptatem esse capturum.

(32.) M. T. C. ACILIO PROC. S. P. D.

ARGUMENTUM.—Hospites suos Archagathum et Philonem commendat.

IN Halesina[h] civitate, tam lauta,[5] tamque nobili,[f] conjunctissimos habeo et hospitio et familiaritate M. et C. Clodios,[6 i] Archagathum, et Philonem: sed vereor, ne, quia

[c] *Et generis splendore, et virtutibus inclyto.*
[d] *Vitiosa laudis cupiditate.* [e] *Gloria.*
[f] *Quæ tam elegans est, quam nobilis.*

EPIST. XXXI. * Hæc Epistola cum tribus sequentibus in cod. Lips. omissa est.—1 Al. ap. Græv. *ornato et honesto equite.*—2 Codex unus Oxon. *necessarius.*—3 Hitt. *nihil esse possit.*—4 Idem cod. et *v ductus.* Statim, *sed tum familiaritate* Hitt. F P.

EPIST. XXXII. 5 Duo codd. Grævii *tam laudata.* Actutum, pro *tamque nobili*, quod servant omnes codd. et Victor. *quam nobili* legitur in edd. quibusdam vett.—6 Pal. 6. *M. et Gaium Clodium*; Amstel. *M. et Clodium*; Men-

NOTÆ

[f] *C. Pisonis*] Pisonis Frugi ex gente Calpurnia: is primus Ciceronis gener, secundus Crassipes, tertius Dolabella.

[g] *Ambitione*] Nimia scilicet adductus cupiditate impetrandi quæ velim; vel inani gloriæ desiderio, ut ostendam scilicet me plurimum apud te posse.

[h] *In Halesina*] Halesa, quæ et Alæsa, et Alesa scribitur, Siciliæ littorale oppidum, cujus hodie non nisi vestigia quædam supersunt.

[i] *M. et C. Clodios*] Adverte, hos

complures tibi præcipue commendo, exæquare[g] videar ambitione[k] quadam commendationes meas: quanquam a te quidem cumulate satisfit et mihi, et meis omnibus. Sed velim sic existimes,[3] hanc familiam, et hos, mihi maxime esse conjunctos vetustate,[h] officiis, benevolentia. Quamobrem peto a te in majorem modum,[4] ut his, omnibus in rebus, quantum tua fides dignitasque patietur, commodes. Id si feceris, erit mihi vehementissime gratum.

(33.) M. T. C. ACILIO PROC. S. P. D.

ARGUMENTUM.—Nasonis libertos et negotia commendat.

CN. OTACILIO NASONE utor familiarissime, ita prorsus, ut illius ordinis[i 5 1] nullo familiarius. Nam et humanitate ejus et probitate in consuetudine quotidiana magnopere delector. Nihil jam opus est expectare te, quibus eum verbis tibi commendem, quo sic utar,[6] ut scripsi.[k] Habet is in provincia tua[l] negotia, quæ procurant liberti, Hilarus,[7] Antigonus, Demostratus; quos tibi, negotiaque omnia Nasonis, non secus commendo, ac si mea essent. Gratis-

[g] *Ex æquo tibi omnes commendare.* [h] *Vetusta notitia.*
[i] *Hujusce conditionis.*
[k] *Quo, ut tibi scripsi, utor tam familiariter.* [l] *In Sicilia.*

tel. v ψ *M. et C. Clodium.* Mox, *exæquare videor* codex unus Oxon.—3 *Sed velim existimes v.* Statim, *et hos homines* al. ap. Græv.—4 Edd. vett. *majorem in modum.* Actutum, *ut* deest in Dresd. 4. 5. P, et aliis multis ap. Græv. *in his omnibus rebus* Torg. *in iis omnibus in rebus* Dresd. 1. 2. *ut iis omnibus rebus* Dresd. 3. Deinde, *fides dignitasque patitur* Dresd. 1. 2. ψ. *dignitas fidesque patietur* codd. Grævii et Victor.

EPIST. XXXIII. 5 Stewech. *ut ulli ordinis.*—6 Ita codd. *quo sic utor* vulgg. ante Græv. *ut scripsisti. Habes in prov. &c.* codex unus Oxon.—7 Ita codd. Victorii, Grævii, Torg. Dresd. 3. *Hilarius* Dresd. 1. 2. 4. P. *Ilarius* ψ. Statim, *Demonstratus* quatuor codd. Grævii, Dresd. 1. 3. 4. 5. P ψ. Denique *quos tibi omnes* Stewech.

NOTÆ

e Sicilia oriundos fuisse, sed civitate Romana donatos; quare prænomina et cognomine Romana susceperunt, vetere nomine retento, more libertorum. Vide Epist. trigesimam.

[k] *Videar ambitione*] Consule superiorem Epist.

[1] *Illius ordinis*] De quo loquatur ordine, haud constat; simile vero est, non senatorium, aut equestrem ordinem, sed conditionem tantum, genusque vivendi, quod Naso sequebatur, significari.

simum mihi feceris, si intellexero, [*p.* 219.] hanc commendationem magnum apud te pondus habuisse.

(34.) M. T. C. ACILIO PROC. S. P. D.

ARGUMENTUM.—Lysonem Lilybætanum commendat.

AVITUM [a] mihi hospitium est cum Lysone, Lysonis filio, Lilybætano,[b] [1] [a] valdeque ab eo observor: cognovique dignum et patre et avo: est enim nobilissima familia. Quapropter commendo tibi majorem in modum [2] rem domumque ejus; [c] magnoque opere abs te peto, cures, ut is intelligat, meam commendationem maximo sibi apud te et adjumento et ornamento fuisse. Vale.

(35.) M. T. C. ACILIO PROC. S. P. D.

ARGUMENTUM.—Philoxenum, hospitem et familiarem suum, commendat.

C. AVIANUS [3] PHILOXENUS antiquus est hospes meus, et præter hospitium valde etiam familiaris; quem Cæsar meo beneficio in Novocomenses [b] retulit.[d] Nomen autem Aviani [c] secutus est,[4] quod homine nullo plus est usus,

[a] *Vetustum.* [b] *Lilybæi nato.* [c] *Ejusque domesticos.*
[d] *Cui Cæsar, rogatu meo, idem contulit beneficium, quod ceteris, quos Novum Comum deduxit.*

EPIST. XXXIV. 1 Ita P et edd. vett. *Lilybetano* codd. Grævii et Victor. *Lilibitoni* Hitt. Dresd. 3. *Libitoni* tres codd. Grævii, Dresd. 1. 2. 4. 5. *Libitioni* Ascens. 1. *Libitinii* Torg. *Lilybitano* Bengel.—2 Hitt. *in majorem modum.* Mox, *cures* deest in aliquibus codd. ap. Græv. *is* deest in Pal. 6. et Stewech. Verba *maximo sibi . . . ornamento fuisse* desunt in Hitt.

EPIST. XXXV. 3 *Suavianus* codex unus Oxon. Statim, *est* desideratur in Stewech. *et propter hospitium* ψ. *et præter officium* v. Deinde, *in Novocomesis* Hitt.—4 Ita duo codd. Gulielm. Pal. 1. Amstel. Victor. *Aviani hic secutus*

NOTÆ

[a] *Lilybætano*] A Lilybæo, urbe Siciliæ, ubi est promontorium ejusdem nominis.

[b] *Novocomenses*] Novocomum ad Alpium radices juxta Rhætos, haud procul a Pado, ad lacum Larium, hodie *Lac de Come.* Novocomenses autem dicti sunt ii, quos Cæsar in primo suo consulatu Comum deductos, civitatis jure donavit. Fuerunt quinque millia, in iis quingenti Græci, iidemque illustrissimi, quos inter Philoxenus: relicto autem civitatis antiquo nomine, *Novum Comum* appellaverunt.

[c] *Nomen autem Aviani*] Vide Epist. trigesimam secundam.

quam Flacco Aviano, meo, quemadmodum te scire arbitror, familiarissimo. Quæ ego omnia collegi, ut intelligeres, non vulgarem esse commendationem hanc meam. Peto igitur abs te, ut omnibus rebus, quod sine molestia tua facere possis, ei commodes,[e] habeasque in numero tuorum: perficiasque, ut intelligat, has literas meas magno sibi usui fuisse. Erit id mihi majorem in modum gratum.

(36.) M. T. C. ACILIO PROC. S. P. D.

ARGUMENTUM.—Demetrium Megam in jure civitatis ceterisque rebus commendat.

CUM Demetrio Mega mihi vetustum hospitium est;[1] familiaritas autem tanta, quanta cum Siculo nullo. Ei Dolabella[d] rogatu meo civitatem[f] a Cæsare impetravit: qua in re ego interfui. Itaque nunc[2] P. Cornelius[e] vocatur. Cumque, propter quosdam sordidos homines, qui Cæsaris beneficia[f] vendebant, tabulam,[g] in qua nomina civitate donatorum incisa essent, revelli[h] jussisset;[3] eidem Dolabellæ, me audiente, Cæsar dixit, nihil esse, quod de Mega vereretur;[g][4] beneficium suum in eo manere. Hoc te scire volui, ut eum in civium Romanorum numero haberes: ceterisque in rebus tibi eum ita commendo, ut majore studio

[e] *Inservias.* [f] *Jus civitatis.*
[g] *Velle se, ut Mega civitatis jure semper frueretur.*

est Hitt. *Avianii consecutus est* Vat. *Aviani insecutus est* Dresd. 3. *Aviani is secutus est* conj. Benedict. Mox, *Flacco Avianio* Victor.

EPIST. XXXVI. 1 Dresd. 3. Pal. 6. *vetus hospitium est;* Stewech. *vetustissimum hospitium est.* Statim, *quantum cum Siculo* P.—2 *Itaque non* ψ.—3 Dresd. quinque et Torg. *revelli jussissent;* codex unus Oxon. *repelli jussisset.* Pro *eidem* ψ habet *ei.*—4 Hitt. et Pal. 6. *quod Demetrio gravaretur.*—

NOTÆ

Dolabella] Tertius Ciceronis gener, qui Tulliam post prælium Pharsalicum repudiavit.

[e] *P. Cornelius*] Prænomen et nomen Dolabellæ, cujus opera jus civitatis erat adeptus. Vide Epist. 30. et 32.

[f] *Beneficia*] Jus civitatis a Cæsare concessum.

[g] *Tabulam*] In edito loco de more affixam.

[h] *Revelli*] Refigi, tolli, ut omni deinceps auctoritate careret.

neminem commendarim. Gratissimum mihi[9] feceris, si eum ita tractaris, ut intelligat, meam commendationem magno sibi ornamento fuisse.

(37.) M. T. C. ACILIO PROC. S. P. D.

ARGUMENTUM.—Commendat Hippiam in liberatione bonorum.

HIPPIAM, Philoxeni[1] filium, Calactinum,[i] hospitem et necessarium meum, tibi commendo in majorem modum. Ejus bona, quemadmodum ad me delata res est,[2] publice possidentur alieno nomine,[l] contra leges[k] Calactinorum. Id si ita est, etiam sine mea commendatione ab æquitate tua res ipsa impetrare debet, ut ei subvenias. Quoquo modo autem se res habet,[3] peto a te, ut honoris mei causa eum expedias, tantumque ei commodes[m] et in hac re et in ceteris, quantum tua fides dignitasque patietur.[4] Id mihi vehementer gratum erit.[5]

(38.) M. T. C. ACILIO PROC. S. P. D.

ARGUMENTUM.—Bruttii negotia procuratoresque commendat.

L. BRUTTIUS,[6] eques Romanus, adolescens omnibus

[l] *Ab injusto possessore publice tenentur.* [m] *Ei inservias.*

9 *Gratum mihi* ψ. Mox, *sibi* omittunt codd. Victorii, Pal. 1. Amstel. Dresd. 1. 2. 4. 5. Torg. *v* ψ. *Vale* addunt P *v*.

EPIST. XXXVII. 1 *Philaxeni* Hitt. Pro *Calactinum*, quod servant Amstel. Dresd. 1. 4. Victor. *Calatinum* habent Torg. Lips. Dresd. 2. 5. *v*. *Calactineum* Hitt. Pal. 6. Dresd. 3. *Calactimum* ψ. Statim, *majorem in modum* vulgg. ante Græv.—2 Stewech. *delata ad me res est ;* ψ *ad me relata res est.* Deinde, *Calactianorum* Pal. 6. *Calutinorum* edd. vett.—3 Lips. *se res habeat ;* Stewech. *res se habet.*—4 Dresd. 4. 5. *dignitasque patitur.*—5 *Id mihi vehementissime gratum et jucundum erit* ψ.

EPIST. XXXVIII. 6 Ita codd. Victorii et Vat. *L. Brutius* Amstel. Hitt. *L. Brutus* Lips. Dresd. 4. 5. Stewech. Ascens. 1. Statim *est* desideratur in

NOTÆ

[i] *Calactinum*] Calacta Siciliæ civitas, supra Halesam.

[k] *Contra leges*] Quæ sit illa lex, divinare arduum: hanc forte Calactini tulerant, qua vetitum erat, ne bona possiderentur publice, nisi publico nomine, seu publica auctoritate. Hippiæ autem bona privati cujuspiam nomine, absque jure ullo, publice possidebantur.

rebus ornatus,[n] in meis familiarissimis est, meque observat diligentissime: cujus cum patre magna mihi fuit amicitia jam inde[8] a quæstura mea Siciliensi.[1] [*p.* 220.] Omnino nunc ipse Bruttius Romæ mecum est: sed tamen domum ejus, et rem familiarem, et procuratores tibi sic commendo, ut majore studio commendare non possim. Gratissimum mihi feceris, si curaris, ut intelligat Bruttius, id quod ei recepi,[o] hanc meam commendationem sibi magno adjumento fuisse.[9]

(39.) M. T. C. ACILIO PROC. S. P. D.

ARGUMENTUM.—Titurnium Rufum commendat.

CUM familia Titurnia necessitudo mihi intercedit vetus: ex qua reliquus est[p][1] M. Titurnius Rufus, qui mihi omni diligentia atque officio est tuendus. Est igitur in tua potestate, ut ille in me satis sibi præsidii[2] putet esse.[q] Quapropter eum tibi commendo in majorem modum:[3] et abs te peto, efficias, ut is commendationem hanc intelligat sibi magno adjumento fuisse. Erit mihi vehementer gratum.[4]

[n] *Omni ex parte perfectus.*
[o] *Quemadmodum ei promisi.*
[p] *Superstes unus vivit.*
[q] *Efficere igitur potes, ut intelligat se posse a me defendi.*

v.—8 Idem codex omittit *jam inde.*—9 *Vale* addunt P *v.*

EPIST. XXXIX. 1 Hitt. Pal. 6. Dresd. 3. *in qua reliquus est.* Actutum, *M. Tyburnius* Hitt. *M. Titurinus v.*—2 Cod. ψ *satis præsidii,* omisso *sibi.*—3 Ita Hitt. Pall. 1. 6. *majorem in modum* edd. vett. Tum, *intelligat hanc sibi* Stewech. *commendationem meam intelligat* Torg. *sibi magno adjumento fore* ψ. *adjumento* deest in *v.*—4 *Vale* addunt P *v.*

NOTÆ

[1] *A quæstura mea Siciliensi*] Hanc gessit Tullius anno urbis conditæ sexcentesimo septuagesimo octavo, coss. Octavio et Cotta, sub Sexto Peducæio, Siciliæ prætore, ut auctor est Pedianus in argumento Divinationis. Ipse tamen in Oratione post Reditum in Senatu, ait, se quæstorem fuisse patri M. Curii; quare videtur Peducæius adoptasse hunc M. Curium, adeo ut ea ratione pater hujus fuerit.

(40.) M. T. C. Q. ANCHARIO[1] Q. F. PROC.[a] S. P. D.

ARGUMENTUM.—Aurelios fratres proconsuli Macedoniæ commendat, Pompeio et Crasso coss. II.

L. et C. Aurelios, L. filios, quibus et ipsis, et patre eorum, viro optimo, familiarissime utor,[2] commendo tibi majorem in modum, adolescentes omnibus optimis artibus ornatos, meos pernecessarios,[3] tua amicitia dignissimos. Si ulla mea apud te commendatio valuit, (quod scio[a b] multas plurimum valuisse) hæc ut valeat, rogo. Quodsi eos honorifice liberaliterque tractaris;[4] et tibi gratissimos optimosque adolescentes adjunxeris, et mihi gratissimum feceris. Vale.[5]

(41.) M. T. C. L. CULLEOLO[6 c] S. P. D.

ARGUMENTUM.—Gratias agit et suo et Pompeii nomine pro Culleoli erga Lucceium benignitate: eundemque denuo commendat.

QUÆ fecisti L. Lucceii[7] causa, scire te plane volo, te homini gratissimo commodasse:[b] et cum ipsi, quæ fecisti, pergrata sunt, tum Pompeius, quotiescumque me videt,[8] (videt autem sæpe) gratias tibi agit singulares. Addo etiam illud, quod tibi jucundissimum esse certo scio, me ipsum, ex tua erga Lucceium benignitate, maxima volup-

[a] *Scio autem.* [b] *Fecisse.*

EPIST. XL. 1 Q. *Achario* Hitt. Q. *Arcario* Stewech. Q. *Archario* al. ap. Græv. Q. *Acilio* al. Q. *Ancario* Amstel.—2 Hitt. *familiarissimo utor.*—3 Codex unus Oxon. *necessarios.* Mox, *quod scio multis* in eodem cod. Deinde, *hæc valeat rogo* Hitt. Pal. 6.—4 Dresd. 1. *liberaliter tractaris.* Particula *et* ante *mihi* deest in eodem cod.—5 *Vale* ignorant Dresd. quinque, Torg. Lips. P *v.*

EPIST. XLI. 6 *Culiolo* Hitt. Pal. 6.—7 *Lucei* P et codd. Græv. et sic infra in iisdem codd.—8 Ita Dresd. 3. et Torg. *me vidit* Dresd. 1. 2. 4. 5. Lips. Pro *sæpe,* quod servant Vat. Hitt. Stewech. Amstel. Victor. *sæpissime* exhi-

NOTÆ

[a] *Anchario Q. F. proc.*] Proconsulari imperio provinciam administranti, etsi consul ante non fuerat. Vide Epist. primam libri primi.

[b] *Quod scio*] Loquendi genus elegans.

[c] *Culleolo*] Illyrici proconsul fuisse videtur; nam Bulliones, quos in Epist. sequenti nominat, Illyrici populos esse constat.

tate affici. Quod superest, quanquam mihi non est dubium, quin cum antea nostra causa, nunc jam etiam tuæ constantiæ gratia, mansurus sis in eadem ista liberalitate; tamen abs te vehementer etiam atque etiam peto, ut ea, quæ initio ostendisti,[d] deincepsque fecisti,[9] ad exitum augeri et cumulari per te velis. Id et Lucceio et Pompeio valde gratum fore, teque apud eos præclare positurum[c] confirmo et spondeo. De republica, deque his negotiis cogitationibusque nostris perscripseram ad te diligenter paucis ante diebus: easque literas dederam pueris tuis.

(42.) M. T. C. L. CULLEOLO[1] PROC. S. P. D.

ARGUMENTUM.—Eundem Lucceium commendat Culleolo.

L. LUCCEIUS meus,[2] homo omnium gratissimus,[d] mirificas tibi apud me gratias egit, cum diceret, omnia te cumulatissime et liberalissime procuratoribus suis pollicitum esse. Cum oratio tua tam ei grata fuerit, quam gratam rem[3] ipsam existimas fore, cum, ut spero, quæ pollicitus es, feceris? Omnino ostenderunt Bulliones,[4][e] sese Lucceio Pompeii arbitratu satisfacturos.[e] Sed vehementer opus est nobis, et voluntatem, et auctoritatem, et imperium

[c] *Tuumque beneficium præclare apud illos collocatum iri.*
[d] Le plus reconnoissant des hommes. [e] *Pecuniam soluturos.*

bent edd. vett. Tum, codex unus Oxon. *nunc tamen.* Mox, *ista libertate* ψ.—9 Ita Amstel. Guelf. 1. Lips. Dresd. 1. 2. 4. Vat. Hitt. Stewech. *deinceps fecisti, etiam* edd. vett. *deinceps fecisti* Torg. *deinceps facias* Dresd. 5. Ascens. 1. *denique fecisti* Dresd. 3. *per te* desunt in ψ. Sub finem Epistolæ Dresd. 1. 2. 4. Torg. Lips. Bengel. Benedict. addunt *Vale.*

EPIST. XLII. 1 *L. Luceio* quinque Dresd. Torg. Lips.—2 Ita Pal. 1. Stewech. Vat. cum libris antiq. Victorii; *meus familiaris* Hitt. Pal. 6. *meus familiarissimus* quædam edd. ante Victor.—3 Dresd. 1. 2. *quam rem,* omisso *gratam;* Dresd. 3. *quam quantam rem.*—4 Ita Vat. Pall. 1. 6. Amstel. quatuor Gulielm. *Byliones* edd. vett. *Buliones* al. ap. Græv. Statim, *satisfactu-*

NOTÆ

[d] *Ostendisti*] Te facturum in gratiam Lucceii.

[e] *Bulliones*] Seu Bylliones, a Bullide, seu Byllide, Illyrici civitate, quam nonnulli tamen in Macedoniæ finibus, juxta mare Hadriaticum, collocant.

tuum accedere. Quod ut facias, te etiam[5] atque etiam rogo. [*p.* 221.] Illudque mihi gratissimum est, quod ita sciunt Lucceii procuratores, et ita Lucceius ipse ex literis tuis, quas[6] ad eum misisti, intellexit, hominis nullius apud te auctoritatem aut gratiam valere plus, quam meam. Id ut re experiatur, iterum et sæpius te rogo.[7]

(43.) M. T. C. QUINTIO GALLO[1f] S. P. D.

ARGUMENTUM.—Oppium Gallo commendat, Egnatii negotia procurantem.

ETSI plurimis rebus spero fore, ut perspiciam, (quod tamen jampridem perspicio) me a te amari; tamen nunc ea causa[f] tibi datur, in qua facile declarare possis tuam erga me benevolentiam. L. Oppius, M. F. Philomeli[2g] negotiatur, homo mihi familiaris: eum tibi unice commendo; eoque magis, quod cum ipsum diligo, tum quod negotia procurat L. Egnatii Rufi, quo ego uno equite Romano familiarissime utor, et qui consuetudine quotidiana, tum officiis plurimis maximisque mihi conjunctus est. Oppium igitur præsentem ut diligas, Egnatii absentis rem ut tueare, æque a te peto, ac si mea negotia essent.[3] Velim, memoriæ tuæ causa,[h] des literarum aliquid, quæ tibi in provincia reddantur: sed ita conscribas, ut tum,[4] cum eas leges,

[f] *Ea occasio.*

rus v.—5 *Quod ut facias, etiam* ψ.—6 Vet. cod. Grævii *ex literis quas.*—7 *Vale* addunt P *v.*

EPIST. XLIII. 1 Ita Dresd. 2. Amstel. Pal. 1. Stewech. *Quinto Gallo* Dresd. 1. *Quintio Gallio* codd. Græv. *Q. Gallo* duo Gulielm.—2 *Philomeni* Hitt. Mox, *quod cum per se ipsum diligo* Lamb. *tum quo negotia* Stewech. *et qui cum consuetudine* edd. vett. probante Benedict. *qui tum consuetudine* Dresd. 3. P.—3 Codex unus Oxon. *si mea essent,* omisso *negotia.*—4 Dresd. 2.

NOTÆ

[f] *Quintio Gallo*] Cujusnam administrationem provinciæ haberet haud compertum est: existimat Manutius, legatum Philippi, Asiæ proconsulis, extitisse.

[g] *Philomeli*] Vide Epist. octavam libri tertii.

[h] *Velim memoriæ tuæ causa*] Inde colligitur hanc a Cicerone scriptam Epist. prius in provinciam quam Gallus proficisceretur.

facile recordari possis hujus meæ commendationis diligentiam.[g] Hoc te vehementer etiam atque etiam rogo.[9]

(44.) CICERO GALLO S.

ARGUMENTUM.—Eundem Oppium eidem Gallo commendat, una cum Egnatii negotiis.

ETSI ex tuis,[1] et ex L. Oppii, familiarissimi mei, literis cognovi, te memorem commendationis meæ fuisse, idque, pro tua summa erga me benevolentia, proque nostra necessitudine, minime sum admiratus; tamen etiam[2] atque etiam tibi L. Oppium præsentem, et L. Egnatii, mei familiarissimi, absentis negotia commendo. Tanta mihi cum eo necessitudo est familiaritasque, ut, si mea res esset, non magis laborarem. Quapropter gratissimum mihi feceris,[3] si curaris, ut is intelligat, me a te tantum amari, quantum ipse existimo. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Idque ut facias, vehementer te rogo.[4]

(45.) M. T. C. APPULEIO PROQUÆSTORI[5 a] S. P. D.

ARGUMENTUM.—Egnatii servum et negotia Appuleio, proquæstori Asiæ, commendat.

L. EGNATIO uno equite Romano vel familiarissime utor. Ejus Anchialum[6] servum, negotiaque, quæ habet in Asia, tibi commendo, non minore studio, quam si rem meam commendarem. Sic enim existimes velim, mihi cum eo

[g] *Ut eorum memineris, quæ tibi commendantur.*

3. *ut tu.*—9 *Vale* subjungunt P *v.*

EPIST. XLIV. 1 *Etsi ex tuis literis* F P. Actutum, *et* deest in quibusdam codd. ap. Græv. *mei* deest in Pal. 6. et Victor.—2 F *tum etiam.* Mox, *absentis negotii* in eodem cod.—3 Pall. 1. 6. Victor. *mihi gratissimum feceris;* F omittit *gratissimum.* Idem codex mox, *quantum ego existimo.*—4 *Idque ut facias, v. te rogo* desunt in ψ. *Vale* addunt P *v.*

EPIST. XLV. 5 Codd. Grævii *pro quæstore.*—6 *Anchilaum* Stewech. ψ. *Anchillaum* al. ap. Græv. Mox, *non minori studio* Hitt. *rem commendarem*

NOTÆ

[a] *Appuleio proquæstori*] Philippi, ut opinor, Asiæ proconsulis; nam utrique Egnatium Cicero commendat.

non modo quotidianam consuetudinem summam intercedere, sed etiam officia magna et mutua [nostra] inter nos esse. Quamobrem etiam atque etiam a te peto, ut cures, ut intelligat,[3] me ad te satis diligenter scripsisse: nam de tua erga me voluntate non dubitabat.[4] Id ut facias, te etiam atque etiam rogo.

(46.) M. T. C. APPULEIO PROQUÆSTORI S. P. D.

ARGUMENTUM.—Nostium cohæredem commendat.

L. NOSTIUS ZOILUS[5] est cohæres meus, hæres autem patroni sui: ea re[a] utrumque[b] scripsi, ut et mihi[6] cum illo causam amicitiæ scires esse, [*p.* 222.] et hominem probum existimares, qui patroni judicio ornatus esset.[b] Eum tibi igitur sic commendo, ut unum ex nostra domo. Valde mihi gratum erit, si curaris, ut intelligat, hanc commendationem[7] sibi apud te magno adjumento fuisse.

(47.) M. T. C. SILIO[8] S. P. D.

ARGUMENTUM.—Egnatium, communem amicum, commendat.

QUID ego tibi commendem eum,[9] quem tu ipse diligis? Sed tamen, ut scires, eum a me non diligi[c] solum,[10] verum etiam amari, ob eam rem tibi hæc scribo. Omnium tuorum officiorum, quæ et multa et magna sunt, mihi gratissi-

[a] *Propterea.* [b] *Quem patronus suus judicarit hæredem ex parte faciendum.*

meam in eodem cod. Ernesti suspectum habet *nostra.*—3 Ita Vat. alii codd. ap. Græv. et Victor. *ut is intelligat* vulgg. ante Græv.—4 Duo codd. Grævii, Dresd. 4. 5. P, Ascens. 1. *non dubitat;* Dresd. 3. *non dubito.*

EPIST. XLVI. 5 *Noscius Zoilus* quatuor codd. Grævii; *Nostius Coilus* Stewech. P. *Nostius Corlus v. Nostius Etulius* al. ap. Græv.—6 Ita Dresd. 3. 4. Torg. *et ut mihi* Dresd. 1. 2. 5.—7 Quidam codd. Grævii *hanc meam commendationem.*

EPIST. XLVII. 8 *Sillio* Pal. 6.—9 *Quid ego tibi commendo eum* Lips. Ascens. 1.—10 Codex unus Oxon. omittit *solum.* Statim, *hæc tibi scribo* Stewech. *tibi hæc scribo memor omnium officiorum tuorum, quæ et multa et magna sunt.*

NOTÆ

[b] *Utrumque*] Et patroni hæredem esse, meumque cohæredem.

[c] *Eum a me non diligi*] Tale quid in Epist. IX. 14. 'Tantum accessit ad amorem, ut mihi nunc denique amare videar, antea dilexisse.'

mum fuerit, si ita tractaris Egnatium, ut sentiat, et se a me, et me a te amari. Hoc te vehementer etiam atque etiam rogo. Illa nostra scilicet ceciderunt.[c d] Utamur igitur vulgari consolatione.[e] Quid, si melius hoc?[11] Sed hæc coram. Tu fac, quod facis, ut me ames, teque amari a me scias.

(48.) M. T. C. C. SEXTILIO RUFO[1] QUÆST. S. P. D.

ARGUMENTUM.—Ciliciæ quæstori omnes Cyprios et inprimis Paphios commendat.

OMNES tibi commendo Cyprios,[f] sed magis Paphios;[g] quibus tu quæcumque commodaris,[2] erunt mihi gratissima. Eoque[3] facio libentius, ut eos tibi commendem, quod et tuæ laudi, cujus ego fautor sum, conducere arbitror, cum primus[h] in eam insulam quæstor veneris, ea te instituere,[4] quæ sequantur alii:[d] quæ, ut spero, facilius consequere, si

[c] *Abierunt illa tempora, quibus in republica auctoritate florebamus.*
[d] *Ea te facere, quæ ceteri, &c.*

Mihi igitur gratissimum, &c. Dresd. 3.—11 Ita Stewech. et Hitt. *si hoc melius* edd. vett.

EPIST. XLVIII. 1 *M. T. C. Sextilio Rufo* Hitt. Stewech. et edd. vett.—2 Hitt. *commodaveris.*—3 *Eoque* deest in eodem cod. Mox, *quod tuæ laudi* codd. Græv. *quo et tuæ laudi* Stewech. *cum primum in eam* Dresd. 1. 2. 4. 5. Lips. P ψ, Ascens. 1. *cum primis in eam* Torg.—4 Hitt. *ea tibi instituere.*—

NOTÆ

[d] *Ceciderunt*] Priora nempe tempora, cum et honoribus, et auctoritate in republica florebamus.

[e] *Consolatione*] Qua vulgus utitur, cujus illa est in adversis sententia, *quid si hoc melius?* quasi dicat: Utinam melior esset temporum conditio; sed quandoquidem Diis aliter visum est, patienter feramus.

[f] *Cyprios*] Cyprus, nobilissima Pamphylii maris, inter Ciliciam et Syriam, insula, ob miram terræ fertilitatem Macaria quoque dicta, novem aliquando regnorum sedes: huic vel a Cypro, Cynetæ regis filia, vel ab ubertate cypri arboris, nomen impositum. *Cypre.*

[g] *Paphios*] Paphos, Cypri oppidum, Veneri quondam sacrum. Æn. 1. 419. 'Ipsa Paphum sublimis abit, sedesque revisit Læta suas,' &c.

[h] *Cum primus*] Postquam a Catone in provinciæ formam lege Clodia reducta est, Pisone et Gabinio consulibus. Legunt alii *cum primum*, ne Rufus primus quæstor in Cyprum missus videatur, cum non pauci jam proconsules eam provinciam prius administrassent.

et P. Lentuli,[i] necessarii tui, legem, et ea, quæ a me[k] constituta sunt,[9] sequi volueris. Quam rem tibi confido magnæ laudi fore.

(49.) CICERO CURIO[l] PROC. S. P. D.[1]

ARGUMENTUM.—Q. Pompeium ita proconsuli Curio commendat, ut quasi propter familiaritatem postulet.

Q. POMPEIUS, Sext. F.[2] multis et veteribus causis necessitudinis mihi conjunctus est. Is, cum antea meis commendationibus et rem, et gratiam, et auctoritatem suam tueri consuerit; nunc profecto, te provinciam obtinente, meis literis assequi debet, ut nemini se intelligat commendatiorem[3] unquam fuisse. Quamobrem a te majorem in modum peto,[4] ut, cum omnes meos æque ac tuos observare, pro nostra necessitudine, debeas, hunc inprimis ita in tuam fidem recipias, ut ipse intelligat, nullam rem sibi majori usui, aut ornamento, quam meam commendationem esse potuisse.[5]

(50.) M. T. C. AUCTO PROC.[m] S. D.[6]

ARGUMENTUM.—M' Curium commendat, ut ab omni incommodo, detrimento, et molestia integrum conservet.

SUMSI hoc mihi, pro tua in me observantia, quam penitus perspexi, quamdiu Brundisii[n] fuimus, ut ad te famili-

9 Idem codex *institiuta sunt; ⸗ consecuta sunt.*

EPIST. XLIX. 1 *Curioni Proc. S.* Pal. 6.—2 *Pompeius Sextus tibi* F *v.*—3 Dresd. 1. 2. 4. *commendationem.* Actutum, *nunquam fuisse* F.—4 Idem codex *in majorem modum cupio.*—5 Dresd. 1. 2. 4. Torg. Bengel. Benedict. adjiciunt *Vale.*

EPIST. L. 6 *Cicero S. D. Aucto* Dresd. 1. 2. Torg. *Cicero S. D. Achico* Amstel. *M. T. C. Aucto* Dresd. 3. Pall. 1. 6. Hirt. Victor. *M. T. C. Aristo* edd.

NOTÆ

[i] *Lentuli*] Qui Ciliciam obtinuit; cujus provinciæ pars erat Cyprus.

[k] *Quæ a me*] Dum Ciliciæ præeram.

[l] *Curio*] Videtur is esse Curius, ad quem scripta Epist. vigesima nona libri septimi.

[m] *Aucto* [*Aristo*] *proc.*] In quibusdam codicibus legitur *Arito*, in aliis *Aristio*. Quicquid sit, (in re enim tam levis momenti laborare nihil opus) facile crediderim, hunc ipsum esse Acilium Aristum, qui Sulpicio in Achaiæ administratione successit.

[n] *Brundisii*] Post cladem Pharsalicam aliquamdiu Brundisii Cicero

ariter et quasi pro meo jure scriberem, si quæ res esset,[2] de qua valde laborarem. M' Curius, qui Patris[3] negotiatur, ita mihi familiaris est, ut nihil possit esse conjunctius. Multa illius in me officia, multa in illum mea: quodque maximum est,[4] summus inter nos amor et mutuus. Quæ cum ita sint, si ullam in amicitia mea spem habes; si ea, quæ in me officia et studia Brundisii contulisti, vis mihi etiam gratiora efficere, quanquam sunt gratissima; si me a tuis omnibus amari vides; hoc mihi da atque largire, ut M' Curium, sartum et tectum,[e o] ut aiunt, ab omni[que][5] incommodo, detrimento, molestia, [*p.* 223.] [sincerum, integrumque] conserves. Et ipse spondeo, et omnes hoc tibi tui pro me recipient, ex mea amicitia[6] et ex tuo in me officio, maximum te fructum, summamque voluptatem esse capturum.

(51.) M. T. C. P. CÆSIO S. D.

ARGUMENTUM.—P. Messienum commendat Cæsio.

P. MESSIENUM,[7] equitem Romanum, omnibus rebus ornatum,[f] meumque perfamiliarem, tibi commendo ea commendatione, quæ potest esse diligentissima. Peto a te et pro nostra, et pro paterna amicitia, ut eum in tuam fidem recipias, ejusque rem famamque tueare. Virum bonum,

[e] *Salvum et incolumem.* [f] *Omni ex parte perfectum.*

vett. *M. T. C. Aveto* Mentel.—2 Vat. Dresd. 1. 2. 3. 4. Torg. Victor. Ascens. *si qua res esset.*—3 *Patras* codex unus Oxon.—4 Ita duo codd. Manut. *mea quoque, maximum est* Amstel. Pal. 1. Dresd. 1. 2. 3. 4. Torg. Lips. edd. vett. *mea quoque. Maximus est* F P, et al. ap. Græv. *mea, et quod maximum est* Dresd. 5. Guelf. 1. Ascens. 1.—5 Conjunctionem *que* uncis inclusit Ernesti, non monito tamen lectore. Verba *sincerum, integrumque* Matius Opin. II. 2. pro glossis ejicit, probante Ernestio.—6 H. Steph. emend. *ex ea amicitia*, probante Grævio. Mox, *maximum in te fructum v.*

EPIST. LI. 7 Ita Dresd. 1. 2. 3. *P. Moscennium* duo codd. Gulielm. *P. Messiennum* Stewech. *P. Messinium* Torg. *A. Messiennium* Ascens. *D. Messienum* al. ap. Græv. *P.* omittunt Hitt. et Pal. 6. Mox, *meumque familiarem* Stewech. Lips. Dresd. 3. 4.

NOTÆ

restitit, Cæsaris ex Ægypto reditum expectans.

[o] *Sartum et tectum*] Translatio ex ædibus sumta, quas ita locabant censores, ut integras postea, et ab omni detrimento sinceras exigerent.

tuaque amicitia dignum tibi adjunxeris, mihique gratissimum feceris.

(52.) CICERO REGI[p] S.D.[1]

ARGUMENTUM.—Hospitem suum, Liciuium Aristotelem, commendat.

A. LICINIUS[2] ARISTOTELES, Melitensis,[q] antiquissimus est hospes meus, et præterea conjunctus magno usu familiaritatis. Hæc cum ita sint, non dubito, quin tibi satis commendatus sit. Etenim ex multis cognosco, meam commendationem plurimum apud te valere. Hunc ego a Cæsare liberavi.[g] Frequens enim fuerat nobiscum,[h] atque etiam[3] diutius in causa est, quam nos,[r] commoratus:[i] quo melius[s] te de eo existimaturum arbitror. Fac igitur, mi Rex, ut intelligat, has sibi literas plurimum profuisse.[4]

(53.) CICERO THERMO[a] PROPR. S.

ARGUMENTUM.—Curvum in omnibus rebus, præcipue in Hellespontiis negotiis, commendat.

L. GENUCILIO CURVO[5] jampridem utor familiarissime,

[g] *Huic a Cæsare veniam impetravi.*
[h] *Pompeianus enim nobiscum partes erat secutus.*
[i] *Atque etiam diutius, quam nos, pro Pompeio dimicavit.*

EPIST. LII. 1 *Cicero M. Regulo S. D.* ψ.—2 *A. Lucinius* F. *A. Lacinius* P. Mox, *et præterea mihi conjunctus* Lamb.—3 Voc. *etiam* deest in uno cod. Grævii. Statim, pro *quam nos*, quod servant Dresd. 1. 3. 4. 5. Torg. *qua nos* habent Dresd. 2. Hitt. Pal. 6. *qua vos* Lips. Stewech.—4 *Vale* addunt P *v*.

EPIST. LIII. 5 *Aulo Genucilio Curvo* P *v* ψ. *A. Genucilio Curvo* Dresd. 1. 2. 4. Torg. *L. Genucio Sal.* Hitt. *L. Gemicilio Curvo* codd. Græv. *A. Gemicilio Curvo* al. ap. Græv. *L.* deest in Dresd. 3. Actutum, *pridem* unus co-

NOTÆ

[p] *Regi*] Alii Deiotarum regem hic volunt intelligi, qui Pompeio contra Cæsarem adhæserat: nonnulli, quod vero propius, aliquem fuisse gentis Martiæ, cujus cognomen fuit *Rex*.

[q] *Melitensis*] Melita insula in mari Siculo, ubi templum erat Junonis perantiquum, nunc *Malthe*, equitibus hujusce nominis inclyta.

[r] *Quam nos*] Quod profligato ad Pharsalum Pompeio, ab exercitu Cicero discesserit.

[s] *Quo melius*] Hinc pronum est conjicere, Pompeio quoque favisse Regem.

[a] *Thermo*] Asiæ proprætori. Vide Indicem Historicum.

optimo viro, et homine gratissimo. Eum tibi penitus commendo atque trado: primum, ut omnibus in rebus ei te commodes,[a 2 b] quoad fides tua dignitasque patietur: patietur autem in omnibus: nihil enim abs te[3 c] unquam, quod sit alienum tuis aut etiam suis moribus, postulabit. Præcipue autem tibi commendo negotia ejus, quæ sunt in Hellesponto;[4 d] primum, ut obtineat id juris in agris, quod ei Pariana[e] civitas decrevit et dedit, et quod semper obtinuit sine ulla controversia: deinde, si quid habebit cum aliquo Hellespontio controversiæ, ut in illam διοίκησιν[b] rejicias.[5 f] Sed non mihi videor, cum tibi totum hominem diligentissime commendarim,[6] singulas ad te ejus causas[c] perscribere debere. Summa illa sit: quicquid officii, beneficii, honoris, in Genucilium[7] contuleris, id te existimabo in me ipsum atque in rem meam contulisse.

(54.) M. T. C. THERMO PROPR. S. D.

ARGUMENTUM.—Gratias agit, quod liberaliter tractasset Marcilium: deinde petit, ne socrus ejus rea fiat.

CUM multa mihi grata sunt,[1] quæ tu, adductus mea com-

[a] *Ei inservias.* [b] *In Hellesponti diœcesim.* [c] *Singula ejus negotia.*

dex Græv. *familiarissime utor* edd. vett.—2 Manutium offendebat illud *ei te com.* quocum etiam Ernesti legere malit *ei commodes.* Benedict. conj. *eidem commodes.*—3 Codex unus Oxon. *nihil autem abs te.*—4 *Præcipue a. t. c. n. e. q. s. in Hellesponto* desunt in ψ. Mox, *Patriana civitas* in eodem cod. *Pericina civitas* P.—5 Cod. ψ *illam rejicias.*—6 Codex unus Oxon. *commendavi.*—7 *Gemicilium* in eodem cod.

EPIST. LIV. 1 *Tum mihi multa grata sunt* Pal. 1. *Cum multa mihi grata sint*

NOTÆ

[b] *Ei te commodes*] Alibi sic loquitur Cicero, ut illud *te* non apponat; quare suspicor hic esse delendum.

[c] *Nihil enim abs te*] Sic Horat. Epist. I. 12. 'Utere Pompeio Grospho, et, si quid petet, ultro Defer, nil Grosphus, nisi verum, orabit, et æquum.'

[d] *Hellesponto*] Regio est Propontidi vicina, ab Hellesponto sic appellata, freto scilicet angustissimo, quod Ægæum mare Propontidi committit, Asiamque dividit ab Europa: hodie *le Détroit de Gallipoli, ou les Dardanelles.*

[e] *Pariana*] Parion Hellesponti civitas.

[f] *Rejicias*] Non Ephesum, primariam eorum, qui Asiam administrabant, civitatem, ne suo incommodo Ephesum se conferre cogeretur Curvus.

mendatione fecisti; tum inprimis, quod M. Marcilium,[2] amici atque interpretis[g] mei filium, liberalissime tractavisti. Venit enim Laodiceam,[h] et tibi apud me, mihique propter te gratias maximas egit.[3] Quare, quod reliquum est, a te peto, cum apud gratos[4] homines beneficium ponis, ut eo libentius his commodes,[d] operamque des, quoad fides tua patietur, ut socrus adolescentis rea ne fiat. Ego cum antea studiose commendabam Marcilium, tum multo nunc studiosius, quod in longa apparitione[e 5 i] singularem et prope incredibilem patris Marcilii fidem, abstinentiam, modestiamque cognovi.[6]

(55.) M. T. C. THERMO PROPR. S. D.

ARGUMENTUM.—Anneium commendat, legatum suum, præcipue in causa Sardiana.

[*p.* 224.] ETSI mihi videor intellexisse, cum tecum Ephesi de re M. Anneii,[1] legati[a] mei, locutus sum, te ipsius causa vehementer omnia velle; tamen et M. Anneium tanti facio, ut mihi nihil putem prætermittendum, quod illius in-

[d] *His inservias.* [e] *Quod in diuturno obsequio.*

Dresd. 3. 4. 5. Torg. F P, Ascens. 1. Statim, *adductus magna commendatione v.*—2 *M. Marcellium* Hitt. *M. Marcellum* Pal. 6.—3 Vet. cod. Græv. *maximas gratias egit.*—4 Ita Dresd. 2. 5. Torg. Lips. *quando apud gratos* Dresd. 1. 3. 4. Voc. *commodes* deest in *v.* Pro *socrus* ψ habet *socius.*—5 Ita codd. Grævii, Victorii, Dresd. 3. 5. ψ, Ascens. 1. *apparatione* Dresd. 1. 2. *operatione* Torg. *approbatione* Dresd. 4.—6 *Vale* subjungunt P *v.*

EPIST. LV. 1 *M. Annei* Amstel. *M. Amici* P. *M. Manucii v. M. Anicii* al.

NOTÆ

[g] *Interpretis*] Forte Cilicum in lingua; nisi malis intelligi hominem, quo, rebus in agendis, interprete, et conciliatore Cicero utebatur.

[h] *Laodiceam*] Caput erat unius Asiaticæ jurisdictionis, et in Ciceronis imperio, ubi forum egit, cum in Ciliciam proconsul abiret.

[i] *In longa apparitione*] In munere interpretis, quod multis mensibus obierat. Apparitores vulgo dicebantur, qui præibant magistratibus; et apparitio, munus ipsum. Inter apparitores recenset Manutius scribas, interpretes, accensos, lictores, et ceteros ejusmodi: quanquam hic per apparitionem existimem solummodo significari cujusvis officii exhibitionem, ac præsentiam ad obsequendum, adeo ut Marcilium laudet, quod sibi, variis in rebus, non mediocri fuerit adjumento.

[a] *Legati*] Unius, ex quatuor quos habuit in Cilicia Cicero.

tersit: et me a te tanti fieri puto, ut non dubitem, quin ad tuam voluntatem[2] magnus cumulus accedat commendationis meæ.[a] Nam cum jam diu diligerem M. Anneium, deque eo sic existimarem, ut res declarat (quod ultro ei detulerim[b] legationem, cum multis petentibus[3] denegassem); tum vero, posteaquam mecum in bello[b] atque in re militari fuit, tantam in eo virtutem, prudentiam, fidem, tantamque erga me benevolentiam cognovi, ut hominem neminem pluris faciam. Eum cum Sardianis[c] habere controversiam scis: causam tibi exposuimus Ephesi: quam tu tamen coram facilius meliusque cognosces. De reliquo mihi, mehercule,[4] diu dubium fuit, quid ad te potissimum scriberem. Jus enim quemadmodum dicas, clarum, et magna cum tua laude notum est.[e] Nobis autem in hac causa nihil aliud opus est, nisi te jus instituto tuo[d] dicere.[5] Sed tamen, cum me non fugiat, quanta sit in prætore auctoritas, præsertim ista integritate, gravitate, clementia, qua te esse inter omnes constat; peto abs te,[6] pro nostra conjunctissima necessitudine plurimisque officiis paribus ac mutuis, ut voluntate, auctoritate, studio tuo perficias, ut M. Anneius intelligat, te et sibi amicum esse, (quod non dubitat, sæpe enim mecum locutus est,[e] 7) et multo amiciorem his meis literis esse factum. In tuo toto imperio atque provincia nihil

[a] *Quin tua erga illum voluntas mea commendatione multum crescat.*
[b] *Eumque plurimi facerem, ut res ipsa declarat, siquidem ei ultro detuli, &c.*
[c] *Sciunt enim omnes, quanta cum integritate jus reddas, idque tibi gloriosum inprimis.*
[d] *More tuo.* [e] *De tua in ipsum voluntate.*

ap. Græv.—2 Ita Dresd. 2. 3. Torg. F P *v. voluptatem* Lips. Dresd. 1. 4. 5. ψ. —3 Lamb. *quam multis petentibus;* ψ *cum multis potentibus.* Mox, *tantam in eo prudentiam, virtutem, fidem* vet. cod. Græv. *tantam in eo fidem, virtutem, prudentiam* al. ap. eund.—4 Vet. cod. Græv. *mihi, hercule.* Actutum, *diu dubium non fuit v.*—5 Idem cod. *tuto dicere,* omisso *tuo.*—6 Duo codd. Grævii *peto a te.* Statim, *pro n. c. necessitate* Hitt. Pal. 6.—7 Stewech. *locutus*

NOTÆ

[b] *In bello*] Quod contra prædones nescio quos ad montem Amanum gessit. In re admodum levi magnifice nimis de se prædicat.

[c] *Sardianis*] Sardis, et Sardes, Lydiæ quondam nobilissima civitas, et Crœsi regia, ad Tmolum montem sita, Pactolo fluvio irrigata.

est,[8] quod mihi gratius facere possis. Jam, apud ipsum gratissimum hominem, atque optimum virum,[f] quam bene positurus sis studium tuum atque officium,[9] dubitare te non existimo.[10]

(56.) M. T. C. THERMO PROPR. S. D.

ARGUMENTUM.—Negotia Cluvii Puteolani commendat.

CLUVIUS,[1] Puteolanus,[a] valde me observat, valdeque est mihi familiaris. Is ita sibi persuadet, quod in tua provincia negotii habeat,[2] nisi, te provinciam obtinente, meis commendationibus confecerit, id se in perditis et desperatis habiturum.[a] Nunc, cum[3] mihi ab amico officiosissimo tantum oneris imponitur, ego quoque tibi imponam pro tuis in me summis officiis; ita tamen, ut tibi nolim molestus esse. Mylaseis[b] et Alabandeis[4] pecuniam Cluvio debent Dixerat mihi Euthydemus, cum Ephesi essem, se curaturum, ut ecdici[c] Mylasii[5] Romam mitterentur. Id factum

f Ceterum hoc tibi beneficio devinxeris virum optimum, et gratissimum.

a De negotiis, quæ in provincia tua habet, sibi desperandum esse, nisi ea, te proconsule, meque commendante, perficiat.

est mecum; tres codd. Grævii ignorant illud *mecum.*—8 Hitt. *atque provincia et nihil est.*—9 Codex unus Oxon. *studium atque officium,* omisso *tuum.*—10 *Vale* subjiciunt P *v.*

EPIST. LVI. 1 Ita Pal. 1. Victor. *C. Livius* al. ap. Græv. *C. Cluvius* edd. vett. *Climius* P. Statim, *valdeque mihi est familiaris* Hitt.—2 Pal. 1. *negotia habet; ψ negotii habet.* Mox, *eis commendationibus v.*—3 Ita Hitt. Pal. 6. Victor. *Nunc quando* edd. vett. Mox, *nollem molestus esse* Dresd. 1. 2. 4. 5. Torg. P ψ. *molestius esse* Ernesti de errore typogr.—4 Ita codd. Victorii; *Mylasii et Alabandes* Dresd. 1. 2. *Milasii et Alabandes* Lips. Dresd. 5. Ascens. 1. aliæque vett. edd. *Plasis et Alabandis* Torg. *v. Mylasis et Alabandes* nonnulli codd. Manutii et Dresd. 3. *Milasii et Alabadenses* Dresd. 4. *Mylaseis et Alabandes* P ψ.—5 Hitt. et Pal. 6. *ecdici a Mylasinis; v eolici ullas; ψ cedici.*

NOTÆ

[a] *Puteolanus*] Puteoli, maritima Campaniæ civitas, quæ a justissima reipublicæ administratione Dicæarchia dicta est; unde et colonos prolem Dicæarcheam Silius appellat.

[b] *Mylaseis*] Mylasia, et Alabanda, duo sunt oppida Cariæ in Asia Minori.

[c] *Ecdici*] Ii dicuntur ab jurisconsultis, civitatis defensores, qui in municipiis tribunorum instar plebem ab optimatum injuriis tuebantur. Ecdicorum quoque fuit munus eos persequi judicio, qui reipublicæ pecuniam debebant. Verbo, quæstorum genus erat, qui rationem nummariam curabant.

non est. Legatos audio missos esse:[6] sed malo ecdicos, ut aliquid confici possit. Quare peto a te, ut et eos, et Alabandeis[7] jubeas ecdicos Romam mittere. Præterea Philotes[8] Alabandensis ὑποθήκας[b] Cluvio dedit: hæ commissæ sunt.[c d] Velim cures,[9] ut aut de hypothecis decedat,[d e] easque procuratoribus Cluvii tradat, aut pecuniam solvat. Præterea Heracleotæ et Bargyletæ,[f] qui item debent, aut pecuniam solvant, aut fructibus suis satisfaciant.[e] Caunii[10 g] præterea debent: sed aiunt[h] se depositam pecuniam habuisse. Id velim cognoscas: et, si intellexeris, eos neque ex edicto,[i] neque ex decreto depositam habuisse,[11] des operam, ut usuræ Cluvio,[f] instituto tuo,[g] conserventur. His de rebus eo magis laboro, quod agitur res Cn. Pompeii[k] [*p.* 225.] etiam, nostri necessarii; et quod is[12] magis etiam mihi laborare videtur, quam ipse Cluvius: cui satis-

[b] *Oppigneratas possessiones.* [c] *Ad Cluvium jure devenerunt.*
[d] *Ut suis pignoribus cedat.*
[e] *Aut tradant Cluvio fructus, quos ex agris colligunt.*
[f] Ayez soin que Cluvius ne perde point les intérêts de sa somme.
[g] *More tuo.*

—6 *Legatos missos audio esse* Hitt.—7 *Alabandes* Pall. 1. 6. Hitt. Amstel. Victor. *Alabandenses v* ψ, et edd. vett. *jubeas eolicos v.*—8 *Philocies* Hitt. *Philoties* Pall. 1. 6. *Phyloties* Amstel.—9 Ita codd. Grævii; *Cures velim* edd. vett. Mox, *solvat. Præterea H. et B. qui i. d. a. pecuniam* desunt in *v.* Deinde, *aut de fructibus suis* Dresd. 3.—10 *Canini* P. *Canuvii v.*—11 Hæc omnia, *Id v. c. et si i. e. n. ex e. n. ex d. d. habuisse*, desunt in ψ. *positam habuisse v. ut usuras C. i. t. conservent* in eodem cod.—12 Cod. ψ *etiam necessa-*

NOTÆ

[d] *Hæ commissæ sunt*] Præterita solutionis die, hæc jam pignora Cluvio commissa erant; id est, ea pro jure suo Cluvius retinere poterat.

[e] *Decedat*] Quia nihil jam ad eum pertinent, elapsa solutionis die, de qua inter utrumque convenit.

[f] *Heracleotæ et Bargyletæ*] Cariæ populi: multiplex autem fuit Heraclea; Bargylum, seu Bargyliam, a Bellerophonte conditam, Stephanus scribit.

[g] *Caunii*] Caunus, Cariæ pariter oppidum, infirma incolarum valetudine infame, inquit Pomponius Mela.

[h] *Sed aiunt*] Sed aiunt hanc pecuniam apud se depositam fuisse. *Ils disent, que ce n'est pas une dette, mais un dépôt, dont ils ne sont pas obligés de paier les intérêts.*

[i] *Ex edicto*] Edictum ad prætorem, ad senatum vero decretum pertinet.

[k] *Cneii Pompeii*] Pompeium Magnum significat.

factum esse a nobis valde volo. His de rebus te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.[13]

(57.) CICERO THERMO PROPR. S.

ARGUMENTUM.—Petit ut Anneium, legatum suum, remittat, ejusque causam Sardianam commendat.

QUO magis quotidie ex literis nuntiisque bellum magnum[1] esse in Syria cognosco, eo vehementius a te pro nostra necessitudine contendo, ut mihi M. Anneium[1] legatum primo quoque tempore remittas. Nam ejus opera, consilio, scientia rei militaris, vel maxime intelligo, me et rempublicam adjuvari posse. Quod nisi tanta res ejus ageretur,[h] nec ipse adduci potuisset, ut a me discederet, neque ego, ut eum[2] a me dimitterem. Ego in Ciliciam[3 m] proficisci cogito circiter Kal. Mai. Ante eam diem Anneius ad ad me redeat oportet. Illud, quod tecum et coram, et per literas,[4] diligentissime egi, id et nunc etiam atque etiam rogo, curæ tibi sit, ut suum negotium, quod habet cum populo Sardiano, pro causæ veritate et pro tua dignitate conficiat. Intellexi ex tua oratione, cum tecum Ephesi locutus sum, te ipsius M. Anneii causa omnia velle. Sed tamen sic velim existimes, te mihi nihil gratius facere posse, quam si intellexero, per te, illum ipsum negotium ex sententia confecisse. Idque quam primum ut efficias, te etiam atque etiam rogo.[5]

[h] *Nisi gravissimum in provincia tua negotium habuisset.*

rii, et quod his.—13 *Vale* ignorant Dresd. 1. 2. 3. 4. Torg. Lips. P *v.*

EPIST. LVII. 1 Ita Dresd. 4. 5. *m. nanneium* Dresd. 1. 2. *M. Manutium* Torg. *M. Manucium v.*—2 Dresd. 2. et Ascens. 1. *neque ego eum,* omisso *ut.* —3 *Ego in Siciliam v.* Statim, *Kalendas Maias* codd. Grævii.—4 P *ut per literas.* Mox, *id te nunc etiam rogo* edd. vett. Nostram lect. servant Pall. 1. 6. Hitt. Amstel. Victor. *curæ sit tibi* al. ap. Græv. Deinde, *Sardiniano* ψ.— 5 *Vale* addunt P *v.*

NOTÆ

[1] *Bellum magnum*] Quod a Parthis timebat sibi Tullius.

[m] *In Ciliciam*] Tum versabatur Laodiceæ, ubi, ut antea dictum est, forum agebat, seu jus reddebat.

(58.) M. CICERO C. TITIO, L. F. RUFO, PR. URBANO, S.

ARGUMENTUM.—Ex provincia Custidium, municipem suum, commendat.

L. CUSTIDIUS [1] est tribulis, et municeps,[i n] et familiaris meus. Is causam habet; quam causam [2] ad te deferet. Commendo tibi hominem, sicuti tua fides et meus pudor postulat;[3] tantum, ut faciles ad te aditus habeat; quæ æqua postulabit, ut libente te [k] impetret; sentiatque meam sibi amicitiam, etiam cum longissime absim,[o] prodesse inprimis apud te.

(59.) M. T. C. C. CURTIO PEDUCÆANO [p] PRÆTORI, S. D.

ARGUMENTUM.—Commendat M. Fabium Curtio prætori.

M. FABIUM unice diligo, summaque mihi cum eo consuetudo et familiaritas est pervetus. In ejus controversiis quid decernas,[4] a te non peto, (servabis, ut tua fides et dignitas postulat, edictum et institutum tuum [l]) sed ut quam facillimos ad te aditus habeat; quæ erunt æqua, libente [5] te impetret; ut meam amicitiam sibi, etiam cum procul absim,[q] prodesse sentiat, præsertim apud te. Hoc te vehementer[6] etiam atque etiam rogo.

[i] *Ejusdem mecum tribus, et municipii.*
[l] *Et legem, et consuetudinem tuam.*
[k] *Te volente.*

EPIST. LVIII. 1 Ita Dresd. 1. 2. 5. *L. Custodius* Dresd. 3. 4. Hitt. Pal. 6. P, Ascens. 1. *L. Custudius* Lips. *L. Cuspidius* conj. Glandorp. in Onomast. Hist. Rom. Copulam *et* ante *municeps* omittunt Dresd. 1. 2. 5. Ascens. 1.—2 Dresd. 3. omittit *causam.* Actutum, *ad te defert* Dresd. 4. Lips. Torg.—3 Lips. *postulant.* Mox, *ut faciles aditus habeat* Hitt. Tum, *æque postulabit* υ. Pro *ut libente*, quod servant Pall. 1. 6. Vat. Stewech. Hitt. ed. pr. *ut jubente* habent vulgg. ante Græv. Denique, *longissime absum* Lips.

EPIST. LIX. 4 Lamb. conj. *ut aliquid decernas.* Statim, *ut tua dignitas et fides postulat* vet. cod. Græv. *ut* ante *quam* deest in P.—5 Dresd. 2. alii codd. ap. Græv. Ascens. 1. et edd. vett. *jubente.* Actutum, *te impetres* F. *et meam amicitiam* ψ. *et cum procul* vet. cod. Græv.—6 Ita Torg. Dresd. aliique

NOTÆ

[n] *Municeps*] Quia Arpini natus, ubi et natus erat Cicero.

[o] *Cum longissime absim*] In Cilicia, unde sequentem quoque Epist. scripsit.

[p] *Peducæano*] Ex Peducæa gente in Curtiam adoptato.

[q] *Cum procul absim*] In Cilicia.

(60.) M. T. C. MUNATIO C. F. S. D.*

ARGUMENTUM.—Commendat Livineium libertum.

L. LIVINEIUS[r] TRYPHO[1] est omnino L. Reguli, familiarissimi mei, libertus: cujus calamitas[s] etiam officiosiorem me facit in illum; nam benevolentior, quam semper fui, esse non possum. Sed ego libertum ejus per se ipsum diligo: summa enim ejus erga me officia extiterunt his nostris temporibus,[t] quibus facillime bonam[m] benevolentiam hominum et fidem perspicere[2] potui. Eum tibi ita commendo, ut homines grati et memores bene meritos de se commendare debent. [*p.* 226.] Pergratum mihi feceris, si ille intellexerit, se, quod pro salute mea multa pericula adierit, sæpe hyeme summa navigarit,[3] pro tua erga me benevolentia gratum etiam tibi fecisse.[n] [4]

(61.) M. T. C. P. SILIO[5] PROPR.[u] S. D.

ARGUMENTUM.—Commendat Pinnium Bithyniæ proprætori in exigenda pecunia, quam ei Nicæenses debebant.

T. PINNIO[6] familiarissime me usum esse, scire te arbi-

[m] *Sinceram.*
[n] *Si intellexerit, pericula, quæ pro salute mea adiit, tibi etiam grata esse.*

codd. ap. Græv. *Hoc vehementer* Dresd. 1. 2. 4. 5. Ascens. 1. et vulgg. ante Græv. *te vehementer* desunt in ψ. *Vale* adjiciunt P *v.*

EPIST. LX. * 'Dresd. 3. ante hanc Epist. inserit Epist. hujus libri 68. 69. 70. 71. sed in Epist. 71. post verba, *non eadem mihi causa est*, redit ad Epist. 64. et pergit in verbis, *summa hujus epistolæ, &c.* Jam sequuntur Epist. 65. 66. 67. et tunc demum redit ad nostram, 60. Sequuntur 61. 62. 63. 64. in qua, post verba, *relinquas hominem innocentem*, redit ad Epist. 71. et pergit in verbis, *miserrimo tempore omnium itinerum.* Cujus quidem confusionis causa me latet.' *Benedict.* —1 *A. Livineius Tripho* codex unus Oxon.—2 Ita Torg. *prospicere* Dresd. 1. 2. 4. 5. *pspicere* Dresd. 3. Grævius conj. *benevolentiam hominum et bonam fidem perspicere potui.*—3 Hitt. *navigaverit.*—4 *Vale* addunt P *v.*

EPIST. LXI. 5 *Sillio* Pal. 6.—6 *Cito Pinnio* P. *C. Pinnio* al. ap. Græv.

NOTÆ

[r] *Livineius*] Prænomen, nomenque suum patroni libertis dabant, cognomen nunquam. Livineiæ autem gentis cognomen fuit Regulus.

[s] *Calamitas*] In exilium forte abierat.

[t] *His nostris temporibus*] Cum exularet. Sic ad Att. III. 17. 'Livineius,' inquit, 'M. Reguli libertus, ad me a Regulo missus, venit.'

[u] *Silio propr.*] In Bithynia: eodem

tror: quod quidem ille testamento declaravit; qui me cum tutorem, tum etiam secundum hæredem instituerit. Ejus filio mire studioso, et erudito, et modesto, pecuniam Nicæenses [3] [x] grandem debent, ad H-S octogies; [y] et, ut audio, inprimis volunt ei solvere. Pergratum igitur mihi feceris, quando [4] non modo reliqui tutores, qui sciunt, quanti me facias, sed etiam puer ipse sibi persuasit, te omnia mea causa facturum esse, si dederis operam, quod tua fides dignitasque patietur, ut quam primum pecunia [5] Pinnio solvatur Nicæensium nomine.

(62.) M. T. C. P. SILIO PROPR. S. D.

ARGUMENTUM.—De Atilio gratias agit: suum fratrem commendat.

ET in Atilii [1] [a] negotio te amavi.[a] Cum enim sero venissem,[b] tamen honestum equitem Romanum beneficio tuo conservavi. Et, mehercule, semper sic in animo habui, te in meo ære [b] esse [c] [2] propter Lamiæ [c] nostri conjunctionem et singularem necessitudinem. Itaque primum tibi ago gra-

[a] *Gratum fecisti mihi, quod Atilii negotium transegeris.*
[b] *Quamvis enim tardius in Ciliciam veni.* [c] *Te meum esse.*

Paulo post, *tum tutorem* quinque Dresd. Torg. edd. vett. Pro *qui me*, Hitt. Pal. 6. Dresd. 3. habent *cum me*. Pro *instituerit* Dresd. 1. 2. 3. Stewech. ψ *instituit*.—3 *Nicenses* Hitt.—4 Dresd. 1. 3. 4. cum Victorii libris *cum*.—5 Ita e Mediol. emend. Ernesti; *ut quam plurimum pecuniæ* tres codd. Gulielm. Pal. 1. Amstel. Dresd. quinque, Torg. Lips. Victor. *ut quam plurimum pecunia v.* Actutum, *Pinnio solvantur* in eodem cod. *Nicensium nomine* ψ. *Micensium nomine v.*

EPIST. LXII. 1 *Etsi in Atilii* Lips. Torg. Dresd. 4. 5. P *v*, Ascens. 1. cum aliis edd. vett. *Et in Atili* ψ.—2 Stewech. *te in meo here esse*. Pronomen *te*

NOTÆ

vero tempore Cicero Ciliciam, Bithyniam Silius, Thermus Asiam, et Syriam Bibulus regebant.

[x] *Nicæenses*] A Nicæa Bithyniæ oppido, ubi Constantino imperante, habita est celebris illa contra Arii dogmata synodus.

[y] *Ad H-S octogies*] Octingenta librarum Gallicarum millia.

[a] *Et in Atilii*] Quem Silius, Ciceronis adductus commendatione, conservarat.

[b] *In meo ære*] Metaphoram mutuatur a pecunia, quæ dicitur in nostro ære esse, cum nostra est.

[c] *Propter Lamiæ*] Vide Epist. XI. 16. XII. 29.

tias, quod me omni molestia liberas:[d] deinde impudentia[e] prosequor:[d] sed idem sarciam.[e] Te enim semper[8] sic colam et tuebor, ut quem diligentissime. Quintum[9] fratrem meum, si me diligis, eo numero cura ut habeas, quo me.[f] Ita magnum beneficium tuum[f] magno cumulo auxeris.

(63.) M. T. C. P. SILIO PROPR. S. P. D.

ARGUMENTUM.—C. Lænium diligentissime commendat.

NON putavi[1] fieri posse, ut mihi verba deessent: sed tamen in C. Lænio[g] commendando desunt. Itaque rem tibi exponam paucis verbis,[2] sed tamen, ut plane perspicere possis voluntatem meam. Incredibile est, quanti faciamus et ego, et frater meus, qui mihi carissimus est, M. Lænium:[3] id fit cum plurimis ejus officiis, tum summa probitate et singulari modestia.[g] Eum ego a me invitissimus dimisi,[h] cum propter[4] familiaritatem et consuetudinis suavitatem, tum quod consilio ejus fideli ac bono libenter utebar. Sed vereor, ne jam mihi superesse[5] verba putes, quæ dixeram defutura. Commendo tibi hominem, sicut in-

[d] *Pergo tibi alios importune commendare.*
[e] *Sed par tibi referam.* [f] *Tanti facias, quanti me facis.*
[g] *Eum autem tanti facimus, tum ob plurima ejus officia, tum propter, &c.*

deest in ψ.—8 *Te enim mihi semper* Hitt. Mox, *ut quam diligentissime* Pal. 6. —9 *Quintum* deest in P. Paulo post *cura* desideratur in *v*.

EPIST. LXIII. 1 *Non putabam* Dresd. 4. *Non mputavi* (sic) Dresd. 1. unde Benedict. conj. *Non enim putavi.* Statim, *C. Lenio* cod. Græv. *C. Lucio* ψ. *C. Lænium* al. Benedict. suspic. *in clarissimo Lænio*, sive *in meo Lænio commendando.*—2 Cod. ψ omittit *verbis.* Mox, *sed ita tamen, &c.* conj. Græv. *plane* deest in P.—3 Ita Pall. 1. 6. Vat. Amstel. Victor. *M. Lomium* F. *C. Lænium* edd. vett. Mox, *tum summa ejus probitate* vulgg. ante Græv.—4 Pal. 6. Victor. *tum propter.* Actutum, *familiaritatem ac consuetudinem* F. Deinde, *fideli ac etiam bono* codd. Græv. *fideli atque etiam bono* conj. Lamb.—5 Hitt.

NOTÆ

[d] *Molestia liberas*] Servato Atilio.

[e] *Impudentia*] Impudens enim videtur esse, qui cum multa jam obtinuerit, alia tamen ab eodem officia importunus efflagitat.

[f] *Beneficium tuum*] Quod, me rogante, Atilii negotium confeceris.

[g] *In C. Lænio*] Brundisino, cujus multa in Tullium, et maxima officia extitere. Vide Epist. XIV. 4.

[h] *Dimisi*] E Cilicia.

telligis, me, de quo[6] ea supra scripserim,[h] debere commendare: a teque vehementer etiam atque etiam peto, ut, quod habet in tua provincia negotii, expedias: quod tibi videbitur rectum esse, ipsi dicas. Hominem facillimum liberalissimumque cognosces.[7] Itaque te rogo,[8] ut eum solutum,[i] liberum, confectis ejus negotiis per te, quam primum ad me remittas. Id mihi fratrique meo gratissimum feceris.[9]

(64.) M. T. C. P. SILIO PROPR. S. D.

ARGUMENTUM.—Ti. Nerone suo honorifice tractato, gratias agit Silio, eumque magis et vehementius commendat.

NERO[a] meus[b] mirificas apud me tibi gratias egit, prorsus incredibiles, ut nullum honorem sibi haberi potuisse diceret, qui a te prætermissus esset. Magnum fructum ex ipso capies: nihil est enim[1] illo adolescente gratius. Sed, mehercule,[2] mihi quoque gratissimum fecisti. Pluris enim ex omni nobilitate neminem facio. [*p.* 227.] Itaque, si ea feceris, quæ ille per me tecum agi voluit,[a] gratissimum mihi feceris.[3] Primum, de Pausania Alabandensi,[4] sustentes rem, dum Nero veniat.[b] Vehementer ejus[5] causa

[h] *Ad quem commendandum, supra scripseram, verba mihi deesse.*
[i] *Expeditum.*
[a] *Quæ voluit a me tibi commendari.*
[b] *Pausaniæ Alabandensis controversiam in adventum Neronis differas.*

ne jam superesse mihi.—6 Pall. 1. 6. Hitt. Stewech. Amstel. Torg. Lips. Dresd. 1. 2. 4. 5. P *v* ψ *me quo*, omisso *de;* unde Benedict. conj. *me cum ea, &c.* Dresd. 3. affert *intelligis modo, quo eum supra scripseram, debere commendari.* Mox, *atque peto ut quod in tua* F.—7 Idem cod. *cognoscas.*—8 *Itaque rogo* P. *ut eum solutum liberumque* vet. cod. Græv.—9 *Vale* addunt P *v.*

EPIST. LXIV. 1 Stewech. *nihil enim est.* Mox, *prætermissus est* codex unus Oxon.—2 *Sed me hercle* Dresd. 3. 4. Lips. *quoque* deest in *v.*—3 Hæc omnia, *quæ i. p. m. t. a. v. g. m. feceris*, desunt in eodem cod.—4 *Alabade si* Pal. 6. Hitt. Mox, pro *veniat*, quod servat Guelf. 1. *veniet* legitur in Rom. —5 Ita Pall. 1. 6. Hitt. Stewech. Victor. *Vehementer enim ejus* edd. vett.—

NOTÆ

[a] *Nero*] Tiberium Claudium Neronem hic significat, cujus uxorem Liviam Drusillam postea Augustus prægnantem abduxit.

[b] *Meus*] Pronomen, benevolentiæ singularis indicium.

cupere eum intellexi.[c] Itaque hoc valde te rogo. Deinde Nysæos,[c] quos Nero inprimis habet necessarios, diligentissimeque tuetur ac defendit, habeas tibi commendatissimos; ut intelligat illa civitas, sibi in Neronis[6] patrocinio summum esse præsidium. Strabonem[7] Servilium tibi sæpe commendavi: nunc eo facio id impensius, quod ejus causam Nero suscepit. Tantum a te petimus, ut agas eam rem, ne relinquas[8] hominem innocentem ad alicujus tui dissimilis quæstum.[d] Id cum gratum[9] mihi erit; tum etiam existimabo, te humanitate tua esse usum. Summa hujus epistolæ hæc est, ut ornes omnibus rebus Neronem, sicut instituisti[e][10] atque fecisti. Magnum theatrum habet ista provincia[d] [non ut hæc nostra][11][e] ad adolescentis nobilis, ingeniosi, abstinentis commendationem atque gloriam.[f] Quare, si te fautore usus erit, sicuti profecto et utetur et usus est, amplissimas clientelas,[g][f] acceptas a majoribus, confirmare poterit, et beneficiis suis obligare. Hoc in genere[h] si eum adjuveris eo studio, quo ostendisti, apud ipsum præclarissime posueris; sed mihi etiam gratissimum feceris.[i]

[c] *Intellexi enim Neronem vehementer Pausaniæ studere.*

[d] *Et noli relinquere Servilium successori tuo, qui forte tui dissimilis erit, et lucri, quam justitiæ amantior.*

[e] *Incepisti.*

[f] *Possunt enim in tua provincia, velut in magno theatro, cognosci et commendari virtutes Neronis, nobilitas, ingenium, &c.*

[g] *Maximam clientum multitudinem.* [h] *In iis rebus.*

[i] *Beneficium illud apud Neronem collocatum, summo tibi splendori erit, mihique gratissimum.*

6 *Varenis* codex unus Oxon.—7 Hic incipit nova Epist. in Torg. *v*, et Rom. Mox, *quo ejus causam* Stewech. *quod ejus opera v.*—8 Ita Hitt. Stewech. Pal. 1. Amstel. Victor. *nec relinquas* ψ, et edd. vett.—9 *Id tum gratum* Hitt. Pal. 6. Victor.—10 Stewech. *sicuti instituisti.*—11 Verba *non ut hæc nostra* pro gloss. habet Ernesti: *ut* deest in Guelf. 2. et Gorl. Actutum, *ad* insernit Ernesti de conjectura; et sic volnit Bengel. probante Benedict. Paulo post, *sicut et profecto utetur* edd. vett. *et usus est amplissime* vulgg. ante Græv. *usus est, amplissime* al. ap. eund.

NOTÆ

[c] *Nysæos*] Multiplex Nysa fuit: hæc de qua sermo est, Myliadis est in Lycia civitas.

[d] *Ista provincia*] Asiæ, quam Silius administrabat.

[e] *Non ut hæc nostra*] Ciliciæ: perinde ac si dicat Silii provinciam celebrandis Neronis laudibus aptiorem esse, quam Ciliciam.

[f] *Clientelas*] Ob familiæ nobilita-

(65.) M. T. C. P. SILIO PROPR. S. D.

ARGUMENTUM.—Hisponem commendat, ut pactiones cum civitatibus pro publicanis conficiat.

CUM P. Terentio[1], Hispone, qui operas[g] in scriptura[h] pro magistro dat,[k] mihi summa familiaritas consuetudoque est; multaque et magna inter nos officia paria et mutua intercedunt. Ejus summa existimatio agitur in eo, ut pactiones[i] cum civitatibus reliquis conficiat.[l] Non me præterit, nos eam rem Ephesi expertos esse, neque ab Ephesiis[2] ullo modo impetrare potuisse. Sed cum,[3] quemadmodum omnes existimant, et ego intelligo, tua cum summa integritate, tum singulari humanitate et mansuetudine consecutus es, ut libentissimis Græcis, nutu,[m] quod velis, consequare; peto a te in majorem modum,[4] ut honoris mei causa, hac laude Hisponem affici velis.[n] Præterea cum sociis scripturæ[o] mihi summa necessitudo est, non solum ob eam causam, quod ea societas universa in mea fide est, sed etiam quod plerisque sociis utor familia-

[k] *Qui societatis publicanorum negotia velut magister curat.*
[l] *Ejus fama in eo maxime agitur, ut pactam cum civitatibus reliquis pecuniam obtineat.*
[m] *Facillime.* [n] *Debitam pecuniam Hispo impetret.*
[o] *Cum publicanis.*

EPIST. LXV. 1 *Cum P. Thermo* codex unus Oxon.—2 Ita Dresd. 3. *Ephesis* Dresd. 1. 2. 4. 5. Torg. Lips.—3 Ita codd. Victorii, Hitt. Pal. 6. Dresd. 1. 3. 4. *Sed quando* Dresd. 2. 5. Lips. *cum* deest in Torg. et *v.* Mox, *tum cum summa* Hitt. Deinde, *humanitate et consuetudine v. ut a lubentissimis Græcis* Dresd. 3.—4 Ita Pall. 1. 6. Amstel. Stewech. *peto in majorem modum* Hitt. *peto a te majorem in modum* edd. vett. Actutum, *et honoris m. c. hanc laudem*

NOTÆ

tem, et opes, multi in Neronum clientelam et fidem se tradiderant.

[g] *Qui operas*] His verbis indicat Hisponem publicanos inter, primum extitisse: sic enim explicari locus debet: fungitur munere magistri in vectigalibus colligendis.

[h] *In scriptura*] Per scripturam, intellige totam rationem, societatemque publicanorum, quæ hoc nomine declarari solet.

[i] *Ut pactiones*] Publicanos inter et civitates convenerat de certa pecunia Romanis, vectigalis nomine, solvenda. In eo autem vertebatur Hisponis existimatio, ut pactiones illas conficeret, debitamque pecuniam extra vim omnem impetraret.

rissime. Ita et Hisponem meum per me ornaris,[5] et societatem mihi conjunctiorem feceris, tuque ipse et ex hujus observantia, gratissimi hominis, et ex sociorum gratia, hominum amplissimorum, maximum fructum capies, et me summo beneficio affeceris. Sic enim velim existimes, ex tota tua provincia, omnique isto imperio,[6] nihil esse, quod mihi gratius facere possis.

(66.) M. T. C. P. SERVILIO[a] PROPR. S. D.[1]

ARGUMENTUM.—Cæcinam in colligendis Asiaticæ negotiationis reliquiis commendat. Cæsare III, et Lepido coss.

A. CÆCINAM,[b] maxime proprium clientem familiæ vestræ,[2] non commendarem tibi, cum scirem, qua fide in tuos, qua clementia in calamitosos soleres esse; nisi me et patris ejus, quo sum familiarissime usus, memoria, et hujus fortuna ita moveret, ut hominis, omnibus mecum studiis officiisque conjunctissimi, movere debebat.[a] A te hoc omni[3] contentione peto, sic, ut majore cura, majore animi labore, petere non possim; ut ad ea, quæ tua sponte sine cujusquam commendatione faceres in hominem tantum et talem, calamitosum,[b] aliquem afferant cumulum meæ literæ, [*p.* 228.] quo studiosius eum, quibuscumque rebus possis, juves. Quodsi Romæ fuisses,[c] etiam salutem A.

[a] *Et filii calamitas tantum me moveret, quantum movere debet calamitas hominis, &c.*

[b] *Erga hominem tantum, et tam calamitosum.*

disponere v.—5 Idem cod. *ornaveris.* Paulo post, *ex ejus observantia* edd. vett. —6 Hitt. *ex tua tota p. omnique imperio isto.* Verbum *esse* deest in *v.*

EPIST. LXVI. 1 *P. Servilio Isaurico procos.* edd. vett. *P. Servilio S. D.* Dresd. 1. 2. 5. Torg. ψ, Victor. Benedict.—2 Hitt. *vestræ familiæ; v familiæ vestræ.* Paulo post, *ita moneret* ψ. Deinde, *movere debeat* edd. vett.—3 *A te*

NOTÆ

[a] *Servilio* [*Isaurico*] Cognomen illud a patre, qui Isauros vicerat, mutuatus est. Vide Indicem Historicum.

[b] *A. Cæcinam*] Exulantem, quia Pompeium erat secutus, Cæsaremque præterea scripto offenderat. Vide Epist. VI. 7.

[c] *Quodsi Romæ fuisses*] Tum Asiam administrabat, cum de reditu Cæcinæ in urbem actum est, nihilque confectum, repugnante Cæsare.

Cæcinæ essemus (ut opinio mea fert) per te consecuti. De qua tamen magnam spem habemus, freti clementia collegæ[d] tui. Nunc, cum[4] tuam justitiam secutus,[c] tutissimum sibi portum provinciam[e] istam esse duxit; etiam atque etiam te rogo atque oro, ut eum et in reliquis[5][f] veteris negotiationis colligendis[d] juves, et ceteris rebus tegas atque tueare. Hoc mihi gratius facere nihil potes.

(67.) M. T. C. P. SERVILIO PROPR. S. D.

ARGUMENTUM.—Commendat Andronem Laodicensem.

Ex provincia mea Ciliciensi,[1] cui scis τρεῖς διοικήσεις[e] Asiaticas[g] attributas fuisse, nullo sum familiarius usus, quam Androne, Artemonis filio, Laodicensi: eumque habui in ea civitate cum hospitem, tum vehementer ad meæ vitæ rationem et consuetudinem accommodatum. Quem quidem multo etiam pluris postea, quam decessi,[2] facere cœpi, quod multis rebus expertus sum gratum hominem, meique memorem. Itaque eum Romæ libentissime vidi. Non te

[c] *Adductus justitiæ tuæ fama.*
[d] *In colligendis pecuniæ reliquiis.*
[e] *Tres jurisdictiones.*

igitur omni Dresd. 3. *A te omni v.* Statim, *majore cum labore* in eodem cod. Tum, *et calamitosum* conj. Lamb.—4 Ita Hitt. Pall. 1. 6. Victor. *Nunc quando* P ψ, et vulgg. ante Græv. *quo v.* Statim, *portum sibi tutissimum* codd. Græv. —5 Ita Ernesti e quibusdam codd. Grævii: *reliquiis* Dresd. 1. 2. Lips. et edd. fere omnes, etiam Benedict. *in reliquiis negotiationis veteris* vet. cod. Græv. Mox, *et in ceteris rebus* conj. Lamb. *regas* ψ.

EPIST. LXVII. 1 *Ex provincia Ciliciensi* F. Statim, *treis diœceses* vet. cod. Græv. *attributas esse* Lips. et Dresd. 4. *fuisse* plane deest in Ascens. 1. Tum, *Artemone filio* codex unus Oxon. *tum hospitem* P et edd. vett. *vementer* vet. cod. Græv. *vehementer* deest in F.—2 Cod. ψ *pluris quam decessi.* Actutum,

NOTÆ

[d] *Collegæ*] Cæsaris, cujus fuerat in secundo consulatu collega.

[e] *Provinciam*] Asiam, cujus proconsul Servilius: licet enim Asia provincia esset prætoria, qui tamen huic præerant, proconsules aliquando dicebantur.

[f] *In reliquis*] Quæ Cæcinæ debebantur ex negotiatione, quam in Asia quondam exercuerat. Vide Epist. octavam libri sexti.

[g] *Asiaticas*] Cibyraticam, Synnadensem, et Apamensem; quare pars Asiæ ad Ciceronis imperium pertinebat.

enim fugit,[3] qui plurimis in ista provincia benigne fecisti, quam[h] multi[f] grati reperiantur. Hæc propterea[4] scripsi, ut et me non sine causa laborare intelligeres, et tu ipse eum dignum hospitio tuo judicares. Feceris igitur mihi gratissimum, si ei declararis,[5] quanti me facias: id est, si receperis eum in fidem tuam, et quibuscumque rebus honeste ac sine molestia tua poteris, adjuveris. Hoc mihi erit vehementer gratum:[6] idque ut facias, te etiam atque etiam rogo.

(68.) M. T. C. P. SERVILIO ISAURICO, PROC. COLLEGÆ,[a] S. D.*

ARGUMENTUM.—Lætatur felici navigationis cursu: ut de provinciæ statu scribat, petit: officia sua promittit. Cæsare III, et Lepido coss.

GRATÆ mihi vehementer[7] tuæ literæ fuerunt; ex quibus cognovi cursus navigationum tuarum. Significabas enim memoriam tuam nostræ necessitudinis,[a] qua mihi nihil poterat esse jucundius. Quod reliquum est, multo etiam erit gratius,[8] si ad me de republica, id est, de statu provinciæ, de institutis tuis familiariter scribes. Quæ quanquam ex multis, pro tua claritate,[b] audiam, tamen libentissime ex tuis literis cognoscam. Ego ad te, de reipublicæ summa[9] quid sentiam, non sæpe scribam, propter periculum[b] ejusmodi literarum. Quid agatur autem,[10] scribam sæpius.

f Quam pauci.
a Te nostræ amicitiæ meminisse. *b Pro nominis tui splendore.*

facere cœpi desunt in F.—3 *Non enim te fugit* Hitt. et al. ap. Græv. Statim, *in te ista ψ. quam non multi* Hitt.—4 *Hæc præterea* codex unus Oxon. *scripsi ut me* edd. vett. *et ut tu ipse* F P.—5 P *v declarabis.*—6 *Hoc mihi erit gratum, vehementer gratum* Dresd. 1. *Vale* addunt P *v.*

EPIST. LXVIII. * Epist. 68. 69. 70. 71. 72. sunt in cod. Lips. omissæ, et Epistolam 67. statim excipit Epistola 73.—7 *Gratæ vehementer mihi* Dresd. 1. 2. 5. Pal. 1. Statim, *cognovi cursum* Dresd. 3. 4.—8 Hitt. *multo erit gratius.* Mox, *id est* omittunt vet. cod. Græv. Amstel. Stewech. *et de statu* habent Mentel. Græv. 2. Dresd. 3. 4. 5. Ascens. 1. omissis *id est.* Dresd. 3. 4. *et de institutis,* probante Benedict. *de institutis suis v.*—9 Hitt. Pal. 6. Dresd. 3. 4. *v,* Lamb. Bengel. *de republica summa.*—10 *Quid autem agatur* Hitt. *Quid*

NOTÆ

h *Quam*] Dictum ironice.
a *Collegæ*] In auguratu.
b *Propter periculum*] Ne scilicet in Cæsaris manus tuæ literæ deveniant.

Sperare tamen videor, Cæsari, collegæ nostro,[c] fore curæ, et esse, ut habeamus aliquam rempublicam; cujus consiliis [5] magni referebat te interesse. Sed, si tibi utilius est,[6] id est, gloriosius, Asiæ præesse, et istam partem reipublicæ male affectam tueri; mihi quoque idem, quod tibi et laudi tuæ profuturum est, optatius debet esse. Ego, quæ ad [7] tuam dignitatem pertinere arbitrabor, summo studio diligentiaque curabo: inprimisque tuebor omni observantia clarissimum virum, patrem tuum;[d] quod, et pro vetustate necessitudinis, et pro beneficiis vestris,[8] et pro dignitate ipsius, facere debeo.

(69.) M. T. C. P. SERVILIO, COLLEGÆ, S. D.

ARGUMENTUM.—C. Curtium, ut in fidem recipiatur, commendat.

C. CURTIUS MITHRES [1] est ille quidem, ut scis, libertus Postumi, familiarissimi mei: sed me colit et observat æque, atque illum ipsum patronum suum. Apud eum ego sic Ephesi fui, quotiescumque fui, tanquam domi meæ. [*p.* 229.] Multaque acciderunt, in quibus et benevolentiam ejus erga me experirer [2] et fidem. Itaque si quid aut mihi, aut meorum cuipiam in Asia opus est,[3] ad hunc scribere consuevi; hujus cum opera et fide, tum domo et re uti, tanquam mea. Hæc ad te eo pluribus scripsi, ut intelligeres, me non vulgariter,[4] nec ambitiose,[c] sed ut pro homine in-

[c] *Nec ut ostendam me plurimum apud te posse.*

agatur, omisso *autem*, al. ap. Græv. *sæpius scribam* Hitt.—5 Ita Dresd. 4. 5. Torg. *cujus consilii* Dresd. 1. 2. Ascens. 1. *cujus consilius* Dresd. 3. *magni ferebat* codex unus Oxon.—6 *Sed tibi melius est* idem cod.—7 *Ego ea quæ* P. *Ego æque v.*—8 Idem cod. *beneficiis nostris.* Denique, *facere tentabo* Dresd. 3.

EPIST. LXIX. 1 *C. Curtius mihi hæres* P. *C. Curtius Mitheos v. C. Curcius Michares* Mentel. *Gaius Curtius Mithres* Pal. 1. Amstel. Statim, *quidem ut scis* desunt in Hitt. Tum, *atque patronum ipsum suum* in eodem cod. *atque ipsum illum patronum suum* Pal. 1. *ipsum* deest in ψ.—2 Hitt. *erga me expertus sum.*—3 Al. ap. Græv. *cuipiam opus est in Asia.*—4 Ita Dresd. 3. 5. Ascens. 1.

NOTÆ

[c] *Cæsari collegæ nostro*] In auguratu. Potuit enim Cæsar et pontifex maximus, et augur fuisse, cum idem Fabio Maximo contigerit.

[d] *Patrem tuum*] Qui devictis Isauris, Isaurici nomen erat adeptus.

timo, ac mihi pernecessario, scribere. Peto igitur a te, ut in ea controversia, quam habet de fundo cum quodam Colophonio,[e] et in ceteris rebus, quantum fides tua patietur, quantumque tuo commodo poteris, tantum et honoris[5] mei causa commodes:[d] etsi, ut ejus modestiam cognovi, gravis tibi nulla in re erit. Si et mea commendatione et sua probitate assecutus erit,[6] uti de se bene existimes; omnia se adeptum arbitrabitur. Ut igitur eum recipias in fidem,[7] habeasque in numero tuorum, te vehementer etiam atque etiam rogo. Ego, quæ te velle, quæque ad te pertinere arbitrabor, omnia studiose diligenterque curabo.

(70.) M. T. C. P. SERVILIO, COLLEGÆ,[1] S. P. D.

ARGUMENTUM.—Balbi libertum Menandrum commendat.

QUIA non est obscura tua in me benevolentia, sic fit, ut multi per me tibi velint commendari. Ego autem tribuo nonnunquam in vulgus; sed plerumque necessariis in hoc tempore:[e] [2] nam cum T. Ampio[3] Balbo mihi summa familiaritas necessitudoque est. Ejus libertum, T. Ampium Menandrum, hominem frugi[f] et modestum, et patrono et nobis vehementer probatum, tibi commendo majorem in modum. Vehementer mihi[4] gratum feceris, si, quibus-

[d] *Mea causa ei inservias.*

[e] *Vulgares ego nonnunquam homines, et alienos commendo, sæpius tamen amicos, &c.*

me non vulgare Dresd. 1. 2. 4. Torg. Pall. 1. 6. Hitt. Stewech. Victor. *me non vulgare hac ambitiose* conj. Benedict. Mox, *sed pro homine* Stewech.—5 Dresd. 3. Manut. Lamb. Bengel. *tantum ei honoris.*—6 Dresd. 3. *id assecutus erit.* Deinde, *se adeptum arbitratur* Hitt. *se ademtum arbitrabitur* Pal. 1.—7 Lamb. conj. *in fidem tuam.*

EPIST. LXX. 1 *Publio Servilio Sulpitio Collegæ* Amstel. et edd. vett. *Servilio Sulpitio Collegæ* Dresd. 1. 2. 4.—2 Ita Pall. 1. 6. Stewech. Hitt. Amstel. Victor. *ut in hoc tempore* vet. cod. Græv. *ut hoc tempore* edd. vett.—3 *T. Appio* v ψ, et edd. vett.—4 *Vehementer igitur mihi* Dresd. 3. Mox, *quibuscum-*

NOTÆ

[e] *Colophonio*] A Colophone urbe Ioniæ, in Asia Minori. Civitatis hujusce equitatus tanta olim in fama fuit, ut ubicumque bella componi non poterant, Colophonii equitatus auxilio dirimerentur. Homerum quoque Colophonii suum esse dicebant.

[f] *Hominem frugi*] Laus servis potissimum, libertisque tribui solita.

cumque rebus sine tua molestia poteris, ei commodaris. Quod ut facias, te vehementer etiam atque etiam rogo.[9] Vale.

(71.) M. T. C. P. SERVILIO,[1] COLLEGÆ, S. D.

ARGUMENTUM.—Commendat T. Agusium, veterem amicum.

MULTOS tibi commendem necesse est, quando[2] omnibus nota nostra necessitudo est, tuaque erga me benevolentia. Sed tamen etsi omnium causa,[3] quos commendo, velle debeo; tamen cum omnibus non eadem mihi causa est. T. Agusius,[4] et comes meus fuit illo miserrimo tempore,[f] et omnium itinerum, navigationum, laborum, periculorum meorum socius: neque hoc tempore discessisset a me, nisi ego ei permisissem. Quare sic tibi eum commendo,[5] ut unum de meis domesticis et maxime necessariis. Pergratum mihi feceris, si eum ita tractaris, ut intelligat, hanc commendationem sibi magno usu[6] atque adjumento fuisse.

(72.) M. T. C. P. SERVILIO, COLLEGÆ, S. D.

ARGUMENTUM.—Cærelliæ negotia et procuratores commendat.

CÆRELLIÆ,[7 g] necessariæ meæ, rem, nomina,[g h] possessio-

f Exilii mei tempore. *g Debitum mihi pecuniam.*

que in rebus F.—9 *Quod ut f. te v. e. a. e. rogo* desunt in ψ. *te* omittunt edd. vett. *Vale* omittunt Dresd. 1. 2. *v.*

EPIST. LXXI. 1 *P. Sulpicio* codex unus Oxon.—2 Ita Amstel. et al. vett. *cum* Victor. *quoniam* Hitt. Statim, *tuaque in me* F, et edd. vett.—3 Ita Pali. 1. 6. Hitt. tres Gulielm. Amstel. *Sed tametsi omnium causa* vulgg. ante Græv. *omnium causam* Dresd. 3.—4 Ita Dresd. 1. 2. *T. Augusius* tres codd. Græv. Dresd. 4. 5. Torg. F *v* ψ, Ascens. 1. *L. Augusius* Hitt. Statim, *fuit in illo* F. Deinde, *periculorum meorum* desunt in ψ.—5 Ita codd. Victorii et vet. cod. Græv. *sic eum tibi commendo* edd. vett.—6 Hitt. et Pal. 6. *sibi usu magno;* Vat. Victor. quinque Dresd. Torg. Lips. F ψ *sibi magno usui.*

EPIST. LXXII. 7 *Caie Arelie* F. *Serehliæ* P. Mox, *tuque modo pro, &c. v.*

NOTÆ

g *Cærelliæ*] Hanc Ciceronis amicam extitisse, et cum ea lascivam habuisse consuetudinem nonnulli crediderunt. Philosophiæ certe fuit dedita, Ciceronisque libros et legebat libenter, et scribebat.

h *Nomina*] Debitores, vel creditarum pecuniarum syngraphas generatim, atque universe debitam pecuniam.

nes Asiaticas commendavi tibi præsens in hortis tuis, quam potui diligentissime: tuque mihi, pro tua consuetudine, proque tuis in me perpetuis maximisque officiis, omnia te facturum, liberalissime recepisti. Meminisse te id[2] spero: scio enim solere. Sed tamen Cærelliæ procuratores scripserunt, te propter magnitudinem provinciæ multitudinemque negotiorum etiam atque etiam esse commonefaciendum. Peto igitur, ut memineris, te omnia, quæ tua fides pateretur,[3] mihi cumulate recepisse.[h] Equidem existimo, habere te[4] magnam facultatem [*p.* 230.] (sed hoc est tui consilii et judicii) ex eo senatusconsulto,[i] quod in hæredes C. Vennonii factum est, Cærelliæ commodandi: id senatusconsultum[5] tu interpretabere[i] pro tua sapientia. Scio enim, ejus ordinis auctoritatem semper apud te magni fuisse. Quod reliquum est, sic velim existimes, quibuscumque rebus Cærelliæ benigne feceris,[6] mihi te gratissimum esse facturum.

(73.) M. T. C. Q. PHILIPPO,[a] PROCOS.[b] S. D.

Argumentum.—Salvum ex provincia revertisse gratulatur: Egnatii et Oppii causa gratias agit; et ut Antipatri filios sibi condonet, rogat. Anno incerto.

Gratulor tibi, quod ex provincia salvum te ad tuos

[h] *Te mihi promisisse omnia, quæ secundum fidei leges et justitiæ facere posses.*
[i] *Vi illius senatusconsulti.*

pro tuis in me edd. vett. Deinde, *omnia te esse facturum* Hitt.—2 *Meminisse id te* Hitt. *Meminisse te id s. s. e. solere. Sed tamen* desunt in F. *Carelliæ procuratores* in eodem cod.—3 F *patietur.*—4 Edd. vett. *te habere.* Statim, *sed hæc tui est* Dresd. 1. 2. 3. ψ. Tum, *in hæredes Vennonii* Hitt. *in hæredes C. Venonii* Pal. 1. Mentel. ψ. *in hæredes C. Unonii* Amstel. *in hæredes C. Venovii* Vat. *in hæredes Caii Venonii* Græv. 2. *in hæredes C. Nennonii* F. Deinde, *Carelliæ commendandi* F ψ. *Cerelliæ commendandi* Dresd. 1. 2. 3. 5. Torg. Lips. *Cerelliæ com'dandi* Dresd. 4. *Cærelliæ commendare v.*—5 Hitt. *idem senatusconsultum.* Actutum *tu impetrabere* Pal. 1. *v.*—6 *Cerelliæ bene feceris* Hitt. Pal. 6. *Carelliæ bene feceris* F.

NOTÆ

[i] *Interpretabere*] Judicabis, an vi hujus senatusconsulti possis Cærelliæ rationibus inservire, eique benigne facere.

[a] *Q. Philippo*] E gente Marcia, quem initio belli civilis tribunatum exercuisse probabile est.

[b] *Procos.*] Huic loco subesse vi-

recepisti,[a1] incolumi fama et republica.[c] Quodsi Romæ te vidissem, coram gratias egissem,[2] quod tibi L. Egnatius, familiarissimus meus, absens, L. Oppius, præsens, curæ fuisset. Cum Antipatro[3] Derbete mihi non solum hospitium, verum etiam summa familiaritas intercedit. Ei te vehementer succensuisse audivi, et moleste tuli. De re nihil possum judicare, nisi illud mihi certe[4] persuadeo, te, talem virum, nihil temere fecisse.[b] A te autem, pro vetere nostra necessitudine, etiam atque etiam peto, ut ejus filios, qui in tua potestate sunt, mihi potissimum condones;[c] nisi quid existimas in ea re violari existimationem tuam. Quod ego si arbitrarer, nunquam te rogarem: mihique tua fama multo antiquior esset, quam illa necessitudo est. Sed mihi ita persuadeo,[5] (potest fieri, ut fallar) eam rem laudi tibi potius, quam vituperationi fore. Quid fieri possit,[6] et quid mea causa facere possis,[d] (nam, quin velis, non dubito) velim, si tibi grave non erit, certiorem me facias.

(74.) M. T. C. Q. PHILIPPO, PROCOS. S. D.

ARGUMENTUM.—Oppium præsentem et Egnatii, absentis negotia commendat.

ETSI non dubito, pro tua in me observantia,[1] proque

[a] *Quod ex Asia Romam salvus redieris.* [b] *Non sine causa succensuisse.*
[c] *Ut ejus filios mea potissimum causa incolumes dimittas.*

EPIST. LXXIII. 1 F *ad nos recepisti.*—2 Ita Amstel. Lips. Ascens. al. vett. *Quod si Romæ fuissem, te vidissem, coramque gratias egissem* Dresd. 3. Pal. 6. Hitt. *Quod si Romæ, te vidissem coramque gratias egissem* Dresd. 1. 2. Victor. —3 *Cum Antipatre* ψ.—4 Codd. Victorii, Dresd. quinque, Torg. Lips. F, omittunt *certe.*—5 Codex unus Oxon. *persuadebis.*—6 *Quid fieri posset* Victor. ψ. *Quod si fieri possit* codd. Grævii; *Quid fieri et quid mea, &c.* Gebh. Deinde, pro *quin* quod ex edd. vett. restituit Ernesti, *quid* legitur in Dresd. 3. 4. Torg. Lips. vulgg. *quin* habent etiam Dresd. 1. 2. 5.

EPIST. LXXIV. 1 Torg. cum uno cod. Oxon. *benevolentia,* non improbante

NOTÆ

tium recte suspicatur Manutius: quomodo enim proconsul, qui, deposita provincia et imperio, Romam redierat? Hæc igitur Epist. post sequentem collocanda est.

[c] *Incolumi republica*] Quia civilis nondum dissensio exarserat.

[d] *Possis*] Integra existimatione tua.

nostra necessitudine, quin commendationem meam memoria teneas; tamen etiam atque etiam eundem tibi L. Oppium, familiarem meum præsentem, et L. Egnatii, familiarissimi mei, absentis, negotia commendo. Tanta mihi [2] cum eo necessitudo est, familiaritasque, ut, si mea res esset, non magis laborarem. Quapropter gratissimum mihi feceris, si curaris, ut is intelligat, me a te tantum amari, quantum ipse existimo.[d] Hoc mihi gratius facere nihil potes. Idque ut facias, te vehementer rogo.[3]

(75.) M. T. C. T. TITIO, T. F. LEGATO,[e] S. D.[1]

ARGUMENTUM.—Avianum Flaccum commendat Titio legato, in causa frumentaria.

ETSI non dubito, quin apud te mea commendatio [2] prima satis valeat, tamen obsequor homini familiarissimo, C. Aviano Flacco, cujus causa omnia tum cupio, tum, mehercule, etiam debeo.[e] De quo et præsens tecum egi diligenter, cum tu mihi humanissime respondisti; et scripsi ad te accurate antea: sed putat interesse sua, me ad te quam sæpissime scribere. Quare velim mihi ignoscas, si illius voluntati obtemperans, minus videbor [3] meminisse constantiæ tuæ. A te idem illud [4] peto, ut de loco,[f] quo deportet frumentum, et de tempore, Aviano commodes: quorum utrumque per eundem me obtinuit triennium,[f g] dum Pom-

[d] *Quantum ego ipse existimo me a te amari.*
[e] *Cujas ego commodis et utilitati servire semper et cupio, et debeo.*
[f] *Hæc duo, commendante me, per tres annos jam ante obtinuit.*

Benedict.—2 *Tanta enim mihi* Hitt.—3 *Vale* subjiciunt P *v.*

EPIST. LXXV. 1 *M. T. C. Q. Philippo Proc. S. D.* P.—2 Pal. 1. *mea observantia commendatio.* Statim, *satis valet v.* Tum, *C. Avianio Flacco* Pall. 1. 6. Victor. *cum capio, tum, &c.* Hitt. Pal. 6. Victor. *mehercule etiam doleo* ψ. —3 Codex unus Oxon. *nimis videbor.*—4 *Ac te eidem illud v. A te illud idem* vet. cod. Græv. Statim, *de loco quoque deportet* Pal. 6. *de loco quod deportet* Dresd. 1. 2. 4. 5. *de loco quid deportet* al. ap. Græv. *Aviniano commodes* Pal. 6.

NOTÆ

[e] *Legato*] Annonæ præposito.

[f] *De loco*] Duo hæc petierat Avianus: commodum locum, quo frumentum deportaret; temporisque tantum, quantum satis erat ad rem illam conficiendam.

[g] *Triennium*] Istuc ad Avianum refer, cui id spatii impetravit Tullius;

peius isti negotio[g] præfuit. Summa est, in quo mihi gratissimum facere possis, si curaris, ut Avianus,[h] quando[5] se a me amari putat, me a te amari sciat. Erit id mihi pergratum. Vale.[6]

(76.) M. T. C. QUATUORVIRIS,[h] ET DECURIONIBUS, S. D.

ARGUMENTUM.—Petit C. Valgio emtæ possessionis in agro Fregellano immunitatem.

[*p.* 231.] TANTÆ mihi cum Q. Hippio causæ necessitudinis sunt, ut nihil possit[1] esse conjunctius, quam nos inter nos sumus. Quod nisi ita esset, uterer mea consuetudine, ut vobis nulla in re molestus essem. Etenim vos mihi optimi testes estis, cum mihi[2] persuasum esset, nihil esse, quod a vobis impetrare non possem, nunquam me tamen gravem vobis esse voluisse. Vehementer igitur vos etiam atque etiam rogo, ut honoris mei causa liberalissime[3] C. Valgium Hippianum[i] tractetis, remque cum eo conficiatis, ut, quam possessionem habet in agro Fregellano,[k] a vobis emtam, eam liberam et immunem habere possit. Id si

[g] *Rei frumentariæ.*
[h] *Nihil est in quo mihi gratius facere possis, quam si curaris, ut Avianus, &c.*

—5 Ita Torg. et edd. vett. *cum* Dresd. 1. 3. 4. Victor. Hitt. Pal. 6. Pro *putat*, Torg. P *putet*.—6 *Vale* omittunt Dresd. 1. 2. P *v.*

EPIST. LXXVI. 1 Codex unus Oxon. *ut nihil mihi possit*.—2 Idem codex *quasi mihi*. Mox, *nunquam me tam gravem* Stewech. *vobis* deest in ψ.—3 Hitt. *causa quam liberalissime*. Actutum, *C. Valigium* duo codd. Gulielm. Torg. *v.* ψ. *C. Vallium* Hitt. Pal. 6. *C. Valignium* duo alii codd. Gulielm. Amstel. Mentel. Græv. 2. Dresd. 1. 5. *C. Valignum* Pal. 1. Dresd. 2. *C. Valligium* Dresd. 4. *C. Valigerium* Dresd. 3. *C. Valgienium* Ascens. 1. Paulo post, *a nobis emtam* codex unus Oxon.

NOTÆ

non ad Pompeium, qui rei frumentariæ totos quinque annos præfuit.

[h] *Quatuorviris*] Magistratus a numero sic dicti: præerant autem coloniis et municipiis, ut Romæ consules, quanquam duumviri colonias vulgo regerent. De decurionibus vide Epist. VI. 19.

[i] *C. Valgium Hippianum*] Is erat Hippii filius, sed adoptatus a Valgio, a quo nomen et prænomen desumsit, vetere nomine deducto, ut adoptivorum mos erat.

[k] *Fregellano*] Fregellæ, Volscorum civitas olim nobilis, ad Lirim fluvium, qui nunc dicitur *il Garigliano*, cum a Romanis defecisset, diruta est. Quidam existimant ex Fregellarum reliquiis constructum fuisse oppidulum, cui nomen *Caperano*.

a vobis impetraro, summo me beneficio vestro affectum arbitrabor.

(77.) M. T. C. P. SULPICIO,[a] IMP. S. D.

ARGUMENTUM.—Officio suo in supplicatione decernenda narrato, commendat M. Bolanum; et ut servum fugitivum restitui curet, amanter rogat.

CUM his temporibus non sane in senatum ventitarem; tamen, ut tuas literas legi, non existimavi, me, salvo jure nostræ veteris amicitiæ, multorumque inter nos[1] officiorum, facere posse, ut honori tuo deessem. Itaque affui, supplicationemque tibi libenter decrevi:[2] nec reliquo tempore ullo, aut rei, aut existimationi, aut dignitati tuæ deero. Atque, hoc ut tui[3] necessarii sciant, hoc me animo erga te esse, velim facias eos per literas certiores, ut, si quid tibi opus sit, ne dubitent mihi jure suo denuntiare. M. Bolanum,[4] virum bonum et fortem, et omnibus rebus ornatum, meumque veterem amicum, tibi magnopere commendo. Pergratum mihi feceris, si curaris, ut is intelligat, hanc commendationem sibi magno adjumento fuisse. Ipsumque virum[5] optimum gratissimumque cognosces. Promitto tibi, te ex ejus amicitia[6] magnam voluptatem esse capturum. Præterea a te peto in majorem modum,[7] pro nostra amicitia, et pro tuo perpetuo in me studio, ut in hac re etiam elabores. Dionysius,[8] servus meus, qui meam bibliothecen

EPIST. LXXVII. 1 Cod. ψ *multorumque in nos.*—2 Vet. cod. Græv. *libenter tibi decrevi.* Actutum, *nec aliquo tempore v.*—3 Pal. 1. Victor. edd. vett. *ut hoc tui.*—4 Ita Torg. Dresd. 4. 5. codd. Victorii et Græv. *M. Bellanum* Amstel. *M. Bollanum* Dresd. 1. 2. 5. Ascens. 1. Ab his verbis incipit nova Epistola in Torg. et *v.*—5 *Ipsum virum* conj. Lamb.—6 P *ex tua amicitia.*—7 Ita Amstel. Pal. 6. Victor. *majorem in modum* edd. vett.—8 Hic quoque

NOTÆ

[a] *Sulpicio*] Nonnullis hæc interpretibus scriptura non probatur, legendumque censent *Vatinio*, ob Epistolas quas ad Ciceronem ab Illyrico scripsit, in quibus et de supplicatione, et de Dionysio non panca. Vide nonam et decimam epist. lib. v. Fusius hac de re Manutius. Hæc ceteroqui controversia non admodum gravis momenti videtur esse; existimo tamen legendum esse *P. Sulpicio*, consensu maxime veterum codicum adductus, in quibus scriptura nihil omnino variat.

multorum nummorum[a] tractavit, cum multos libros surripuisset, nec se impune laturum putaret, aufugit. Is est in provincia tua.[b] Eum et M. Bolanus, familiaris meus,[9] et multi alii Naronæ[c] viderunt: sed cum se a me manumissum esse diceret, crediderunt. Hunc tu si mihi restituendum curaris, non possum dicere, quam mihi gratum futurum sit. Res ipsa parva, sed animi mei dolor magnus est. Ubi sit, et quid fieri possit, Bolanus te docebit. Ego si hominem per te recuperaro, summo me a te[10] beneficio affectum arbitrabor.

(78.) M. T. C. ALLIENO,[1d] PROCOS. S. D.

ARGUMENTUM.—Petit, ut Democritum in suam fidem recipiat.

DEMOCRITUS, Sicyonius,[e] non solum hospes meus est, sed etiam (quod non multis contingit,[2] Græcis præsertim) valde familiaris. Est enim in eo summa probitas, summa virtus, summa in hospites[3] liberalitas et observantia: meque præter ceteros et colit,[f] et observat, et diligit. Eum tu non modo suorum civium, verum[4] pæne Achaiæ principem cognosces. Huic ego tantummodo aditum[5] ad tuam

[a] *Magni pretii.*

nova incipit Epistola in Torg. et *v.* Pro *bibliothecen*, quod servant Dresd. 1. 2. Vat. P. *v* ψ, Victor. *bibliothecam* exhibent Dresd. 3. 4. 5. Torg. edd. vett.—9 Quinque Dresd. et Torg. ignorant voc. *meus.* Voc. *familiaris* gloss. videtur Benedicto. *Veronæ* codex unus Oxon. *Narone* Amstel. Pal. 1. Victor. —10 *Summe a te, &c. v.*

EPIST. LXXVIII. 1 *Alieno* codd. Græv. *Procos.* deest in Dresd. 1. 2. 3. 4. Victor. Benedict.—2 Ita Dresd. 1. 2. Torg. *contigit* Dresd. 3. 4. 5. Lips. P *v* ψ.—3 Codex unus Oxon. et Torg. *summa etiam hospites.* Statim, pro *præter ceteros*, quod servant Torg. Dresd. 3. 4. Hitt. Pall. 1. 6. Vat. Amstel. al. ap. Græv. Victor. *præ ceteris* habent Dresd. Ascens. 1. *præ ceteros* Dresd. 1. 2. ψ.—4 Ita Pall. 1. 6. Vat. Victor. *verum etiam* edd. vett.—5 Pal. 6. *aditu.* Mox, *patefacio et innuo* vulgg. ante Gebh.

NOTÆ

[b] *In provincia tua*] In Illyrico, cujus administrationem aliquamdiu cum Vatinio communem habere potuit.

[c] *Naronæ*] Liburniæ oppidum est, a Narone fluvio, cui adjacet, sic appellatum.

[d] *Allieno*] Siciliæ proconsuli, licet consulatum non gesserat. Vide Epist. primam libri primi.

[e] *Sicyonius*] Sicyon, urbs Achaiæ vetustissima, a qua Sicyonii.

[f] *Colit*] Colitur aliquis honore, observatur assiduitate, et officio.

cognitionem patefacio et munio: cognitum, per te ipsum, quæ tua natura est, dignum tua amicitia atque hospitio judicabis. [*p.* 232.] Peto igitur a te, ut, his literis lectis, recipias eum in tuam fidem; polliceare, omnia te facturum mea causa. De reliquo, si (id quod confido) fore dignum eum tua amicitia hospitioque cognoveris; peto, ut eum complectare,[g] diligas, in tuis habeas. Erit id mihi majorem in modum gratum. Vale.

(79.) M. T. C. ALLIENO, PROCOS. S. P. D.

ARGUMENTUM.—Caium et Marcum Avianos, fratres, commendat.

ET te scire arbitror, quanti fecerim C. Avianum[1] Flaccum; et ego ex ipso audieram, optimo et gratissimo homine, quam a te liberaliter esset tractatus. Ejus filios, dignissimos illo patre, meosque necessarios, quos ego unice diligo,[2] commendo tibi sic, ut majore studio nullos commendare possim. C. Avianus in Sicilia est. Marcus est nobiscum. Ut illius dignitatem præsentis ornes, rem utriusque defendas, te rogo. Hoc mihi gratius in ista provincia facere nihil potes. Idque ut facias, te vehementer etiam atque etiam rogo.[3] Vale.

EPIST. LXXIX. 1 *Avianium* Pall. 1. 6. Hitt. Victor. *Avinium* codex unus Oxon. cum Dresd. 1. 2. Mox, *optimo et gravissimo* ψ. Verba, *quam a te l. e. tractatus. E. f. dignissimos* desunt in *v.*—2 Dresd. 5. Ascens. 1. *quos unice diligo.* Statim, *ut a majore v.*—3 *Hoc m. g. in i. p. f. n. p. Idque ut f. te v. e. a. e. rogo* desunt in ψ. *Vale* omittunt Dresd. 1. 2. 3. 5. Torg. P *v.*

NOTÆ

g *Complectare*] Verbi cujuslibet vim singularem nota.

M. TULLII CICERONIS

EPISTOLARUM

LIBER XIV.

AD TERENTIAM UXOREM.

(1.) TULLIUS TERENTIÆ SUÆ, TULLIOLÆ SUÆ, CICERONI SUO, S. D.[1]

ARGUMENTUM.—Ab exule scripta, querula; deinde de spe restitutionis, utcumque exigua; de familia, de pestilentia, Plancii officiis, Pisonis humanitate, et aliis agit.

ET literis[a] multorum, et sermone omnium perfertur[2] ad me, incredibilem tuam virtutem et fortitudinem esse; teque nec animi, nec corporis laboribus defatigari. Me miserum! te, ista virtute, fide, probitate, humanitate, in tantas ærumnas propter me incidisse! Tulliolamque nostram, ex

---

EPIST. I. 1 Ita Vat. Amstel. Hitt. Stewech. Pall. 1. 6. Victor. *Tullius Terentiæ* edd. vett. *M. T. C. Terentiæ, et Tulliæ, et Ciceroni suis* al. ap. Græv.—2 Codex unus Oxon. *profertur.* Statim, *nec animi, neque corporis*

NOTÆ

[a] *Et literis*] Primas quatuor hujus libri epistolas, præpostero ordine collocatas esse, monendus est lector: illas quidem in exilio scripsit, sic tamen, ut, quæ quarta est, primum occupare locum debeat; quæ secunda, secundam retineat sedem; quæ prima, in tertium; quæ tertia, in quartum locum rejiciatur.

quo patre tantas voluptates capiebat,[b] ex eo tantos percipere luctus! Nam quid ego de Cicerone[a] dicam? qui cum primum sapere cœpit,[c] acerbissimos dolores miseriasque percepit. Quæ si, ut tu scribis,[3] fato[b] facta putarem, ferrem paulo facilius: sed omnia sunt mea culpa commissa, qui ab his me amari putabam,[d] qui invidebant; eos non sequebar,[e] qui petebant.[c f] Quodsi nostris consiliis[g] usi essemus,[d] neque apud nos tantum valuisset sermo, aut stultorum amicorum, aut improborum; beatissimi viveremus: nunc, cum sperare[4] nos amici jubent, dabo operam, ne mea valetudo tuo labori desit. Res quanta sit, intelligo; quantoque fuerit facilius manere domi, quam redire. Sed tamen, si omnes[5] tribunos plebis[h] habemus, si Lentulum[i] tam studiosum, quam videtur, si vero etiam Pompeium[k] et Cæsarem; non est desperandum.[l] De familia,[m] quomodo placuisse[6] amicis scribis, faciemus. De loco,[n] nunc

[a] *De filio.* [b] *Diis imperantibus.*
[c] *Qui sincerum mihi consilium dabant.*
[d] *Quodsi fecissem id, quod censebam faciendum esse.*

Dresd. 1. 2. 3. 5. Bengel.—3 *Quæ si tu, ut scribis* Dresd. 1. Torg. Victor. *Quæ si ita ut tu scribis* Dresd. 4. 5. *Quæ ita ut scribis* Ascens. 1. Paulo post, *qui ab iis me, &c.* Dresd. 1. 2. et edd. vett.—4 Ita Dresd. 1. Hitt. Pal. 6. Victor. *quomodo sperare* Dresd. 3. *quoniam sperare* Dresd. 4. *quando sperare* Dresd. 2. 5. Torg. Lips. edd. vett. Mox, *tuo operi labori v.*—5 *Si tamen omnes* in eodem cod. *tribuni plebis* ψ.—6 Dresd. 1. *quoquo modo placuisse.* Tum

NOTÆ

[b] *Capiebat*] Ante patris exilium.

[c] *Sapere cœpit*] Octo duntaxat annos natus erat, cum pater in exilium pulsus est.

[d] *Me amari putabam*] Pompeium et Hortensium designat, quorum adductus consilio, Clodii tribuni plebis furori cessit, ne turbas in urbe moveret.

[e] *Non sequebar*] Et, præter ceteros, Lucullum, qui Ciceroni suaserat, ut vim vi repelleret.

[f] *Qui petebant*] Ut eos sequerer, et Clodio fortiter resisterem.

[g] *Nostris consiliis*] Armis scilicet decertandum prius, quam ex urbe discederem.

[h] *Tribunos plebis*] Designatos.

[i] *Lentulum*] Spintherem, consulem designatum, qui legem ipse de Cicerone revocando comitiis centuriatis tulit.

[k] *Pompeium*] Qui Clodio paulo post infensus, de reditu Ciceronis laboravit.

[l] *Non est desperandum*] De reditu in patriam.

[m] *De familia*] De servis, quos esse dimittendos amici censebant, ne cum aliis bonis publicarentur.

[n] *De loco*] Ubi hucusque fui.

quidem[7] jam abiit pestilentia: sed quamdiu fuit, me non attigit. Plancius,[o] homo officiosissimus, me cupit esse secum: et adhuc retinet. Ego volebam loco magis deserto esse in Epiro,[8] quo neque Hispo[p] veniret, nec milites:[q] sed adhuc Plancius me retinet:[r] sperat posse fieri, ut mecum in Italiam decedat. Quem ego diem si videro, et si in vestrum complexum venero, ac si et vos, et me ipsum recuperaro;[9] satis magnum mihi fructum videbor percepisse, et vestræ pietatis,[s] et meæ. Pisonis[t] humanitas, virtus, amor in omnes nos, tantus est, ut nihil supra possit.[10] Utinam ea res[11] ei voluptati sit![u] gloriæ quidem video fore. De Q. fratre nihil ego te accusavi:[x] sed vos,[e] cum præsertim tam pauci sitis, volui esse[12] quam conjunctissimos. Quibus me voluisti agere gratias,[y] egi, et me a te certiorem factum esse[13] scripsi. [*p.* 233.] Quod ad me, mea Terentia, scribis, te vicum[f] vendituram;[14][z] quid, ob-

[e] *Ad Quintum fratrem quod attinet, non te accusavi: tantum volui vos, &c.*
[f] *Villum.*

faciendum al. ap. Græv.—7 *De loco quidem* vet. cod. Græv. Statim *mecum cupit esse secum* Hitt. *secum me cupit esse* Pal. 6. *me cupit esse tecum* ψ. *et adhuc retinet* desunt in eodem cod.—8 Dresd. 3. *esse in Cypro.* Actutum, *quo nec ipso veniret* Hitt. *quo ne Hypso veniret* duo codd. Gulielm. *quo neque ipso veniret* Amstel. *quo nec ipse veniret* Pal. 6. *quo neque Hypsus veniret* Dresd. 1. *quo neque ipse veniret* Dresd. 2. Pal. 1. ψ. *quo neque Piso veniret* conj. Manut. Tum, *retinet me Plancius* Pal. 6.—9 Ita Dresd. 1. 3. 4. 5. *reciperaro* Dresd. 2. —10 Ita Amstel. Pal. 6. Victor. *possit esse* edd. vett.—11 *Utinam res* Dresd. 1. 2. ψ.—12 Codex unus Oxon. *tam pauci sit voluisse.* Vet. cod. Græv. omittit *tam.*—13 Victor. *certiorem esse factum.*—14 Dresd. 1. 2. Pal. 1. P v ψ

NOTÆ

[o] *Plancius*] In Macedonia quæstor.

[p] *Hispo*] Centurionem hic aliquem significari, credibile est.

[q] *Nec milites*] Quos in Macedoniam Piso consul, idemque Ciceroni infensissimus, præmiserat.

[r] *Me retinet*] Thessalonicæ.

[s] *Pietutis*] Epistola prima primi libri.

[t] *Pisonis*] Pisonis Frugi, qui Ciceronis erat gener.

[u] *Voluptati sit*] Utinam humanitatis erga me suæ meo reditu fructum percipiat: non percepit tamen; prius enim mortuus est, quam Cicero Romam reviseret.

[x] *Te accusavi*] Simultatis nonnihil Terentiam inter, et Quintum, Ciceronis fratrem, extitisse, sat indicat; monuerat uxorem, ut Quintum fratrem in consilium adhiberet, quod forte non fecerat.

[y] *Agere gratias*] Quod de me restituendo laborent, sibique hac in re, operam suam, studiumque ultro deferant.

[z] *Vendituram*] Ut pecuniam in subsidium meum ex eo conficias.

secro te, (me miserum!) quid futurum est? Et, si nos premet eadem fortuna,[g] quid puero misero fiet?[a] Non queo reliqua scribere, tanta vis lacrymarum est; neque te[15] in eundem fletum adducam. Tantum scribo: si erunt in officio amici, pecunia non deerit:[b] si non erunt, tu efficere tua pecunia[h] non poteris. Per fortunas miseras nostras, vide, ne puerum[c] perditum perdamus: cui si[d] aliquid erit, ne egeat, mediocri virtute opus est, et mediocri fortuna, ut cetera[e] consequatur. Fac valeas, et ad me tabellarios mittas, ut sciam, quid agatur, et vos quid agatis.[f] Mihi omnino jam brevis expectatio est.[i] Tulliolæ et Ciceroni salutem dic.[16] Valete. D. a. d. VI Kalendas Decembres, Dyrrachii.[g] Dyrrachium veni, quod et libera[k h] civitas est, et in me officiosa, et proxima Italiæ. Sed si me offendet loci celebritas,[l] alio[i] me conferam, et ad te scribam.[17]

[g] *Et eadem si calamitate diutius premimur.*
[h] *Sublevare me tua pecunia.*
[i] *Spero literas a te me brevi accepturum.*
[k] *Sui juris.*
[l] *Quod si maxima civium frequentia mihi displicet.*

vicum venditurum.—15 Ita quinque Dresd. Torg. Lips. Pal. 1. Victor. Gebh. *ne te* edd. vett.—16 Vet. cod. Græv. *salutem dicito;* al. ap. Græv. *salutem dices.* Dresd. 1. 2. 5. Lips. omittunt *Valete.*—17 Hitt. Stewech. Pal. 6. Amstel. Victor. *conferam, ad te scribam,* omisso *et.*

NOTÆ

[a] *Quid pueromi sero fiet*] Ad egestatis angustias si forte redigatur.

[b] *Pecunia non deerit*] Vel ad parandum reditum, vel ad sublevandam exilii calamitatem.

[c] *Ne puerum*] Ne puerum, mea calamitate jam miserum, rei familiaris jactura funditus perdam.

[d] *Cui si*] Cui si tantum rei familiaris suppetat, quantum opus est ad egestatem amovendam; nihil enim habentibus, etiam virtus maxima vix quicquam prodest. Juv. 'Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat Res angusta domi.'

[e] *Cetera*] Dignitates, magistratus, &c.

[f] *Quid agatis*] Per amicos meos.

[g] *Dyrrachii*] Cum præsentem hanc epistolam Dyrrachio missam esse constet, et nihilominus Thessalonicæ a Plancio se retentum ante dixerit, prima pars Thessalonicæ, posterior vero Dyrrachii scripta est. Epist. ad Att. III. 22.

[h] *Libera*] Romano imperio minus obnoxia, ita ut in ea exules tutius versarentur; in Tullium autem officiosa, quod ab eo semper defensa esset.

[i] *Alio*] In locum, ut antea dixit, desertum, id est, in Epirum. Epist. ad Att. III. 22. et 23.

(2.) TULLIUS TERENTIÆ SUÆ, TULLIOLÆ ET CICERONI SUIS, S. D.[1]

ARGUMENTUM.—Brevitatem literarum excusat: Pisonis generi officia laudat: dolet Terentiæ vicem: rogat ne suam dotem projiciat, et ut valetudini suæ consulat.

NOLI putare, me ad quenquam[2] longiores epistolas scribere, nisi, si quis ad me plura scripsit, cui puto rescribi oportere. Nec enim habeo, quod scribam;[3] nec hoc tempore quicquam difficilius facio.[a] Ad te vero, et ad nostram Tulliolam, non queo sine plurimis lacrymis scribere. Vos enim video esse miserrimas, quas ego beatissimas semper esse volui; idque[4] præstare debui;[b] et, nisi tam timidi fuissemus, præstitissem.[a] Pisonem[c] nostrum merito ejus[b] amo[5] plurimum. Eum, ut potui, per literas cohortatus sum,[d] gratiasque egi, ut debui. In novis[c] tribunis plebis intelligo spem te habere: id erit firmum, si Pompeii voluntas erit:[d 6] sed Crassum[e] tamen metuo. A te quidem omnia fieri fortissime et amantissime video: nec miror: sed mœreo casum ejusmodi, ut tantis tuis miseriis meæ miseriæ subleventur.[7] Nam ad me P. Valerius,

[a] *Et certe effecissem, ut beatissimæ essetis, nisi maluissem Roma discedere, quam armis pugnare.*
[b] *Ob ejus in me merita.* [c] *In designatis.*
[d] *Si Pompeii favor accedat.*

EPIST. II. 1 *Tullius salutem dicit Terentiæ suæ, et Tulliolæ, et Ciceroni suis* Amstel. *Tullius Terentiæ S. et Tulliolæ, et Ciceroni* Hitt. Stewech.—2 Ita codd. Grævii; *ad quendam me* edd. vett. Mox, *nisi si qui* edd. ante Ernesti.—3 Ita Dresd. 1. 2. 5. Lips. Guelf. 2. edd. antiq. *quid scribam* vulgg. ante Ernesti. Statim, *difficilius factu* Pal. 6. *difficilius facto* Hitt.—4 Dresd. 2. omittit *idque*. Pro *fuissemus* Hitt. Pal. 6. habent *essemus*. Actutum, *præstitisses* codex unus Oxon.—5 Stewech. *merito amo*.—6 Lamb. conj. *voluntas accesserit*. Actutum, *sed tamen Crassum metuo* vet. cod. Græv.—7 Ita Dresd. 1. 5. Ascens.

NOTÆ

[a] *Quicquam difficilius facio*] Quod scilicet dolore sim obrutus.

[b] *Idque præstare debui*] Debui vos efficere beatissimas.

[c] *Pisonem*] Tulliolæ virum.

[d] *Cohortatus sum*] Ut meis inservire commodis, ita uti cœpit, pergat.

[e] *Crassum*] Simultates cum eo gesserat.

homo officiosus, scripsit, id quod ego maximo cum fletu legi, quemadmodum a Vestæ[e] [8] ad tabulam Valeriam[f] ducta esses. Hem, mea lux, meum desiderium, unde omnes opem petere[9] solebant! te nunc, mea Terentia, sic vexari, sic jacere in lacrymis et sordibus! idque fieri mea culpa, qui ceteros servavi,[g] ut nos periremus! Quod de domo scribis, hoc est, de area;[h] ego vero tum denique mihi videbor restitutus, si illa nobis erit restituta.[10] Verum hæc non sunt in nostra manu.[f] [11] Illud doleo, quæ impensa facienda est, in ejus partem[i] te miseram[12] et despoliatam venire. Quodsi conficitur negotium,[g] omnia consequemur:[h] sin eadem nos[13] fortuna premet, etiamne reliquias tuas misera projicies?[i] Obsecro te, mea vita,[14] quod ad sumtum attinet, sine alios, qui possunt, si modo volunt, sustinere;

[e] *A Vestæ templo.*
[f] *In nostra potestate.* [g] *Quod si restituor patriæ.*
[h] *Dumna, quæ passi sumus, facile resarciemus.*
[i] *Quodsi semper exulare cogor, noli facultates, quæ tibi supersunt, mea causa alienare.*

1. *sublevantur* Pal. 1. Mentel. Græv. 2. Vat. Amstel. probante Gebhard.—8 Ita Dresd. 4. et edd. antiq. *a Vesta* Dresd. 1. 2. 3. 5. Torg. Lips. Pal. 1. Stewech. Amstel. Victor.—9 Stewech. *petere opem.*—10 Ita codd. Grævii et Victor. *si illa erit nobis restituta* edd. vett. *si villa nobis erit restituta* conj. nescio quis ap. Græv.—11 Hitt. *in manu nostra.*—12 Quinque Dresd. Torg. Lips. Ascens. 1. *in ejus parte miseram.* Actutum, *et spoliatam* Pal. 6. cum codd. Grævii.—13 Stewech. *eadem vos.* Mox, *reliquias tuas miseras projicias* edd. vett. *reliquias tuas miseras projeceras* Amstel. *reliquias tuas miseras projicies* Dresd. 1. 2. 3. 5. Lips. Pall. 1. 6. Ascens. 1.—14 Quinque Dresd. Torg.

NOTÆ

[f] *Ad tabulam Valeriam*] Lex erat a Valerio lata de vendendis proscriptorum exulumque bonis; quam servare coacta est Terentia. Manutius tabulam Valeriam, locum esse dicit in foro, quo tribuni plebis conveniebant: utraque explicatio in eadem verba cadere potest, ut legem ipsam, et locum, ubi affigi consueverat, significet.

[g] *Qui ceteros servavi*] Indignatur hic, nec sine causa, Cicero; nihil, enim intolerabilius, quam perire eorum malitia, quos servaveris.

[h] *De area*] Domum enim funditus everti Clodius jusserat; sed post Ciceronis in patriam reditum, sumtibus publicis est restituta. Area autem proprie dicitur locus vacuus, quasi exaruerit, inquit Festus, nec quicquam possit producere. Varro de Ling. Lat. lib. IV. 'Loca in urbe pura, areæ.'

[i] *In ejus partem*] Quoniam amissis Tullii facultatibus, suas Terentia in viri subsidium impendebat.

et valetudinem istam infirmam,[k] si me amas, noli vexare. Nam mihi ante oculos dies noctesque versaris. Omnes labores te excipere video: timeo, ut[1] sustineas:[k] sed video in te esse omnia.[l] Quare, ut id,[16] quod speras, et quod agis, consequamur, servi valetudini. Ego, ad quos scribam, nescio, nisi ad eos,[17] qui ad me scribunt, aut ad eos, de quibus ad me vos aliquid scribitis. Longius, quoniam ita vobis[18] placet, non discedam: sed velim, quam sæpissime literas mittatis, præsertim, si quid est firmius,[m] quod speremus. [*p.* 234.] Valete, mea desideria, valete. A. d. III Nonas[19] Octobr. Thessalonica.

(3.) TULLIUS TERENT. ET TULL. ET CICERONI SUIS S. D.

ARGUMENTUM.—Sua culpa factum dolet, ut in tantas miserias inciderint. Dein ad capita epistolæ uxoris respondet ita, ut nimium præ se dolorem ferat, eique pæne succumbat.

ACCEPI ab Aristocrito tres epistolas, quas ego lacrymis prope delevi. Conficior enim mœrore,[1] mea Terentia: nec meæ me miseriæ magis excruciant, quam tuæ vestræque. Ego autem hoc miserior sum, quam tu, quæ es miserrima, quod ipsa calamitas communis est utriusque nostrum; sed culpa mea propria est.[2] Meum fuit officium, vel legatione[a]

[k] *Timeo, ne tanto succumbas labori.*
[l] *Quanquam video ex te pendere reditum meum.*
[m] *Si major spes reditus affulgeat.*

Lips. Ascens. 1. *vita mea.* Porro, iidem codd. *et sine alios.*—15 Al. ap. Græv. *timeo ne sustineas.*—16 *Quare et ut id* vet. cod. Græv.—17 Ita Hitt. Peck. Pall. 6. *nisi aut ad eos* edd. vett. Statim, *aliquid vos scribitis* Hitt.—18 Ita Dresd. 1. 2. 5. Lips. *qm ita* Dresd. 4. Hitt. *qn ita* Torg. *cum ita* edd. vett. *literas mittas* Torg.—19 *D. a. d. III Nonas* quinque Dresd. Torg. *Thessalonicæ* Dresd. 2. 3. 5. Torg. Lips. edd. vett. *Thessalonicæ* Amstel.

EPIST. III. 1 *Conficior enim dolore* ψ. Mox, *nec me meæ* al. ap. Græv. *plus excruciant* Pal. 6. *magis* deest in ed. Victor.—2 Lamb. conj. *mea proprie est.*

NOTÆ

[k] *Infirmam*] Quæ tamen infirmitas non obstitit, quominus centum, et amplius, annos vixerit.

[1] *Ut*] Pro 'ne non:' sic in Epist. 14. 'Vereor, ut Dolabella ipse satis vobis prodesse possit,' pro, 'vereor, ne non satis prodesse possit.'

[a] *Legatione*] Quam Cæsar, in Gal-

vitare periculum, vel diligentia et copiis resistere,[b] vel cadere fortiter: hoc miserius, turpius, indignius nobis[c] nihil fuit. Quare cum dolore conficior,[3] tum etiam pudore. Pudet enim me uxori meæ optimæ, suavissimis liberis, virtutem[d] et diligentiam non præstitisse.[a] [4] Nam mi ante oculos dies noctesque versatur squalor vester, et mœror, et infirmitas valetudinis tuæ: spes autem salutis pertenuis ostenditur. Inimici sunt multi: invidi pæne omnes. Ejicere nos magnum fuit; excludere facile est. Sed tamen quamdiu vos eritis in spe, non deficiam, ne omnia mea culpa cecidisse videantur.[b] Ut tuto sim, quod laboras, id mihi nunc facillimum est: quem etiam inimici volunt vivere in his tantis[5] miseriis.[c] Ego tamen faciam, quæ præcipis. Amicis, quibus voluisti, egi gratias: et eas literas Dexippo[6][e] dedi: meque, de eorum officio, scripsi, a te certiorem esse factum. Pisonem nostrum mirifico esse studio in nos et officio, et ego perspicio, et omnes prædicant. Dii faxint, ut[d] tali genero mihi præsenti tecum simul et cum liberis nostris frui liceat![f] Nunc spes reliqua est in novis

[a] *Non consuluisse, ut par erat, saluti uxoris optimæ, suavissimorumque liberorum.*

[b] *Non cessabo pro meo reditu laborare, ne mea culpa illum impediisse videar.*

[c] *Mihi nunc facillimum est securam vitam agere, qua de re solicita es; siquidem inimici volunt me vivere in tantis miseriis.*

[d] *Dii faciant, ut, &c.*

—3 Vat. Pal. 6. Dresd. 1. 2. 3. 5. Lips. Torg. *v* ψ, Victor. Ascens. 1. *conficior.*—4 Hitt. *virtutem et indulgentiam præstitisse.*—5 Ita Vat. et Victor. *in tantis* quinque Dresd. *v* ψ, et Ascens. 1.—6 *Desippo* codd. Græv. quinque

NOTÆ

lias proconsul discessurus, ipsi obtulerat: nihil autem erat ad declinandum Clodii furorem, hac legatione commodius; reipublicæ enim causa suscipiebatur, eratque Cæsaris auctoritate munita: eum autem accusare, qui pro reipublicæ negotiis abesset, non licebat. Epist. ad Att. II. 18. 'A Cæsare valde liberaliter invitor in legationem illam, sibi ut sim legatus.'

[b] *Resistere*] Ex Luculli, aliorumque consilio.

[c] *Nobis*] Qui Clodiano furori volentes cessimus.

[d] *Virtutem*] In resistendo.

[e] *Dexippo*] Unus fuit ex Tullii domesticis.

[f] *Frui liceat*] Non licuit; obiit enim Piso ante soceri reditum.

tribunis plebis et in primis quidem diebus.[g] Nam si inveterarit, actum est.[e] Ea re[f] ad te statim[7] Aristocritum misi, ut ad me continuo initia rerum et rationem totius negotii posses scribere: etsi Dexippo quoque ita imperavi, statim ut recurreret; et ad fratrem misi, ut crebro tabellarios mitteret: nam ego eo nomine sum Dyrrachii[h] hoc tempore, ut quam celerrime, quid agatur, audiam: et sum tuto:[8] civitas enim hæc semper[9] a me defensa est. Cum inimici[10] nostri venire dicentur, tum in Epirum ibo. Quod scribis, te, si velim, ad me venturam; ego vero, cum sciam magnam partem istius oneris abs te sustineri, te istic[g] esse volo.[11] Si perficitis quod agitis, me ad vos venire oportet: sin autem, ...[h] [i] sed nihil opus est[12] reliqua scribere. Ex primis, aut summum[13] secundis literis tuis, constituere poterimus, quid nobis faciendum sit. Tu modo ad me velim omnia diligentissime perscribas: etsi magis jam rem,[14] [k] quam literas, debeo expectare. Cura, ut valeas, et ita tibi persuadeas, mihi te carius nihil esse, nec unquam fuisse. Vale, mea Terentia, quam ego videre videor,[l] itaque debilitor[15] lacrymis. Vale.[16] Pridie Kalendas Decembr.

[e] *Nisi enim reditus meus brevi decernatur, de eo desperandum.*
[f] *Ea de causa.* [g] *Romæ.*
[h] *Si autem reditum meum non impetratis.*

Dresd. Lips. *v. Clisippo* ψ.—7 *Ea de re ad te statim* Lips. *statim* deest in Stewech. *ad te* desunt in ψ. Mox, *posset scribere* Hitt. *possetis scribere* Gulielm. Tum, *ita statim ut recurret imperavi* Hitt. et Pal. 6.—8 Ita Vat. Pall. 1. 6. tres Gulielm. Amstel. *et sim tuto* edd. vett.—9 *Civitas enim semper* vulgg. ante Græv.—10 *Sin inimici* codex unus Oxon.—11 Quinque Dresd. et Ascens. 1. *et istic esse volo.*—12 Al. ap. Græv. *nihil est opus.*—13 Hitt. Stewech. Pall. 1. 6. Victor. *at summum;* edd. vett. *aut ad summum;* Amstel. *ut summum.* Voc. *tuis* deest in Hitt.—14 Vet. cod. Græv. omittit *rem.* Pro *expectare,* quod servant Dresd. 4. 5. Lips. *spectare* exhibent Pal. 1. duo Gulielm. Amstel. Dresd. 1. 2. 3.—15 Stewech. *delibitor.*—16 *Vale* omittunt

NOTÆ

[g] *Diebus*] Magistratum inibant tribuni plebis quarto Idus Decemb.

[h] *Dyrrachii*] Quæ civitas Italiæ vicina est.

[i] *Sin autem*] Reticentia est, qualis illa Virgil. 'Quos ego; ... sed motos,' &c.

[k] *Jam rem*] Id est, ipsum reditum, de quo, nisi brevi obtineatur, desperandum est.

[l] *Quam ego videre videor*] Ex affectu scilicet amoris. Sic Virgilius: 'Ab-

(4.) TULLIUS TERENTIÆ ET TULLIOLÆ ET CICERONI SUIS S. P. D.

ARGUMENTUM.—Respondet ad varia capita literarum Terentiæ non solum doleuter, sed etiam molliore, quam virum decebat, animo.

EGO minus sæpe ad vos do literas,[1] quam possum, propterea quod cum omnia mihi tempora sunt misera, tum vero cum aut scribo ad vos, aut vestras lego, conficior lacrymis, sic, ut ferre non possim. Quod utinam minus vitæ cupidi fuissemus![2 a] [*p.* 235.] certe nihil, aut non multum in vita mali vidissemus. Quodsi nos ad aliquam alicujus commodi aliquando recuperandi spem fortuna reservavit; minus est erratum[3] a nobis:[b] sin hæc mala fixa sunt;[a] ego vero te quam primum, mea vita, cupio videre, et in tuo complexu emori; quando neque Dii, quos tu castissime[b] coluisti, neque homines, quibus ego servivi,[c] nobis gratiam retulerunt.[c] Nos Brundisii[4] apud M. Lænium Flaccum dies XIII fuimus, virum optimum; qui periculum fortunarum et

[a] *Quod si exilium meum perpetuum futurum est.* [b] *Religiosissime.*
[c] *Ab inimicorum furore incolumem non servaverunt.*

Dresd. 1. 2. 5. Lips. Ascens. 1. Post *Decembr.* edd. vett. addunt *Dyrrachii.*

EPIST. IV. 1 Dresd. 1. 2. 4. *do ad vos literas;* Dresd. 3. *do literas ad vos.* —2 Quinque Dresd. et Ascens. 1. *cupidus fuissem.*—3 Dresd. 1. 2. *minus nimis est erratum;* unde Benedict. conj. *minus minus est erratum.* Pro *sin* Dresd. 1. 2. 4. 5. Pall. 1. 6. Amstel. Victor. habent *si.* Paulo post, *cum neque Dii* Dresd. 1. 4. *quomodo neque Dii* Dresd. 3. Statim, *quibus ego semper servivi* Dresd. 1. 2. 3. 4. Pal. 1. Amstel. Mentel. *quibus ego servivi semper* Dresd. 5. *quos ego servavi semper* ed. Lips. 1504. Ascens. 1. al. vett.—4 *Nos Brundusii* Dresd. 2. 3. 4. 5. Lips. cum edd. vett. *Lemnium Flaccum* vulgg.

NOTÆ

sens absentem auditque, videtque.' Et Ovidius ad uxorem: 'Te loquor absentem, te vox mea nominat unam.'

[a] *Cupidi fuissemus*] Nec enim eos audivit, qui suaserant, ut Clodianis conatibus acriter obsistendo, vel dignitatem tueretur, vel mortem gloriose occumberet.

[b] *Minus est erratum a nobis*] Inimicorum furori tantisper cedendo.

[c] *Quibus ego servivi* [*quos ego servavi*] Cuncti ferme codices habent *quibus ego servivi*, quæ scriptura magis arridet; Pompeio autem maxime servierat, a quo turpissime tum desertus est.

capitis sui præ mea salute neglexit; neque legis improbissimæ [d] pœna deductus est, quo minus hospitii et amicitiæ jus officiumque præstaret. Huic utinam aliquando gratiam referre possimus! habebimus quidem semper.[d] Brundisio profecti sumus a. d. v Kalendas Maii: [5] per Macedoniam Cyzicum [e] petebamus. O me perditum! O afflictum! quid nunc rogem te, ut venias, mulierem ægram,[e] et corpore et animo confectam? [6] non rogem?[f] sine te igitur sim? Opinor, sic agam: si est spes nostri [g] reditus, eam confirmes, et rem adjuves: [7] sin, ut ego metuo, transactum est,[h] quoquo modo potes, ad me fac venias. Unum hoc scito: si te habebo, non mihi videbor plane perisse.[8] Sed quid de Tulliola mea [9] fiet? jam id vos videte: mihi deest consilium. Sed certe, quoquo modo se res habebit,[10] illius misellæ et matrimonio [f] et famæ serviendum est. Quid? Cicero meus quid aget? Iste vero sit in sinu [11] semper et complexu meo. Non queo plura jam scribere: [12] impedit mœror. Tu quid egeris, nescio: utrum aliquid teneas,[i] an,

[d] *Tanti certe beneficii memoria nunquam excidet.*
[e] *An rogabo te ut venias, te, inquam, mulierem ægram, &c.*
[f] *Certe non rogabo.*
[g] *Ita, opinor, mihi deliberatum est esse sine te, ut si est spes nostri, &c.*
[h] *Quodsi prorsus desperandum.*
[i] *Utrum aliquid de bonis nostris conservaveris.*

ante Græv. Mox, *pro mea salute* Dresd. 1. 3. 4. 5. P *v*, Lips.—5 'Legendum est, invitis libris, ex Bernhardi Rutilii emend. *a. d. II Kal. Mai.*' Benedict. *per M. et Cyricum* Dresd. 1. 2. 3. 4. *v*.—6 Pal. 6. *affectam;* vet. cod. Græv. *et animo et corpore confectam.*—7 Ita Pall. 1. 6. Hitt. Peck. Victor. *et re adjuves* edd. vett.—8 Ita Pall. 1. 6. *periisse* vulgg. ante Græv.—9 *Sed quid Tulliola mea* Stewech. Statim, *mihi est consilium* Dresd. 1. 2. 3. 4. *ψ. mihi non est consilium* Dresd. 5. Lips. Peck. *v*, Ascens. 1.—10 Edd. vett. *res se habebit.*—11 *Quid Cicero meus? quid aget is? Te vero sic in sinu* Dresd. 1. 3. 5. Ascens. 1. *Cicero meus quid agetis. Te vero in sinu* Dresd. 2. *quid agetis. Te vero sic in sinu* Lips. *quid agetis, cui vero sic in sinu* Dresd. 4.—

NOTÆ

[d] *Legis improbissimæ*] Qua Clodius pœnam iis minatus est, qui Ciceronem hospitio exciperent.

[e] *Cyzicum*] Urbem in Propontide, arce, et turribus munitam, primisque olim Asiæ urbibus, tum pulchritudine, tum magnitudine non imparem. Hanc Æmonii populi condiderunt; unde Ovidius: 'Cyzicon, Æmoniæ nobile gentis opus.'

[f] *Et matrimonio*] Erat tum Pisonis uxor; ejus autem et doti, et famæ Cicero, absente se, timebat.

quod metuo, plane sis spoliata. Pisonem, ut scribis, spero fore semper nostrum. De familia liberata,[k] nihil est, quod te moveat. Primum, tuis[g] ita promissum est, te facturam esse, ut[l] quisque esset meritus.[13] Est autem in officio adhuc Orpheus: præterea magnopere nemo. Ceterorum servorum[h] ea causa est, ut, si res a nobis abisset,[14] liberti nostri essent, si obtinere potuissent: sin ad nos pertinerent,[15] servirent, præterquam oppido pauci. Sed hæc minora sunt.[m] Tu quod[16] me hortaris, ut animo sim magno, et spem habeam recuperandæ salutis; id velim sit ejusmodi, ut recte sperare possimus. Nunc, miser,[17] quando tuas jam literas accipiam? quis ad me perferet? quas ego expectassem Brundisii, si esset licitum per nautas, qui tempestatem[n] prætermittere noluerunt. Quod reliquum est, sustenta te, mea Terentia, ut potes: honestissime viximus: floruimus: non vitium nostrum, sed virtus nostra nos afflixit: peccatum est nullum, nisi quod non una animam[18] cum ornamentis amisimus. Sed si hoc fuit liberis nostris gratius, nos vivere; cetera, quanquam ferenda non sunt,[19]

[k] *De servis manumissis.*
[l] *Tuos libertate non donavi; promisi tantum te facturam esse, ut, &c.*
[m] *Minoris sunt momenti.* [n] *Navigandi tempus opportunum.*

12 *Non queo jam plura scribere* edd. vett.—13 Pal. 1. *maritus.*—14 Hæc est emend. Lambini; codd. et edd. plurimæ habent *abesset.*—15 *Sin ad nos pertineret* conj. Gronov. *sin ad vos pertinerent v.*—16 *Sed h. m. scitu. Quod* in eodem cod. Mox, *ut sit ejusmodi* Hitt. *sit hujusmodi* Dresd. 1. 2.—17 *Et nunc miser* Hitt. *Sed nunc miser* conj. Græv. Paulo post, *prætermittere voluerunt* P.—18 Ita Dresd. 2. 4. *non unam animam* Dresd. 1. Ascens. 1. *quod unam animam* Dresd. 3. *quod non vitam una* Dresd. 5.—19 Dresd. 1. 2. 3. 5. *v* ψ, Ascens. 1. *quanquam ferenda sunt;* Dresd. 4. *quæcumque ferenda sunt,* pro-

NOTÆ

[g] *Primum, tuis*] Servorum, quos Terentia dotis nomine habebat, neminem manumisit, neque enim poterat.

[h] *Ceterorum servorum*] Cicero, cum in exilium abiret, veritus, ne servos una cum facultatibus reliquis amitteret, eos in libertatem vindicavit, ea nihilominus lege, ut si, furente Clodio, privandus esset bonis omnibus, ii suo beneficio liberti essent, modo ut manumissionis obtineri posset confirmatio; sin autem per legem Clodiam, Tullio servi non adimerentur, servirent ut antea, præterquam paucissimi, quibus, ob egregiam fidem, sine ulla exceptione libertatem dabat.

feramus. Atque ego, qui te confirmo, ipse me non possum. Clodium Philetærum,[i] quod valetudine oculorum impediebatur, hominem fidelem,[20] remisi. Sallustius[k] officio vincit omnes. Pescennius est perbenevolus nobis; quem semper spero tui fore observantem. Sicca dixerat, se mecum fore: sed Brundisio discessit. Cura, quoad potes,[21] ut valeas: et sic existimes, me vehementius tua miseria, quam mea commoveri. Mea Terentia, fidissima atque optima uxor, et mea carissima filiola, et spes reliqua nostra, Cicero, valete. Pridie Kalendas Maii. Brundisio.

(5.) M. T. C. TERENTIÆ ET TULL. SUIS S. P. D.[1]

ARGUMENTUM.—Reditum ex provincia Cilicia significat: Terentiæ diligentiam in scribendo laudat: quæ fieri velit de Preciana auctione, mandat.

[*p.* 236.] SI tu et Tullia, lux nostra, valetis, ego et suavissimus Cicero[a] valemus. Pridie Idus Octobres Athenas venimus,[a] cum sane adversis ventis usi essemus, tardeque et incommode navigassemus. De nave[2] exeuntibus nobis Acastus[b] cum literis præsto fuit uno et vicesimo die, sane strenue.[b] Accepi tuas literas, quibus intellexi,[3] te vereri, ne superiores mihi redditæ non essent. Omnes sunt redditæ: diligentissimeque a te perscripta sunt omnia: idque mihi gratissimum fuit. Neque sum admiratus,[4] hanc epi-

[a] *Filius noster.* [b] *Sane celeriter.*

bante Benedict.—20 Al. ap. Græv. *fidelem hominem.* Actutum, *Sallustius o. vincit omnes spes. Cennius, &c.* codd. Græv. Pall. 1. 2. Amstel. Dresd. 2. 4. 5. Ascens. 1. *vincet* edd. ante Ernesti.—21 Quinque Dresd. Lips. Pall. 1. 2. Hitt. Stewech. Peck. *quod potes,* uti conj. Gebhard. Statim, *vehementius me* edd. vett.

EPIST. V. 1 *Tullius S. D. Terentiæ suæ* Dresd. 1. 2. 3. 5. Victor. Benedict.—2 Ita Amstel. Pall. 1. 6. Hitt. Stewech. *De navi* edd. vett.—3 Al. ap. Græv. *ex quibus intellexi.* Statim, *mihi* deest in uno cod. Oxon.—4 *Neque enim sum admiratus* Hitt. *Neque sum miratus* al. ap. Græv. Paulo post, *ve-*

NOTÆ

[i] *Clodium Philetærum*] Libertum.

[k] *Sallustius*] Tam bene erga me animatus est, ut sperem illum officiis reliquos amicos meos facile superaturum.

[a] *Athenas venimus*] E Cilicia redeuntes, quam Cicero per annum proconsul administraverat.

[b] *Acastus*] Ciceronis servus.

stolam, quam Acastus attulit, brevem fuisse: jam enim me ipsum expectas, sive nos ipsos, qui quidem quam primum ad vos venire cupimus: etsi in quam rempublicam veniamus, intelligo.[c] Cognovi enim ex multorum [5] amicorum literis, quas attulit Acastus, ad arma rem [c] spectare: ut mihi, cum venero, dissimulare non liceat,[d] quid sentiam.[d] Sed, quando [6] subeunda fortuna est,[e] eo citius dabimus operam, ut veniamus, quo facilius de tota re deliberemus. Tu, velim, quod commodo [7] valetudinis tuæ fiat, quam longissime poteris, obviam nobis properes. De hæreditate Preciana,[e] quæ quidem mihi magno dolori est (valde enim illum amavi); sed [8] hoc velim cures: si auctio ante meum adventum fiet,[f] ut Pomponius, aut, si is minus poterit, Camillus [f] nostrum negotium curet.[g] [g] Nos cum salvi venerimus,[9] reliqua per nos agemus: sin tu jam Roma profecta eris,[h] tamen curabis, ut hoc ita fiat.[i] Nos, si Dii [10] adjuvabunt, circiter Idus Novembres in Italia speramus fore.

[c] *Etsi jam intelligo, quantum impendeat reipublicæ discrimen.*
[d] *De præsenti reipublicæ statu.* [e] *Quando subeunda est alea.*
[f] *Si bona ejus publice vendantur.* Si on fait l'encan.
[g] *Fac, ut res curetur per Pomponium, aut Camillum.*

nire cupiamus Amstel. Pall. 1. 6. Hitt. Stewech. Mentel. Græv. 2. Pro *veniamus*, quod e vet. cod. Grævii recepit Ernesti, plurimi codd. et edd. habent *venimus*. ' Si emendatione opus esset, magis mihi placeret Dresd. 3. Guelf. 1. 2. Mediol. aliarumque nonnullarum edd. lectio, *veniemus*.' Benedict. *veniemus* etiam P *v.*—5 *Cognovi enim multorum* vet. cod. Græv. *ad arma remp.* ψ.—6 Ita Dresd. 2. 5. Lips. *Sed quomodo* Dresd. 3. *Sed cum* codd. Victorii, Pal. 6. Hitt. Dresd. 1. 4.—7 Dresd. 1. 2. 3. 4. Lips. P ψ, ed. Lips. Ascens. 1. *quod cum commodo.*—8 Quinque Dresd. ed. Lips. Ascens. 1. omittunt particulam *sed*. Mox, *ante meum reditum* Lips. *Camillus noster* ψ.—9 *Nos cum venerimus* ψ.—10 Ita Dresd. 3. *Si Dii nos* Dresd. 1. 2. 4. 5. Lips. ed. Lips.

NOTÆ

[c] *Ad arma rem*] Dissidentibus palam Cæsare et Pompeio, civile bellum imminebat.

[d] *Dissimulare non liceat*] Eo quippe res devenerant, ut necesse esset, vel Cæsarem offendere, vel Pompeium.

[e] *De hæreditate Preciana*] Quam Precianus Ciceroni testamento reliquerat.

[f] *Camillus*] Vide Epist. III. 15. et 20.

[g] *Nostrum negotium curet*] Ut pars hæreditatis, quæ mihi obvenit, integra servetur.

[h] *Profecta eris*] Ut obviam mihi venias.

[i] *Ut hoc ita fiat*] Ut hujus rei cura committatur Pomponio, aut Camillo.

Vos, mea suavissima et optatissima Terentia, et Tulliola, si nos amatis, curate ut valeatis.[11] Athenis, a. d. XV Kalendas Novembr.

(6.) M. T. C. TERENTIÆ ET TULLIÆ S. P. D.[1]

ARGUMENTUM.—Excusat infrequentiam literarum: ut satisfiat, cui debebat, monet: gratias agi ab sua Tulliola, non miratur: Pollicem expectat.

NEC sæpe est, cui literas demus; nec rem habemus ullam, quam scribere velimus. Ex tuis literis, quas proxime accepi, cognovi, prædium nullum venire[h] potuisse.[2] Quare videatis velim,[3] quomodo satisfiat ei,[i] cui scitis me satisfieri velle. Quod nostra tibi gratias agit,[k 4] id ego non miror te mereri, ut ea tibi merito tuo gratias agere possit.[l] Pollicem,[k 5] si adhuc non est profectus, quam primum fac extrudas.[1] Cura, ut valeas. Idibus Quintil.

(7.) M. T. C. TERENTIÆ SUÆ ET TULL. S. P. D.[6]

ARGUMENTUM.—Solicitudinem deposuisse significat cum causa illius. Ut forti animo sit, et valetudinem curet, hortatur.

OMNES molestias et solicitudines, quibus et te miserrimam habui,[a 7] (id quod mihi molestissimum est) Tulliolam-

[h] *Vendi.* [i] *Creditori.*
[k] *Quod scribis Tulliolam beneficiorum tuorum memorem esse.*
[l] *Non miror, ea te merita in illam contulisse, propter quæ tibi gratias agere possit.* [a] *Quæ te afflixerunt.*

Ascens. 1.—11 *Vale* addunt Dresd. 1. 2. *Valete* Dresd. 4. *v.*

EPIST. VI. 1 'Omnia eo spectant in hac Epist. ut, si in alienas venisset manus, et auctoris, et horum nomen, quibus scripta esset, lateret.' *Benedict.* Inscriptio est, *Suis S. D.* in codd. Victorii et Amstel. *Suis* tantum in Lips. *M. Cicero S. D. Suis* Dresd. 4. Pall. 1. 6. Hitt.—2 Hitt. *prædium venire potuisse.*—3 Ita Vat. Pall. 1. 6. Amstel. Victor. *videas velim* edd. vett. Statim, *cui scis me* vulgg. ante Græv.—4 Codex unus Oxon. *egit.*—5 Ita codd. Grævii; *Pollucem* edd. vett.

EPIST. VII. 6 *Tullius Terentiæ suæ S.* codd. Dresd. et Benedict. *et Tull.* desunt in codd. quatuor Gulielm. Amstel. Mentel.—7 Victor. *quibus et te*

NOTÆ

[k] *Pollicem*] Servum.
[l] *Extrudas*] Domo, ut ad me quam primum veniat.

que, quæ nobis nostra vita dulcior est, deposui et ejeci. Quid causæ autem fuerit,[b] postridie intellexi, quam a vobis[3] discessi: χολὴν ἄκρατον noctu ejeci:[c] statim ita sum levatus, ut mihi Deus aliquis medicinam fecisse videatur. Cui quidem tu Deo, quemadmodum soles, pie[a] et caste satisfacias,[d4] id est, Apollini[b] et Æsculapio.[c] Navem[5] spero nos valde bonam habere: in eam simulatque conscendi,[d] hæc scripsi. Deinde conscribam ad nostros familiares multas epistolas, quibus te et Tulliolam nostram diligentissime commendabo. Cohortarer vos, quo animo fortiore essetis,[6] nisi vos fortiores cognossem, quam quenquam virum. Et tamen ejusmodi spero negotia esse, ut et vos istic[e] commodissime sperem esse,[7] [*p.* 237.] et me aliquando cum similibus nostri[f e] rempublicam defensurum. Tu primum[8] valetudinem tuam velim cures: deinde, tibi si videbitur, villis iis utere, quæ longissime aberunt a mili-

[b] *Qua de causa mœrorem tantum contraxeram.*
[c] *Bilem meram, molestiæ meæ causam, noctu evomui.*
[d] *Vota solvas.* [e] *Romæ.* [f] *Cum bonis civibus.*

miserrimam habuit; Stewech. *quibus te miserrimam habui.* Mox, *Tulliolam, quæ nobis* Pal. 6. Victor. *Tulliolam quæque nobis* Amstel. *et Tulliolam, quæ nobis* Hitt.—3 Hitt. *quam a nobis.* Actutum, χολὴν ἄκρατον desunt in *v* ψ. Tum, *ut Deus mihi aliquis* Dresd. 1. 2. 4. 5. Stewech. Ascens. 1.—4 Lamb. *satisfacias velim;* al. ap. Græv. *velim facias;* P *satisfacies.*—5 Ita codd. Grævii; *Navim* vulgg. ante Græv. Statim *simulac conscendi* Dresd. 3. 5. Lips. Venet. Ascens. 1. *simulque conscendi* Dresd. 4. *simul conscendi* Mentel.—6 Pal. 1. Victor. *quod animo fortiore essetis;* Amstel. *et quod animo fortissimo essetis;* superscriptum erat, *quod animo fortiores essetis;* et sic Mentel. Græv. 2. quinque Dresd. Lips. *v* ψ, ed. Lips. Ascens. 1. *nisi v. f. cognoscerem* quinque Dresd. Pal. 6. *v* ψ, Victor. Ascens. 1.—7 Vet. cod. Græv. *sperem fore.* Deinde, *remp. defensuros* Hitt. Pall. 1. 6. Vat. Dresd. 1. 2. Victor. sed Amstel. Mentel. Græv. 2. stant pro vulgg.—8 *Ut primum* quinque Dresd. P ψ. *villis iis utare* edd. vett. *illis utere v. quem longissime* Dresd. 3. *quæ quam lon-*

NOTÆ

[a] *Pie*] Pia mente, casto corpore, ut explicat Manutius.

[b] *Apollini*] Quem morborum curationi præesse veteres opinati sunt.

[c] *Æsculapio*] Æsculapius, Apollinis filius, medicinæ auctor, idem ac præses habitus, cui vota pro recuperanda salute nuncupare solenne erat. Multa de illo poëtæ fabulantur.

[d] *Conscendi*] Navigaturus in Græciam, quo Pompeius, relicta Græcia, se contulerat.

[e] *Similibus nostri*] Libertatis nimirum, ac patriæ defensores.

tibus.[f] Fundo Arpinati bene poteris uti[9] cum familia urbana,[g] si annona carior fuerit.[g] Cicero[h] bellissimus tibi salutem plurimam dicit: etiam atque etiam vale. D. III Idus Jun.[10]

(8.) M. T. C. TERENTIÆ S. P. D.

ARGUMENTUM.—Hortatur, ut valetudinem curet, et si quid novi, pergat scribere. Ante Pharsalicam pugnam.

SI vales, bene est: ego valeo.[1] Valetudinem tuam velim cures diligentissime. Nam mihi et scriptum et nuntiatum est, te in febrim subito incidisse. Quod celeriter me fecisti de Cæsaris literis[h] certiorem,[2] fecisti mihi gratum. Item posthac, si quid opus erit,[3] si quid acciderit novi, facies ut sciam. Cura, ut valeas. Vale.[4] D. IV Nonas Jun.

(9.) M. T. C. TERENTIÆ S. P. D.

ARGUMENTUM.—Significat dolorem suum ex Dolabellæ generi et Tulliæ valetudine. Post pugnam Pharsalicam.

AD ceteras meas miserias accessit dolor e Dolabellæ valetudine, et Tulliæ.[5] Omnino, de omnibus rebus, nec quid consilii capiam, nec quid faciam, scio. Tu velim tuam et Tulliæ valetudinem cures. Vale.

[g] *Si frumentum Romæ carius vendatur.*
[h] *De literis, quas ad me scripsit Cæsar.*

gissime conj. Benedict.—9 Hitt. *uti bene poteris;* Pal. 6. *uti poteris,* omisso *bene.*—10 *D. VII Idus Junii* Hitt. Dresd. 1. 2. 4. ed. Manut.

EPIST. VIII. 1 Ita Dresd. 1. 3. 4. Pall. 1. 6. Amstel. Hitt. *ego quidem valeo* Dresd. 5. ed. Lips. Ascens. 1. *ego* deest in Dresd. 2.—2 Vet. cod. Grævii *de literis Cæsaris certiorem; v* omittit *de Cæsaris.*—3 Lips. omittit *si quid opus erit.*—4 *Vale* deest in uno cod. Oxon.

EPIST. IX. 5 Græv. emend. *dolor et e D. v. et e Tulliæ;* Dresd. quinque, Pal. 1. Amstel. Stewech. Mentel. Græv. 2. cum aliis plurimis utroque loco omittunt particulam *e;* Pal. 6. et Hitt. habent *dolor et de D. v. et de Tulliæ;* ed. Lips. 1504. Venet. et Mediol. *dolor ex Dol. &c. v ψ e Tulliæ.*

NOTÆ

[f] *A militibus*] Ut eorum injurias vites.

[g] *Cum familia urbana*] Cum domesticis, quos in urbe alebat.

[h] *Cicero*] Filius, qui simul cum patre ad bellum profectus erat.

(10.) M. T. C. TERENTIÆ SUÆ S. P. D.

ARGUMENTUM.—Ut cum Attico, ad quem scripserat consilium suum, agat, admonet. Tertio belli anno, Cæsare dictatore II.

QUID fieri[1] placeret, scripsi ad Pomponium serius, quam oportuit. Cum eo si locuta[2] eris, intelliges, quid fieri velim. Apertius scribi, quando[3] ad illum scripseram, necesse non fuit. De ea re, et de ceteris[4] rebus, quam primum velim nobis literas mittas. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale: septimo Idus Quintil.[5]

(11.) M. T. C. TERENTIÆ SUÆ S. P. D.

ARGUMENTUM.—Tulliam ad se venisse dicit: sibi autem in animo esse filium ad Cæsarem mittere. Eodem anno.

SI vales, bene est: valeo.[6] Tullia nostra venit ad me[a] pridie Idus Junii:[7] cujus summa virtute[a] et singulari humanitate, graviore etiam sum dolore affectus, nostra factum esse negligentia, ut longe alia in fortuna esset, atque ejus pietas[b] ac dignitas[c] postulabat.[b] Nobis erat in animo, Ciceronem ad Cæsarem mittere,[d] et cum eo Cn. Sal-

[a] *Ob cujus summam virtutem, &c.*

[b] *Mea culpa factum esse, ut tam pia, tamque illustris fœmina, in tam misera fortuna versaretur.*

EPIST. X. 1 Ita quinque Dresd. Lips. Ascens. 1. *Quod fieri* P *v*, et vulgg. ante Ernesti. Pro *Pomponium*, quod affert Dresd. 3. *Pompinium* exhibent Dresd. 1. 2. *Pompeium* Dresd. 4.—2 *Cui si locuta* Stewech.—3 *Apertius scripsi quando v. Apertius scribi quam* Dresd. 4. *A. scribi cum* Dresd. 1. 3. Victor. Lect. nostram firmant Dresd. 2. 5. Lips. Ascens. 1. *necesse non fuerat* ψ.—4 *De ea et de ceteris* Hitt.—5 Cod. ψ omittit *septimo Idus Quintil.*

EPIST. XI. 6 *Si vales, bene est; ego bene valeo v* ψ. Hæc verba desunt in P.—7 *Idus Junias* ψ. Mox, *cujus in summa virtute* conj. Ernesti: *factum est*

NOTÆ

[a] *Venit ad me*] Brundisium, quo post cladem Pharsalicam profectus erat Cicero, Cæsaris ex Asia reditum expectans. Fecit autem postea cum uxore divortium, et quod ipsa Brundisium non venerit, et quod filiam, sine pecunia et comitatu, huc venire permiserit; fuerunt et aliæ ejusdem divortii causæ, de quibus alibi.

[b] *Pietas*] Erga patrem, ad quem longo et difficili itinere profecta est, ut afflictum consolaretur.

[c] *Dignitas*] Dignitatem suam fœminæ a virorum claritate trahebant, ut cum uxores, aut filiæ, aut sorores consulum, aut consularium erant.

[d] *Ad Cæsarem mittere*] Ut veniam sibi, quod Pompeium erat secutus,

lustium. Si profectus erit, faciam te certiorem. Valetudinem tuam cura diligenter.[8] Vale. XVII Kalendas Quintil.[9]

(12.) M. T. C. TERENTIÆ S. P. D.

ARGUMENTUM.—Scripta epistola ante superiorem, post Pharsalicam pugnam, qua gratulationi Terentiæ, quod liberatus periculis in Italiam redierit, respondet.

QUOD nos[1] in Italiam salvos venisse gaudes; perpetuo gaudeas velim. Sed perturbati dolore animi, magnisque injuriis,[e] metuo ne id consilii ceperimus, quod non facile explicare possimus.[c 2] Quare, quantum potes, adjuva.[f] Quid autem possis, mihi in mentem non venit: in viam quod te des[g] hoc tempore, nihil est:[3] et longum est iter, et non tutum: et non video, quid prodesse possis, si veneris. Vale. D. prid. Nonas Novemb. Brundisio.[4]

(13.) M. T. C. TERENTIÆ S. P. D.

ARGUMENTUM.—Permittit uxori, ut de nuntio remittendo consilium capiat ex tempore. Cæsare dictatore iterum.

QUOD scripsi ad te proximis literis de nuntio remittendo;[d] quæ sit istius[h] vis hoc tempore,[e] et quæ concitatio

[c] *Sed metuo, ne dolore perturbati animi, injuriisque adductus, consilium ceperim, quod felicem exitum non habeat.*
[d] *De divortio faciendo.*
[e] *Ignoro quis futurus sit hoc tempore Cæsaris impetus.*

negligentia Lips. Dresd. 3. 4. 5. *v* ψ.—8 Dresd. 1. 2. 3. *diligenter cura.*—9 Ita codd. Victorii et Amstel. *XIV Kal. Quintil.* vulgg. ante Græv.

EPIST. XII. 1 *Quos nos* P.—2 Codex unus Oxon. *possumus.*—3 Hitt. *nihili est.* Idem cod. mox, *et non videbo.*—4 Ita Dresd. 1. P *v. Brundusii* Lips. Dresd. 5. ψ. *Brundusio* edd. vett.

NOTÆ

impetraret; sed cum de ejus adventu nihil referretur, consilium mutavit.

[e] *Magnisque injuriis*] Forte respicit ad Pompeii Magni filium, qui mortem ei minatus est, quod victi ad Pharsalum exercitus dux esse recusasset; vel significat injurias, de quibus cum Attico sæpe conqueritur.

[f] *Adjuva*] Ut mihi Cæsar ignoscat, quod in ipsum arma ceperim, ejusque injussu Italiam repetierim.

[g] *In viam quod te des*] Initio quidem iter illud uxori suæ Cicero dissuasit, post tamen ægre tulit, quod ad ipsum cum filia non venisset.

[h] *Istius*] Cæsaris, ex Ægypto et Asia redeuntis, ubi Ptolemæum ac

multitudinis,[f] ignoro.[7] [*p.* 238.] Si metuendus[8] iratus est, quies[g] [i] tamen ab illo fortasse nascetur. Totum[k] judicabis, quale sit; et quod in miserrimis rebus minime miserum putabis,[h] id facies. Vale. VI Idus Quintil.[9] [l]

(14.) TULLIUS TERENTIÆ, ET PATER[1] TULLIOLÆ, DUABUS ANIMIS SUIS: ET CICERO MATRI OPTIMÆ, SUAVISS. SORORI, S. P. D.

ARGUMENTUM.—Cum Cæsar Rubiconem transisset, et Pompeius fugisset cum senatu ex urbe, monet suas, ut cum amicis consultent, maneantne Cæsare adventante, an discedant ex urbe.

SI vos valetis, nos valemus.[2] Vestrum jam consilium est, non solum meum, quid sit vobis[3] faciendum. Si ille[a] Romam modeste[a] venturus[b] est,[4] recte[c] in præsentia domi esse potestis: sin homo amens diripiendam urbem daturus est, vereor, ut[b] Dolabella[d] ipse satis nobis pro-

[f] *Et quæ commotio populi Romani ad ejus reditum.* [g] *Pax.*
[h] *Et quod utilius existimabis ad divortium quod attinet.*
[a] *Cæsar.* [b] *Ne non.*

EPIST. XIII. 7 Edd. vett. *non ignoro.*—8 *Sed si metuendus* Hitt. Idem cod. statim, *quiesce tamen;* Pal. 6. *quiesces tamen; v qui tamen.* Tum, *nascetur totum: judicabis, &c.* Pal. 6.—9 *VII Id. Quintil.* Lips. Dresd. 1. 2. 3. 4. ψ, ed. Lips. Ascens. 1.

EPIST. XIV. 1 In Dresd. 1. hæc Epist. tantum inscribitur *Tullius Terentiæ; v* habet *Tullius Terentiæ et patri, &c.* Verba, *Suaviss. Sorori S. P. D.* desunt in ψ.—2 *Si vos valetis, nos valemus* desunt in Dresd. 1.—3 Hitt. *quid*

NOTÆ

Pharnacem devicerat; id est, ignoro quonam modo cum Romanis se geret post tot victorias jam relatas, utrum severe, an leniter.

[i] *Quies*] Quia, cum Cæsaris ex nutu penderent omnia, bello quoque finem, et tumultibus imponere poterat.

[k] *Totum*] Id omne scilicet, quod præsens Epistola complectitur; id est, judicabis quid sit de divortio sentiendum; quid sit de Cæsare jam dominante, et timendum, et sperandum.

[l] *Id facies*] Indicat his verbis, divortium sibi non displicere; nec certe displicebat: reversus enim in Italiam post bellum Pharsalicum, res domesticas in pessimum, uxoris incuria, statum devenisse comperit.

[a] *Modeste*] Leni et pacato animo, nulla civibus illata injuria.

[b] *Venturus*] Rubicone trajecto, postquam cecinit classicum, et in patriam gladium distrinxit.

[c] *Recte*] Honeste, commode, tute.

[d] *Dolabella*] Ciceronis gener, legatus, et amicus Cæsaris.

desse[5] possit. Etiam illud[6] metuo, ne jam intercludamur, ut, cum velitis exire, non liceat. Reliquum est, quod ipsæ optime considerabitis, vestri similes fœminæ sintne Romæ. Si enim non sunt, videndum est, ut honeste vos esse possitis.[c] [7] Quomodo quidem nunc[8] se res habet, modo ut hæc vobis loca tenere liceat,[d] [e] bellissime vel mecum, vel in nostris prædiis esse poteritis.[9] Etiam illud verendum est, ne brevi tempore fames in urbe sit. His de rebus velim cum Pomponio, cum Camillo, cum quibus vobis videbitur, consideretis: ad summam, animo forti sitis.[10] Labienus[f] rem meliorem fecit.[e] Adjuvat etiam Piso,[g] quod ab urbe discedit,[11] et sceleris condemnat generum suum. Vos, meæ carissimæ animæ, quam sæpissime[12] ad me scribite, et vos quid agatis, et quid istic agatur. Quintus pater,[13] et filius, et Rufus vobis salutem dicunt. Valete. VIII Kalend. Quintil. Minturnis.[14] [h]

[c] *Vereor, ne non possitis Romæ cum dignitate versari.*
[d] *Modo hanc Campaniæ partem, cui præsum, conservare possim.*
[e] *Labieni defectio Pompeii causam meliorem fecit.*

sit nobis.—4 Voc. *est* ignorant quinque Dresd. *v*, ed. Lips. Ascens. 1.—5 Ita Vat. Pall. 1. 6. Amstel. Victor. *satis vobis prodesse* edd. vett.—6 *Et jam illud* ψ. Pro *intercludamur*, quod firmant Pall. 1. 6. Mentel. Dresd. 1. 2. 3. P ψ, *intercludamus* præbet Vat. *intercludam* Amstel. *intercludamini* Dresd. 5. Græv. 2. ed. Lips. Ascens. 1. *intercludatur* Dresd. 4. *v.*—7 Cod. ψ *honeste esse possitis.* —8 Ita Pal. 1. duo Gulielm. Amstel. Victor. *Quomodocumque nunc* edd. vett. *Quom quidem nunc* Dresd. 1. 3. 4. *Quando quidem nunc* Dresd. 2. 5. Lips. P ψ, Ascens. 1. *Quoquo modo quidem nunc* al. ap. Græv. Mox, *ut hæc nobis loca* Dresd. 1. 2. 4. ψ, Victor. probante Benedict.—9 Peck. *esse poteris.*— 10 Vet. cod. Græv. *forti animo sitis.*—11 Hitt. *discessit.*—12 Voc. *quam sæpissime* desunt in uno cod. Oxon. Idem cod. mox, *quid agitis.*—13 *Quintus frater* ψ.—14 Ita Dresd. quinque, Lips. al. *Kalend. Febr.* conj. Sigon. pro-

NOTÆ

[e] *Tenere liceat*] Timebat, ne Cæsar hæc loca quoque occuparet: distributis, initio civilis belli, Italiæ regionibus, ut suam quisque contra Cæsarem tueretur, Capua, cum ora maritima Campaniæ, Tullii custodiæ tradita est.

[f] *Labienus*] Cæsari familiarissimus, qui tot annos in Gallia ejus auspiciis militaverat. Primo belli civilis anno ad Pompeium defecit; sive timeret sibi a Cæsare, sive bellum patriæ indictum damnaret: sed illa desertio nihil admodum nocuit Cæsari; nemo enim alter ex Cæsarianis Labieni exemplum secutus est.

[g] *Piso*] Cæsaris socer, qui ad Pompeium quidem non abiit, sed relicta urbe visus est generi consilia non probare. Extat in hunc Pisonem Ciceronis oratio.

[h] *Minturnis*] In Campaniæ finibus,

(15.) M. T. C. TERENTIÆ SUÆ S. P. D.

ARGUMENTUM.—Consilium de filio ad Cæsarem mittendo mutatum significat.

SI vales, bene est.[1] Constitueramus, ut ad te antea scripseram, obviam Ciceronem Cæsari[i] mittere; sed mutavimus consilium, quia de illius adventu nihil audiebamus. De ceteris rebus, etsi nihil erat novi,[2] tamen quid velimus,[k] et quid hoc tempore putemus opus esse, ex Sicca poteris cognoscere. Tulliam[l] adhuc mecum teneo. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. XII Kalendas Quintil.[3]

(16.) M. T. C. TERENTIÆ SUÆ S. P. D.

ARGUMENTUM.—De literis: de Volumnia: de suo dolore.

SI vales, bene est: valeo.[4] Etsi ejusmodi[m] tempora nostra sunt,[f] ut nihil habeam, quod aut a te literarum expectem, aut ipse ad te scribam; tamen nescio quomodo et ipse vestras literas[5] expecto, et scribo ad vos, cum habeo, qui ferat. Volumnia[n] debuit in te officiosior esse, quam

[f] *Etsi tantus est dolor meus.*

bante Benedict. *Menturnis* codd. Grævii. *VIII Kalend. Quintil. Minturnis* desunt in ψ.

EPIST. XV. 1 Dresd. 5. Lips. Ascens. 1. *bene est, ego quidem valeo.* Actutum, *Constitueram* in iisdem libris.—2 Hitt. *nihil erit novi.* Statim, *putamus esse,* omisso *opus,* in uno cod. Oxon. *ex Sica* ψ.—3 *XII Kalendas Quintil.* desunt in eodem cod.

EPIST. XVI. 4 Ita Dresd. 1. 2. *bene est, ego quidem valeo* Dresd. 3. Hæc verba desunt in Dresd. 4. 5. Lips. Ascens. 1.—5 Codex unus Oxon. *tuas lite-*

NOTÆ

haud procul ab Sinnessa. Hor. Epist. 1. 5. 5. 'Palustres Inter Minturnas, Sinnessanumque Petrinum.'

[i] *Obviam Cæsari*] Ex Ægypto et Asia Romam redeunti.

[k] *Quid velimus*] Vehementer cupiebat Brundisio, ubi jamdiu Cæsarem expectabat, proficisci.

[l] *Tulliam*] Quæ Brundisium ad patrem venerat. Epist. 11.

[m] *Etsi ejusmodi*] Tum erat Brundisii, sibi magnopere timens, et a Pompeianis, quos, relictis eorum partibus, offenderat, et a Cæsare, cujus injussu in Italiam, post Pharsalicum prælium, redierat.

[n] *Volumnia*] Quæ forte molestius, quam res domesticæ Ciceronis, ac tempora postulabant, debitam sibi pecuniam a Terentia repetebat.

fuit; et id ipsum, quod fecit, potuit diligentius[g] facere et cautius. Quanquam alia sunt, quæ magis curemus,[o] magisque doleamus: quæ me ita conficiunt, ut ii voluerunt,[8p] qui me de mea sententia[q] detruserunt.[h] Cura, ut valeas. Pridie Kalend. Januar.[9]

(17.) M. T. C. TERENTIÆ SUÆ S. D.

ARGUMENTUM.—Nihil esse ait quod scribat: quomodo ipse sit, ex Lepta et Trebatio posse cognosci.

S. V. B. E. V. Si quid[1] haberem, quod ad te scriberem, facerem id et pluribus verbis, et sæpius. Nunc quæ sint negotia,[i] vides. Ego autem quomodo sum affectus,[2r] ex Lepta et Trebatio poteris cognoscere. Tu fac, ut tuam[3] et Tulliæ valetudinem cures. Vale.[4]

(18.) TULLIUS TERENTIÆ SUÆ, ET PATER SUAVISS. FILIÆ TULLIOLÆ, CICERO MATRI ET SORORI, S. P. D.[5]

ARGUMENTUM.—Ejusdem argumenti est, cujus erat Epist. XIV. quippe permittit suis, quid faciendum videatur, adventante ad urbem Cæsare.

[*p.* 239.] CONSIDERANDUM vobis[6] etiam atque etiam, ani-

[g] *Majori adhibita cura, ut tuæ famæ consuleret.* [h] *Deduxerunt.*
[i] *Quo in statu versetur res tum familiaris, tum publica.*

ras.—8 Dresd. 2. Hitt. *ut ei voluerunt;* Dresd. 1. 3. 4. 5. ψ *uti ei voluerunt.* Actutum, *qui me de sua sententia* Hitt. Stewech. Pal. 6. Bengel. *qui me de summa sententia* Lips.—9 *Pridie Kalend. Januar.* desunt in Dresd. 1. 2. 5. Peck. Amstel. ψ, ed. Lips. Ascens. 1. *Pridie Non. Januar.* habent Dresd. 3. 4. P *v.*

EPIST. XVII. 1 'Ernesti putat melius abesse *quid,* quia sequitur *facerem id;* sed hæc vocula *id* non ad *quid,* sed ad *scriberem,* refertur. Porro, Ernesti cum Lamb. emend. *sint negotia,* cum antea librorum antiquorum auctoritate legeretur *sunt negotia.*' Benedict.—2 Peck. Dresd. 5. *v,* ed. Lips. Ascens. 1. *sim afflictus.*—3 *Tu fac et tuam* ψ.—4 *Vale* deest in P.

EPIST. XVIII. 5 Ita Dresd. 1. 2. 3. hoc parvo discrimine, ut voc. *Tulliolæ* omittatur, quod etiam in ed. Victor. deest. In Dresd. 1. tantum inscribitur *Tullius Terentiæ suæ.*—6 *Considerandum nobis* Dresd. 1. 3. 4. Hitt. ed. Lips.

NOTÆ

[o] *Quæ magis curemus*] Quomodo scilicet Cæsarem placare, et Romam tuto reverti possim.

[p] *Ut ii voluerunt*] Tacite Dolabellam accusat, cujus literis, et consilio adductus, in Italiam, ab Cæsare non invitatus, redierat.

[q] *De mea sententia*] De non revisenda Italia, nisi post acceptam a Cæsare potestatem.

[r] *Affectus*] Et animo, et corpore.

mæ meæ, diligenter puto, quid faciatis; Romæne[a] sitis, an mecum in aliquo tuto[b] loco. Id non solum meum consilium est, sed etiam vestrum.[a] Mihi veniunt in mentem hæc: Romæ vos esse tuto posse[3] per Dolabellam;[c] eamque rem posse nobis adjumento esse, si qua vis, aut si quæ rapinæ fieri cœperint. Sed rursus[4] illud me movet, quod[b] video, omnes bonos abesse Roma, et eos mulieres suas secum habere. Hæc autem regio, in qua ego sum,[5] nostrorum est cum oppidorum, tum etiam prædiorum;[c] ut et multum esse mecum, et, cum abieritis, commode et in nostris esse possitis.[d] Mihi plane non satis[6] constat adhuc, utrum sit melius. Vos videte, quid aliæ faciant isto loco fœminæ;[e] et ne, cum velitis, exire non liceat: id velim diligenter etiam atque etiam vobiscum et cum amicis consideretis. Domus ut propugnacula et præsidium[7] habeat, Philotimo[d] dicetis.[f] Et velim tabellarios instituatis certos, ut quotidie aliquas a vobis literas accipiam. Maxime autem date operam, ut valeatis, si nos vultis valere. VIII Kal. Formiis.[8] [e]

[a] *Non meæ duntaxat, sed vestræ quoque sunt partes, hæc diligenter perpendere.*
[b] *Sed ab hac sententia illud me deducit, quod, &c.*
[c] *Continet oppida quibus præsum, et prædia nostra.*
[d] *Adeo ut in oppidis, quibus sum præpositus, aut in prædiis nostris, si modo abieritis ex eo loco, ubi nunc sum, commode esse possitis.*
[e] *Ejusdem vobiscum conditionis.*
[f] *Dicetis Philotimo, ut domum propugnaculis, et armato milite muniat.*

Ascens. 1. Statim, *R. sitis, aut mecum* Vat.—3 *Mihi v. in m. h. R. v. e. t. posse* desunt in ψ. Mox, *posse vobis* al. ap. Græv. Pro *si qua vis*, quod servant quinque Dresd. Lips. edd. vett. *si quæ vis* Victor. Græv. al.—4 *Sed rursum* Hitt. *quod vides* ψ. *Roma* deest in *v.*—5 Vet. cod. Græv. *in qua sum ego.* Statim, *tum oppidorum* P et edd. vett. Deinde, *commode et in vestris* Dresd. 1. 2. 4. Lips. ψ. *et in nostris prædiis* vulgg. ante Græv. *positis esse* al. ap. Græv.—6 *Mihi non plane satis* edd. vett. Mox, *cum voletis v.*—7 Quinque Dresd. Lips. *v* ψ *prædium.*—8 Ita Mentel. P *v. octavo Kalendas Formiis* Græv. 2. *octavo Kalendas Febr.* edd. vett. *XIIII K. Formiis* Amstel. Hæc verba desiderantur in Hitt. et Stewech.

NOTÆ

[a] *Romæne*] Accedente ad urbem Cæsare, post trajectum Rubiconem, initio belli civilis.

[b] *In aliquo tuto*] In ora Campana, cui Tullius præerat. Vide Epist. 14.

[c] *Per Dolabellam*] Tulliæ maritum, qui maxima valebat apud Cæsarem auctoritate.

[d] *Philotimo*] Terentiæ liberto.

[e] *Formiis*] Formiæ, urbs in ora Campaniæ littorali, inter Cajetam ad Occasum, et Minturnas ad Ortum;

(19.) M. T. C. TERENTIÆ S. D.

ARGUMENTUM.—Dolorem ex valetudine filiæ, quæ cum patre Brundisii post Pharsalicam cladem erat, significat: addit de propioris accessus impedimentis.

IN maximis meis doloribus[g f] excruciat me valetudo Tulliæ nostræ. De qua, nihil est quod ad te plura scribam: tibi enim æque magnæ curæ esse certo scio. Quod me[1] propius vultis accedere, video ita esse faciendum: etiam ante fecissem: sed me multa impedierunt,[g] quæ ne nunc quidem[2] expedita sunt. Sed a Pomponio expecto literas, quas ad me quam primum perferendas cures velim. Da operam, ut valeas.

(20.) M. T. C. TERENTIÆ SUÆ S. P. D.

ARGUMENTUM.—Recreatus literis Cæsaris, non dubitat propius accedere. Parari ergo omnia in Tusculano jubet.

IN Tusculanum nos venturos[3] putamus aut Nonis, aut postridie: ibi ut sint omnia parata:[4] plures enim fortasse nobiscum erunt, et, ut arbitror, diutius ibi commorabimur.[5] Labrum[h] si in balineo[6] non est; ut sit: item cetera, quæ

[g] *Præter alios dolores, quibus conficior.*

EPIST. XIX. 1 *Quid me* codex unus Oxon. *esse* ante *faciendum* ignorat Stewech. Actutum, *et jam ante* Dresd. 5. Lips. Venett. 1482. 1488. ed. Lips. Ascens. 1. uti conj. Scheller. non improbante Benedict.—2 Codex unus Oxon. *quæ nunc quidem.*

EPIST. XX. 3 Al. ap. Græv. *nos futuros.*—4 Ita Pal. 6. Victor. *ibi fac, ut sint omnia parata* quinque Dresd. Lips. P v ψ, edd. ante Græv.—5 Cod. ψ *commorabuntur.*—6 *Labrum sed in balneo v. Labrum si in balneo* quinque

NOTÆ

Læstrygonibus, ut multi putant, olim habitatæ: ibi nunc *Mola*, pagus elegans, et amœnus.

[f] *In maximis meis doloribus*] Quod respublica libertatem suam amiserit; quod civili me bello implicuerim; quod in Italiam, Cæsaris injussu, redierim.

[g] *Me multa impedierunt*] Lictores intelligit, quos in Ciliciam proconsul discedens, a populo acceperat: non poterat autem eos dimittere, dignitate salva, prius in urbem quam revertisset; nec retinere sine periculo, cum eos ab Cæsare, aut ab iis qui in Italia Cæsaris locum tenebant, nondum impetrasset: impetravit postea, ut patet ex epistola septima libri undecimi ad Atticum.

[h] *Labrum*] Genus vasis lavandis

sunt ad victum et ad valetudinem[5] necessaria. Vale. Kal. Octobr. de Venusino.[6][i]

(21.) M. T. C. TERENTIÆ SUÆ S. P. D.

ARGUMENTUM.—Ejusdem temporis, aut paulo superioris, Epistolium.

SI vales, bene est: valeo.[7] Da operam, ut convalescas: quod opus erit, ut res tempusque postulat, provideas atque administres: et ad me de omnibus rebus quam sæpissime literas mittas.[h] Vale.

(22.) M. T. C. TERENTIÆ SUÆ S. P. D.

ARGUMENTUM.—Ejusdem argumenti, cujus fuerat, quæ præcessit, Epistola.

SI vales, bene est: valeo.[1] Nos quotidie[2] tabellarios nostros expectamus: qui si venerint, fortasse erimus certiores, quid nobis faciendum sit;[k] faciemusque te statim certiorem. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. Kalendis Septembribus.[3]

[h] *Quæ sunt mihi ad iter necessaria, provide, prout tempus postulat, et ad me mitte.*

Dresd. Lips. P ψ. *fac ut sit* quinque Dresd. Lips. *v* ψ, edd. vett. *fac* omittunt Vat. Pall. 1. 6. Victor.—5 Ita codd. Græv. et Victor. *et valetudinem* vulgg. ante Græv.—6 Ita Dresd. 1. *Vale. De Venusino* ψ.

EPIST. XXI. 7 *Si vales b. e. valeo* desunt in Dresd. 4. P *v*. *Si vales, bene ego valeo* habet Dresd. 2. *bene est, ego quidem valeo* Dresd. 5. ed. Lips. Ascens. 1. Receptam lectionem servant Dresd. 1. 3.

EPIST. XXII. 1 Hæc verba desunt in Lips. Dresd. 4. P *v*.—2 *Nos tota die* Pal. 6. Hitt. Stewech. Pro *tabellarios nostros*, quam lectionem firmant Hitt. Stewech. Victor. *tabellarios vestros* exhibent Dresd. 5. ed. Lips. vulgg. ante Græv.—3 *Kalendis Septembris* Stewech. Hæc duo verba desunt in ψ.

NOTÆ

corporibus aptum, quasi lavabrum. 'Labra lapidea balneis usum præstant: fossæ lapideæ in balneis labra vocabantur.' *Budæus.*

[i] *De Venusino*] Venusia, oppidum Apuliæ, Horatii patria, vulgo nunc *Venosa*, regni Neapolitani civitas in provincia Basilicata, ad radices Apennini montis; parva, et principatus titulo clara gentis Ludovisiæ.

[k] *Quid nobis faciendum sit*] Utrum Cæsari obviam ire oporteat, an eum Brundisii expectare.

(23.) M. T. C. TERENTIÆ SUÆ S. P. D.

ARGUMENTUM.—Biduo ante eam, quæ sequitur, scripta: se a Cæsare literas satis liberales accepisse nuntiat.

SI vales, bene est: valeo.[1] Redditæ mihi tandem[2] sunt a Cæsare literæ satis liberales;[i] [*p.* 240.] et ipse opinione celerius venturus esse dicitur. Cui utrum obviam procedam, an hic[k] eum expectem, cum constituero, faciam te certiorem. Tabellarios mihi velim quam primum remittas. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. D. pridie Idus Sext.[3]

(24.) M. T. C. TERENTIÆ S. P. D.

ARGUMENTUM.—De Cæsaris ex Ægypto et Asia adventu se nihil certi habere significat.

SI vales, bene est: valeo.[4] Nos neque de Cæsaris adventu, neque de literis, quas Philotimus habere dicitur, quicquam adhuc certi habemus. Si quid erit certi, faciam te statim certiorem.[5] Valetudinem tuam fac ut cures.[6] Vale. III Idus Sextiles.

[i] *Satis officiosæ.* [k] *Brundisii.*

EPIST. XXIII. 1 *Si vales bene est; valeo* desunt in P *v.*—2 Ita codd. Victorii et Græv. *Redditæ mihi jam tandem* edd. vett. Mox, *opinione* deest in Hitt.—3 *D. pridie Kl. Sext.* Peck. Dresd. 1. 2. 3. Amstel. ed. Lips. Ascens. 1. *D. prid. Sex.* Hitt. Hæc verba plane desunt in Dresd. 5. et ψ.

EPIST. XXIV. 4 *Si vales, bene est: valeo* desunt in Dresd. 4. Lips. P *v. Si vales, bene est, ego quidem valeo* Dresd. 5. ed. Lips. Ascens. 1.—5 Codex unus Oxon. *faciam te certiorem.*—6 In eodem cod. *fac cures,* omissa conjunctione *ut.*

M. TULLII CICERONIS

EPISTOLARUM

LIBER XV.*

AD CONSULES ET CETEROS.

(1.) M. TULLIUS M. F. CICERO, PROCONS. S. P. D. COSS. PRÆTT. TRIBB. PL. SENATUI.[1]

ARGUMENTUM.—De bello Parthico quæ cognoverat, ad senatum perscribit ex provincia.

SI vos V. B. E. E. Q. V.[2] Etsi non dubie mihi nuntiabatur, Parthos transisse Euphratem[a] cum omnibus fere[3] suis copiis; tamen, quod arbitrabar, a M. Bibulo[b] proconsule certiora[c] de his rebus ad vos scribi posse, statue-

---

* Hujus et sequentis libri Epistolæ desunt in Dresd. 1.

EPIST. I. 1 *Senatui P. Q. R.* edd. vett.—2 *Si vobis bene est, ego quoque valeo* Stewech. Hæc verba desunt in P.—3 Nonnulli codd. ap. Græv. omit-

NOTÆ

[a] *Euphratem*] Mesopotamiæ fluvium, quem ex Niphate, Armeniæ monte, magnum, profundum, et celerem oriri narrat Strabo: prius in sinum Persicum quam se exoneret, Babyloniam dividit, Tigrique conjunctus, Mesopotamiam efficit: uterque ex eodem fonte nascitur. Sic Boëtius: 'Tigris, et Euphrates uno se fonte resolvunt.'

[b] *Bibulo*] Syriæ proconsule.

[c] *Certiora*] Quia propius aberat a Parthis Bibulus, quam Cicero.

bam mihi non necesse esse publice scribere ea, quæ de alterius provincia[d] nuntiarentur. Postea vero quam certissimis auctoribus,[4] legatis, nuntiis, literis sum certior factus; vel quod tanta res erat[a] vel quod nondum audieramus, Bibulum in Syriam venisse, vel quia administratio hujus belli mihi cum Bibulo pæne[e] est communis; quæ ad me delata essent, scribenda ad vos putavi. Regis Antiochi[f] Commageni legati primi mihi nuntiarunt, Parthorum magnas copias Euphraten transire cœpisse. Quo nuntio allato, cum essent nonnulli, qui ei regi[5] minorem fidem habendam putarent, statui expectandum esse, si quid certius afferretur. A. d. XIII Kalendas[6] Octobr. cum exercitum in Ciliciam ducerem, in finibus Lycaoniæ et Cappadociæ mihi literæ redditæ sunt a Tarcondimoto,[g] qui fidelissimus socius trans Taurum, amicissimusque populi Romani existimatur: Pacorum,[7] [h] Orodis,[i] regis Parthorum, filium, cum permagno equitatu Parthico transisse Euphraten, et castra posuisse Tybæ,[k] magnumque tumultum esse in provincia Syria ex-

[a] *Vel quia res tanti momenti erat.*

tunt *fere.*—4 Cod. ψ *certioribus auctoribus.*—5 Hitt. et Pal. 6. *qui ei rei;* Amstel. *qui eo regi.*—6 *Ad XIII Kal.* P. Mox, *in Siciliam* P *v.* Tum, *e Cappadocia* Pal. 1. Amstel. Stewech. Mentel. Dresd. 5. Græv. 2. Mediol. Ascens. 1. *est Cappadocia* Dresd. 2. *Tharchondimoto* cod. Gulielm. *Tarcendimoto* duo alii Gulielm. Deinde, *amicissimusque reip. existimatur* Dresd. 2. 3. *existimabatur* Dresd. 4.—7 Ita emend. Ernesti; *Pacorem* Hitt. Pal. 6. Amstel.

NOTÆ

[d] *De alterius provincia*] De Syria, quam a Parthorum imperio Euphrates fluvius dirimebat.

[e] *Pæne*] Ob Syriæ, cui Bibulus; et Ciliciæ, cui Cicero præerat, propinquitatem; adeo ut in discrimen venire una non possit, quin veniat et altera.

[f] *Antiochi*] Cujus sororem Orodes rex Parthorum duxerat.

[g] *A Tarcondimoto*] Ciliciæ partem tenebat: cum Pompeii castra in dissensione civili secutus esset, pepercit ei Cæsar: interfecto Cæsare, Cassius, qui pro republica copias in Asia colligebat, Tarcondimotum, et Tarsenses ad societatem secum ineundam compulit. Post Cassii interitum, Antonio contra Octavianum adhæsit, et ab Agrippa navali prælio cæsus est. Dio, lib. XLI. XLVII. L.

[h] *Pacorum*] Quem postea Ventidius, Antonii in Asia legatus, acie vicit.

[i] *Orodis*] Qui Crassum dolo circumventum interemerat.

[k] *Tybæ*] Trans Euphratem locus est; de quo nemo quisquam veterum,

citatum. Eodem die ab Iamblicho,[8 l] phylarcho[b m] Arabum, quem homines opinantur bene sentire, amicumque esse reipublicæ nostræ, literæ de eisdem rebus mihi redditæ sunt. His rebus allatis, etsi intelligebam, socios infirme animatos esse,[c] et novarum rerum expectatione suspensos; sperabam tamen, eos, ad quos jam accesseram, quique nostram mansuetudinem[9 n] integritatemque perspexerant, amiciores populo Romano esse factos; Ciliciam[o] autem firmiorem fore, si æquitatis nostræ particeps facta esset.[d] Et ob eam causam, et ut opprimerentur ii, qui ex Cilicum gente[p] in armis essent, et ut hostis is, qui esset in Syria, sciret,[e] exercitum populi Romani non modo

[b] *Præfecto.* [c] *Non optime erga populum Romanum affectos.*
[d] *Quando administrationis meæ æquitatem experta erit.*
[e] *Et ut Parthi, qui erant in Syria, intelligerent, &c.*

Victor. Actutum, *Orodio* Dresd. 5. *v* ψ, Ascens. 1. *Herodis* Dresd. 2. Deinde, *Tybiæ v.*—8 Peck. *ab Lamblicho;* Victor. et Gebh. *ab Iamblico;* P ψ *ab Jambico;* Hitt. *abi amphico;* Pal. 6. *Abiamplicho.* Actutum, *Arabum philarcho* Pal. 1. Statim *reip. et nostræ* Dresd. 3. 4. *nostræ* deest in *v.*—9 Ita de conj. edidit Ernesti, contra omnes codd. et edd. qui exhibent *consuetudinem.* Mox, pro *æquitatis nostræ,* quod firmant Vat. Peck. Hitt. Stewech. Victor.

NOTÆ

quod sciam, præter Ciceronem, loquitur.

[l] *Iamblicho*] Hunc Tarcondimoti filium appellat Strabo; at Dio, lib. L, ait, fuisse in Arabiæ parte regulum, qui de proditione suspectus, ab Antonio ante certamen Actiacum cæsus est.

[m] *Phylarcho*] Nonnulli asserunt, hunc quoque in Arabia regulum extitisse; malim ego dicere cum aliis, dignitatis esse, non hominis vocabulum: certe fuit hoc olim ordinis, et dignitatis in equestri militia nomen: erat enim equitatus divisus in partes quasdam, quas Græci φυλὰς appellabant, quibus qui præerant, φύλαρχοι dicebantur: omnes autem uni parebant hipparcho, hoc est equitatus totius præfecto, qui a Latinis, sub dictatore, magister equitum nuncupatus est. Arabum quoque gens fuit in ἔθνη distributa, quas illi quoque φυλὰς, seu *tribus,* nominant; unde suos dynastas vocarunt phylarchos, id est, tribus, seu gentis, aut populi principes. Saraceni suos duces eodem nomine dixerunt.

[n] *Mansuetudinem* [*consuetudinem*] Eorum conjectura non displicet, qui legendum putant *mansuetudinem;* sic enim videtur melius cohærere sententia.

[o] *Ciliciam*] Provinciæ suæ partem, quam nondum inviserat.

[p] *Ex Cilicum gente*] Populos ad Amanum montem sitos indicat, quibuscum Ciceroni prælio confligendum fuit.

non[10] cedere his nuntiis allatis, sed etiam propius accedere, exercitum ad Taurum institui ducere. Sed, si quid apud vos auctoritas mea ponderis habet, in iis præsertim rebus, quas vos audistis, ego pæne cerno;[f] [*p.* 241.] magno opere vos et hortor et moneo, ut his provinciis, serius vos quidem quam decuit, sed aliquando tamen consulatis. Nos[11] quemadmodum instructos, et quibus præsidiis munitos ad tanti belli opinionem miseritis, non estis ignari:[g] quod ego negotium,[h] non stultitia obcæcatus, sed verecundia deterritus, non recusavi.[i] Neque enim unquam ullum periculum tantum putavi, quod subterfugere mallem, quam vestræ auctoritati obtemperare.[k] Hoc autem tempore res sese sic habet,[12] ut, nisi exercitum tantum, quantum ad maximum bellum mittere soletis, mature in has provincias miseritis, summum periculum sit, ne amittendæ sint omnes hæ provinciæ, quibus vectigalia[q] populi Romani continentur. Quamobrem autem in hoc[13] provinciali delectu spem habeatis aliquam,[l] causa nulla est: neque multi sunt; et diffugiunt qui sunt, metu oblato. Et, quod genus hoc militum sit,[m] [14] judicavit vir fortissimus M. Bibulus in Asia;[r]

[f] *In hoc præsertim Parthici belli periculo, quod audistis vos, et quod ferme oculis ego ipse cerno.*

[g] *Licet erat tanti belli metus, scitis tamen, me tenui cum exercitu in Ciliciam missum.*

[h] *Quam expeditionem adversus Parthos, &c.*

[i] *Sed verecundia fecit, ut hoc non recusarem.*

[k] *Quod non mallem subire, quam auctoritati vestræ resistere.*

[l] *Nihil est autem, quod speretis fieri posse in Asia novos militum delectus.*

[m] *Bello inutiles esse Asiaticos.*

equitatis nostri legitur in Amstel. et edd. vett.—10 Alterum *non* omittunt Dresd. 2. 3. Cf. Drakenb. ad Liv. xxv. 26. 10. et Perizon. ad Sanct. Minerv. iv. 7. n. 5. Actutum *credere his* ψ.—11 *Vos* Dresd. 2. 3. 4. 5. Peck. Pal. 6. Stewech. *v* ψ, Ascens. 1. Statim, *præsidiis inimicos v. stultitia occæcatus v* ψ. —12 Victor. *res se sic habet.*—13 *Quamobrem ut in hoc* Dresd. 2. 3. 5. Lips. Pal. 1. Stewech. Peck. *v* ψ, Ascens. 1. *Quamobrem aut in hoc* Dresd. 4. *provinciali dilectu* Dresd. 2. Paulo post, *et diffugerunt* vet. cod. Grævii.—14 *Et quod genus militum hoc sit* vet. cod. Græv. Pro *militum* ψ affert *multum.* Actutum, *indicavit vir* in eodem cod. *judicavit vir* servant Pal. 6. Victor. Pro

NOTÆ

[q] *Vectigalia*] Quæ multo majora ex Asia, quam ex aliis quibuslibet provinciis, colligebantur.

[r] *In Asia*] Ubi tum versabatur.

qui, cum vos ei permisissetis delectum habere, noluit. Nam sociorum auxilia, propter acerbitatem atque injurias imperii nostri, aut ita imbecilla[15] sunt, ut non multum nos juvare possint, aut ita alienata a nobis, ut neque expectandum ab iis, neque committendum iis quicquam esse videatur. Regis Deiotari[s] et voluntatem, et copias, quantæcumque sunt, nostras esse duco. Cappadocia[t] est inanis.[n] Reliqui reges tyrannique, neque opibus satis firmi, nec voluntate sunt.[16] Mihi, in hac paucitate[u] militum, animus certe non deerit;[17] spero, ne consilium quidem. Quid casurum sit,[o 18] incertum est. Utinam saluti nostræ consulere possimus! dignitati certe consulemus.[p]

(2.) M. TULLIUS M. F. CICERO, PROCOS. S. P. D. COSS. PRÆTT. TRIBB. PL. SENAT.[1]

ARGUMENTUM.—Exponit, audito Parthorum adventu, quid egerit pro tuenda provincia, sociisque in fide continendis: adjungit de rege Ariobarzane ab insidiis liberato.

S. V. V. B. E. E. Q. V.[2] Cum pridie Kalend. Sext. in provinciam[a] venissem, neque maturius propter itinerum et

[n] *Milite vacua.* [o] *Quis futurus sit hujus belli exitus.*
[p] *Utinam ex eo possim salvus evadere; nihil certe indecore faciam, nihil turpiter.* [a] *In Asiam.*

permisissetis, quod firmant Rom. Venett. 1469. 1471. Mediol. *permisistis* exhibent quatuor Dresd. Torg. Lips. Vat. Pall. 1. 6. Victor. et vulgg. ante Ernesti; *promisistis* P. 'Ernesti sine auctoritate codd. emendavit *permisissetis*. Lectionem receptam etiam ferri posse non dubito.' *Benedict.* Pro *noluit*, quod e sola conjectura dedit Ernesti, codd. et edd. vett. habent *noluerit*.—15 Hitt. *aut ita imbella; ψ aut ita imbecillia aut non multum, &c.* Tum, *nos tutare possint* Hitt. *vos juvare possint* Dresd. 3. 5. Ascens. 1. Deinde, *ita alienata a vobis* Dresd. 3. *neque committendum iis* desunt in uno cod. Oxon.—16 Ita codd. Grævii; *neque voluntate sunt* edd. quædam vett.—17 Dresd. 2. 4. 5. cum vet. cod. Græv. *certe animus non deerit.*—18 *Quid causarum sit* codex unus Oxon.

EPIST. II. 1 *Senat. P. Q. R.* edd. vett.—2 *S. V. E, &c.* Dresd. 2. 3. Vic-

NOTÆ

[s] *Deiotari*] Galatiæ regis.

[t] *Cappadocia*] In qua regnabat Ariobarzanes.

[u] *In hac paucitate*] De qua sæpius queritur: duas enim tantum legiones invenit.

navigationum difficultatem venire potuissem; maxime convenire officio meo,[3] reique publicæ conducere putavi, parare ea, quæ ad exercitum, quæque ad rem militarem pertinerent. Quæ cum essent a me,[4] cura magis et diligentia, quam facultate et copia,[b] [a] constituta, nuntiique et literæ de bello a Parthis in provinciam Syriam illato, quotidie fere afferrentur; iter mihi faciendum per Lycaoniam, et per Isauros, et per Cappadociam [5] arbitratus sum: erat enim magna suspicio, Parthos, si ex Syria egredi, atque irrumpere in meam provinciam conarentur, iter eos per Cappadociam, quod ea maxime pateret, esse facturos. Itaque cum exercitu per Cappadociæ partem eam, quæ cum Cilicia continens est, iter feci, castraque ad Cybistra,[b] quod oppidum est ad montem Taurum, locavi; ut Artuasdes,[c] rex Armenius, quocumque animo esset, sciret, non procul a suis finibus exercitum populi Romani esse; et Deiotarum,[d] fidelissimum[e] regem atque amicissimum reipublicæ nostræ, maxime conjunctum haberem,[6] cujus et consilio et opibus adjuvari posset respublica. Quo cum in loco [7] castra haberem, equitatumque in Ciliciam misissem, ut et meus adventus iis civitatibus, quæ in ea parte essent, nuntiatus, firmiores animos omnium faceret; et ego mature, quid ageretur in Syria, scire pos-

[b] *Opibus et exercitu.*

tor. Voc. hæc octo desunt in Dresd. 4.—3 Codex unus Oxon. omittit *meo.* Idem cod. mox omittit *ad* ante *rem.*—4 *Quæ cum esset ad me* ψ.—5 Idem cod. *et Isauros et Capp.* bis omisso præpositione *per.* Verb. *sum* deest in *v.* Paulo post, *in eam provinciam* Vat. Hitt. quatuor Dresd. *v* ψ, Victor. Deinde *quod ea maxima* ψ.—6 Ita codd. Victorii et Grævii: *conjunctum haberem hominem* edd. vett. Tum, *opibus juvari* vet. cod. Græv. *v.*—7 *Quo in loco v.* Mox, pro *animos omnium,* quod firmant Hitt. Stewech. Vat. Pall. 1. 6. Vic-

NOTÆ

[a] *Facultate et copia*] Ob militum paucitatem, de qua in Epist. proxime superiori.

[b] *Ad Cybistra*] Urbem hanc nonnulli in Cappadocia, alii in Armenia Minori reponunt: certe in utriusque provinciæ confinio sita est. *Arminacha.*

[c] *Artuasdes*] Cujus soror Pacoro, Orodis, regis Parthorum, filio, nupserat; quapropter de ejus erga Romanos fide merito poterat dubitari.

[d] *Deiotarum*] Cujus filia hujus Orodis filio promissa erat.

[e] *Fidelissimum*] Lucan. 'Fidumque per arma... Deiotarum.'

sem; [*p.* 242.] tempus ejus tridui, quod in his castris morabar, in magno officio et necessario[c] mihi ponendum putavi. Cum enim vestra auctoritas intercessisset, ut ego regem Ariobarzanem,[d f] Euseben et Philoromæum,[e 8 g] tuerer, ejusque regis salutem, incolumitatem, regnumque defenderem; regi regnoque præsidio essem: adjunxissetisque, salutem ejus regis, populo, senatuique magnæ curæ esse, quod nullo unquam de rege decretum esset a nostro ordine:[f] existimavi, me judicium vestrum ad regem deferre[g] debere, eique præsidium meum, et fidem, et diligentiam polliceri: ut, cum salus ipsius, incolumitas[9] regni mihi commendata esset a vobis, diceret, si quid vellet. Quæ cum essem[10] in consilio meo[h] cum rege locutus, initio ille orationis suæ vobis maximas, ut debuit, deinde etiam mihi gratias egit: quod ei permagnum et perhonorificum videbatur, S. P. Q. R. tantæ curæ esse salutem suam; meque tantam diligentiam adhibere, ut et mea fides et commendationis vestræ auctoritas perspici posset. Atque ille primo,[11] quod mihi maximæ lætitiæ fuit, ita mecum locutus est, ut nullas insidias neque vitæ suæ, neque regno, diceret, se aut intelligere fieri, aut etiam suspicari.

[c] *In honesto et necessario negotio.*
[d] *Cum enim senatusconsulto Ariobarzanis salutem mihi commendassetis.*
[e] *Religiosum, et Romanorum amicum.* [f] *A senatu.*
[g] *Denuntiare, quid de eo judicaretis.*

tor. vulgg. ante Græv. habent *animos hominum.*—8 *Philorhomæum* edd. vett. Statim, *et incolumitatem, &c.* Lamb. *et incolumitatem regni defenderem* al. ap. Græv. *regno regique præsidio essem* Stewech. *esset, adjunxissetque is salutem v. ejusque regis* Vat. *populo senatuique R. magnæ, &c.* edd. vett. Paulo post, *a vestro ordine* al. ap. Græv.—9 Ita Hitt. Pal. 1. Victor. *quando salus ipsius, incolumitas* Amstel. *cum salus, incolumitas* Pal. 6. *quando salus ipsius et incolumitas v ψ*, et edd. vett.—10 *Quod cum esset v.* Statim, *locutus* deest in eodem cod. Tum, *quod ei magnum* Dresd. 2. *quod et permagnum* Hitt. Pal. 6. *quod et ei permagnum* Stewech. *permagnum et honorificum* Dresd. 4. Amstel. Mentel. *v ψ.*—11 *Atque illo primo* Dresd. 2. 4. Pal. 6. Hitt. Stewech. Amstel. *ψ. quod*

NOTÆ

[f] *Ariobarzanem*] Regem Cappadociæ.

[g] *Euseben et Philoromæum*] Hæc duo verba, ut notat Corradus, Græce melius scriberentur.

[h] *In consilio meo*] Iis præsentibus, quorum apud me major est auctoritas.

Cum ego ei[12] gratulatus essem, idque me gaudere dixissem; cohortatus, ut recordaretur casum illum interitus paterni,[i] et vigilanter se tueretur, atque admonitu senatus consuleret saluti suæ; tum a me discessit in oppidum Cybistra. Postero autem die,[13] cum Ariarathe, fratre suo, et cum paternis amicis, majoribus natu, ad me in castra venit: perturbatusque et flens, cum idem et frater faceret, et amici, meam fidem, vestram commendationem implorare cœpit. Cum admirarer, quid accidisset novi; dixit, ad se indicia manifestarum insidiarum esse delata, quæ essent ante adventum meum occultata, quod ii, qui ea patefacere possent, propter metum reticuissent:[14] eo autem tempore, spe mei præsidii, complures ea, quæ scirent, audacter ad se detulisse: in his amantissimum sui, summa pietate præditum, fratrem, dicere ea, quæ is me quoque audiente dicebat, se solicitatum esse,[k] ut regnare vellet: id vivo fratre suo accidere non potuisse: se tamen ante illud tempus eam rem nunquam in medium, propter periculi metum,[l] protulisse. Quæ cum esset locutus, monui regem, ut omnem diligentiam ad se conservandum adhiberet; amicosque, patris[m] ejus atque avi judicio[15] probatos, hortatus sum, re-

mihi maxime edd. vett.—12 Ita Pall. 1. 6. Victor. *Cum ei ego* edd. vett. Statim, *dixissem; et tamen adolescentem esse cohortatus* Hitt. Pall. 1. 6. Paulo post *atque admoniti* Amstel. Stewech. *atque admonitum* Gulielm.—13 *Postremo autem die* Stewech. *cum Ariarate* Victor. *cum Ariarte v. cum Ariarthe ψ. et paternis amicis* al. ap. Græv. Tum, *perturbatus esset flens v. vestramque commendationem* cod. Græv.—14 Ita Dresd. 1. 3. 4. 5. Torg. Lips. *renuntiassent* Dresd. 2. Pal. 1. Stewech. *tacuissent* Pal. 6. *obticuissent* vet. cod. Græv. Statim, *audacter* deest in Hitt. *audace* habet Stewech. Tum, *amantissimum sibi* Hitt. *amantissimum suum* Stewech. *dicere ea quæ me is* Stewech. *dicere, ea quæ is me* Lamb.—15 Plurimi codd. Victorii et Manut. cum Dresd. 2. 5. et Ascens. 1. *amicosque in patris ejus atque judicio;* edd. quædam vett. *amicosque in patris*

NOTÆ

[i] *Interitus paterni*] Ariobarzanis pater, regno pulsus, a Mithridate, et Pompeii beneficio restitutus, per insidias interfectus est.

[k] *Solicitatum esse*] Ut fratrem occideret, quo vivo regnare non poterat.

[l] *Propter periculi metum*] Ne, si indicasset, occisus fuisset ab iis, qui eum solicitaverant.

[m] [*In*] *patris*] Censeo cum bene multis interpretibus, tollendam præpositionem *in*.

gis[h] sui vitam, docti casu acerbissimo patris ejus, omni cura custodiaque defenderent. Cum rex a me equitatum cohortesque[i] de exercitu meo postularet; etsi intelligebam, vestro senatusconsulto[16] non modo posse me id facere, sed etiam debere; tamen, cum respublica postularet, propter quotidianos ex Syria nuntios, ut quam primum exercitum ad Ciliciæ fines adducerem; cumque mihi rex, patefactis jam insidiis, non egere exercitu populi Romani, sed posse se suis opibus defendere videretur; illum cohortatus sum, ut in sua vita conservanda primum regnare disceret: a quibus perspexisset sibi insidias paratas, in eos uteretur jure regio: pœna afficeret eos, quos[17] necesse esset; reliquos metu liberaret: præsidio exercitus mei ad eorum, qui in culpa essent, timorem potius, quam ad contentionem[k] uteretur: [*p.* 243.] fore autem, ut omnes, cum senatusconsultum nossent,[18] intelligerent, me regi, si opus esset, ex auctoritate vestra præsidio futurum. Ita confirmato illo, ex eo loco castra movi; iter in Ciliciam[19] facere institui: cum hac opinione e Cappadocia discederem, ut consilio vestro, casu incredibili ac pæne divino, regem, quem vos honorificentissime appellassetis, nullo postulante,[l n] quemque meæ fidei commendassetis, et cujus salutem magnæ vobis curæ esse decrevissetis, meus adventus præsentibus

[h] *Et hortatus sum eos, quibus ejus pater fidem habuerat, et de quibus optime judicare solitus erat, ut regis, &c.*
[i] *Peditesque.* [k] *Ad dimicationem.* [l] *Sponte vestra.*

ejus fide atque judicio; Dresd. 3. *amicosque in patris ejus judicio;* Schottus emend. *amicosque patris ejus avique judicio;* Benedict. suspic. *amicosque mihi patris ejus æque judicio.* Lectio nostra est e conj. Popinæ.—16 Pall. 1. 6. *senatus consilio.* Statim, *posse id me facere* Hitt. Paulo post, *cumque rex mihi* vet. cod. Græv. *patefactis insidiis non egeret exercitu* codex unus Oxon. Deinde, *sed posse suis* Dresd. 2. 3. 4. *si posse suis v.*—17 Ita Hitt. Stewech. Pal. 6. *pœna afficeret quos* edd. vett.—18 Ita codd. Victor. *cum S. C. novissent* Hitt. *quando s. nossent* quatuor Dresd. P, cum multis edd. Statim, *præsidio esse futurum* edd. vett.—19 Oliv. et al. *et iter in Cil.* Paulo post, *quem et meæ fidei mandassetis* Hitt. *curæ vobis esse* vet. cod. Græv. Pro *liberavit,* quod e conj. dedit Ernesti, edd. vett. habent *liberasset;* Pall. 1. 6. Victor.

NOTÆ

[n] *Nullo postulante*] Cicerone tamen consule ad senatum referente.

insidiis liberarit. Quod ad vos a me scribi, non alienum putavi, ut [20] intelligeretis ex iis, quæ pæne acciderunt, vos multo ante, ne ea acciderent, providisse: eoque vos studiosius feci certiores, quod in rege Ariobarzane ea mihi signa videor virtutis, ingenii, fidei, benevolentiæque erga vos perspexisse, ut non sine causa tantam curam diligentiamque in ejus vos salutem videamini contulisse.

(3.) M. T. C.[o] M. CATONI S. D.[1]

ARGUMENTUM.—De rumore belli Parthici scribit; et quare publice non scripserit, excusat.

CUM ad me legati, missi ab Antiocho Commageno, venissent in castra ad Iconium a. d. III Non. Septembr. iique mihi nuntiassent, regis Parthorum filium,[m] quocum esset nupta regis Armeniorum[n] soror, ad Euphraten [2] cum maximis Parthorum copiis, multarumque præterea gentium[o] magna manu venisse, Euphratenque jam transire cœpisse; dicique Armenium regem in Cappadociam[p] impetum esse facturum; putavi, pro nostra necessitudine, me hoc ad te scribere[p] oportere. Publice[q] propter duas causas nihil scripsi; quod et ipsum Commagenum legati dicebant

[m] *Pacorum.* [n] *Artuasdis.* [o] *Arabum.*
[p] *Cumque nuntiassent, dici Artuasdem in Cappadociam, &c.*
[q] *Ad senatum.*

liberaret.—20 Ita Dresd. 4. 5. *ut* omittunt Dresd. 2. 3. ψ, Victor. Paulo post, *quo in rege* Dresd. 2. Voc. *fidei* deest in *v.* Tum, *tantam curam in ejus vos salutem diligentiamque videamini* Amstel. *tantam curam in ejus nos salute diligentiaque videamini* Mentel. *tantam curam benevolentiamque in ejus vos salutem videamini* edd. vett. *tantam curam in ejus vos salutem videamini* Pall. 1. 6. Victor. *diligentiaque v. salute v* ψ. *Valete* addit codex unus Oxon.

EPIST. III. 1 *Marcus Cicero M. Catoni S. D.* codd. Grævii; *M. T. C. Procos. Imp. M. Catoni S. D.* edd. vett. *Marcus Cicero Imp. M. Catoni S. D.* Dresd. 2. 3. 4. Ascens. 1.—2 Ita Hitt. *Eufraten* Pal. 6. *Euphratem* edd.

NOTÆ

[o] [*Cicero Imperator*] Huic titulo mendum inesse patet, necdum enim imperatoris appellationem erat Cicero consecutus.

[p] *Ad te scribere*] Quoniam Cappadocia erat in Catonis clientela, ut videre est in Epist. sequenti.

ad senatum statim nuntios literasque misisse; et existimabam, M. Bibulum proconsulem, qui circiter Idus Sextiles ab Epheso in Syriam navibus profectus erat, quod secundos ventos habuisset, jam[3] in provinciam suam pervenisse; cujus literis omnia certiora[q] perlatum iri ad senatum putabam. Mihi, ut in hujusmodi re,[r] [4] tantoque bello, maximæ curæ est, ut, quæ copiis et opibus tenere vix possimus, ea mansuetudine et continentia[s] nostra, sociorum fidelitate teneamus. Tu velim, ut consuesti, nos absentes diligas et defendas.

(4.) M. T. C. IMP. M. CATONI S. D.

ARGUMENTUM.—Res, a se in provincia gestas, narrat ordine, et ut in senatu supplicationes sibi decernat, petit.

SUMMA tua auctoritas fecit, meumque perpetuum de tua singulari virtute judicium, ut magni mea interesse putarem,[1] et res eas, quas gessissem, tibi notas esse, et non ignorari a te, qua æquitate et continentia[a] tuerer socios, provinciamque administrarem. His enim a te cognitis, arbitrabar, facilius me tibi, quæ vellem, probaturum.[b] Cum in provinciam pridie Kal. Sext. venissem, et propter anni tempus ad exercitum mihi confestim esse eundum[2] viderem, biduum Laodiceæ[a] fui; deinde Apameæ quatriduum;

[r] *Ut in re difficillima.* [s] *Moderatione.*
[a] *Qua moderatione.* [b] *Persuasurum.*

vett. Mox, *magna venisse manu* Hitt.—3 Quatuor Dresd. Torg. Lips. *v, habuit se jam.* Mox, voc. *certiora* deest in Peck.—4 Dresd. 2. 3. *ut in ejusmodi re.* Statim, *maxime curæ est* edd. vett. Deinde, *tenere vix possumus* edd. ante Ernesti, qui e cod. Erf. et e Lips. a m. sec. primus edidit *possimus;* vet. cod. Græv. *vix tenere possumus.* Denique, *fidelitate tenemus* quatuor Dresd. Torg. Lips. *fideliter teneamur* Non. Marcell.

EPIST. IV. 1 Codex unus Oxon. *putares.*—2 Vat. *esse eundem.* Mox, *Si-*

NOTÆ

[q] *Omnia certiora*] Quia Syria, quam Bibulus regebat, Parthis vicina est.

[a] *Biduum Laodiceæ*] Hic memoria lapsus videtur Cicero; scribens enim ad Att. v. 16. sic loquitur: 'Moratus triduum Laodiceæ, triduum Apameæ, totidem dies Synnadæ.' Et ibidem Epist. 20. ait, se moratum esse biduum Laodiceæ, quinque dies Apameæ, triduum Synnadis, Philomeli quinque dies, Iconii decem.

triduum Synnadis; totidem dies Philomeli. Quibus in oppidis cum magni conventus[b] fuissent, multas civitates acerbissimis tributis,[c] et gravissimis usuris, et falso ære alieno liberavi. Cumque ante adventum meum seditione quadam exercitus esset dissipatus, quinque cohortes sine legato, sine tribuno militum, denique etiam sine centurione[3] ullo apud Philomelum[d] consedissent, reliquus exercitus esset in Lycaonia; M. Anneio[4] legato imperavi, ut eas quinque cohortes ad reliquum exercitum duceret, coactoque in unum locum exercitu, castra in Lycaonia apud Iconium faceret. [*p.* 244.] Quod cum ab illo diligenter esset actum;[5] ego in castra a. d. VII Kal. Septemb. veni; cum interea superioribus diebus ex senatusconsulto, et evocatorum[e] firmam manum, et equitatum sane idoneum, et populorum liberorum regumque sociorum auxilia voluntaria comparavissem. Interim cum, exercitu lustrato, iter in in Ciliciam facere cœpissem, Kal. Septemb.[f] legati a rege Commageno ad me missi, pertumultuose, neque tamen non vere, Parthos in Syriam transisse nuntiaverunt. Quo audito, vehementer sum commotus, cum de Syria, tum de mea provincia, de reliqua denique Asia. Itaque exercitum mihi ducendum per Cappadociæ regionem eam, quæ Ciliciam attingeret, putavi. Nam si me in Ciliciam demisissem,[6] Ciliciam quidem ipsam propter montis Amani naturam facile

nandis ψ. *Synadæ* Lamb. *Synade* al. ap. Græv.—3 Hitt. Pal. 6. *denique sine centurione.* Statim, *Philomeleum* Amstel. Dresd. 2. *Philomeneum* Hitt. Pal. 6. *Philomelium* Dresd. 3. *Philomellum* Dresd. 4. 'Ernesti edere debuisset *Philomelium*, sicut recte ediderat in Verr. III. 83.' *Benedict.*—4 *Manneio* Pall. 1. 6. ψ. *Maneio* al. ap. Græv. *Manucio v.*—5 Hitt. et Pal. 6. *factum.* Mox, pro *sane idoneum*, quod testantur Pall. 1. 6. Hitt. Stewech. *satis idoneum* legitur in edd. vett. *et populum liberorum* Dresd. 2. 4. ψ, Amstel. *regumque et sociorum* quatuor Dresd. *v* ψ, al. ap. Græv. et Ascens. 1.—6 Cod. ψ *di-*

NOTÆ

[b] *Conventus*] Ad jus dicendum fieri soliti.

[c] *Acerbissimis tributis*] Quæ Appius Ciliciæ ante Ciceronem proconsul imposuerat. Epist. ad Att. v.

[d] *Apud Philomelum*] De hac urbe, et de aliis, quas appellat in hac Epistola, consule Indicem Geographicum.

[e] *Evocatorum*] Epist. III. 6.

[f] *Kal. Sept.*] Legendum, *tertio Kalend. Sept.*

tenuissem: (duo sunt enim aditus in Ciliciam ex Syria; quorum uterque parvis præsidiis propter angustias intercludi potest, nec est quicquam Cilicia contra Syriam munitius:) sed me[7] Cappadocia movebat, quæ patet a Syria,[c] regesque habet finitimos, qui etiamsi sunt amici nobis, tamen aperte Parthis inimici esse non audent. Itaque in Cappadocia extrema non longe a Tauro apud oppidum Cybistra castra feci, ut et Ciliciam tuerer, et Cappadociam tenens, nova finitimorum consilia impedirem. Interea in hoc tanto motu, tantaque expectatione maximi belli, rex Deiotarus, cui non sine causa plurimum semper et meo, et tuo, et senatus judicio, tributum est, vir cum benevolentia et fide erga populum Romanum singulari, tum præsentis magnitudine[8] et animi et consilii,[d] legatos ad me misit, se cum omnibus suis copiis in mea castra esse venturum. Cujus ego studio officioque commotus, egi ei per literas[9] gratias; idque ut maturaret, hortatus sum. Cum autem ad Cybistra, propter rationem belli, quinque dies essem moratus; regem Ariobarzanem, cujus salutem a senatu, te auctore, commendatam habebam, præsentibus insidiis nec opinantem liberavi: neque solum ei saluti fui; sed etiam curavi, ut cum auctoritate regnaret. Metram, et eum,[10] quem tu diligenter mihi commendaras, Athenæum, importunitate Athenaidis[g] exilio mulctatos, maxima apud regem

[c] *Ex parte Syriæ.* [d] *Tum præsenti animo, tum magno consilio.*

misissem. Mox, *montis amavi naturam v.*—7 Torg. et codex unus Oxon. omittunt *me.* Mox, *etiamsi sunt etiam amici* Bengel. Dresd. 4. *sunt et amici* Dresd. 3.—8 Hæc est emend. Ernesti; Dresd. 3. 4. alii codd. ap. Victor. et Manut. *tum præsentia, magnitudine;* Dresd. 5. *tum præstante magnitudine;* Ascens. 1. *tum præstantie et magnitudine;* Torg. *tum præsentia et magnitudine tum et consilii;* Lamb. e codd. Memm. *tum præsenti magnitudine;* Græv. legit *tum præsentia et magnitudine.*—9 Dresd. 3. 5. Ascens. 1. *egi per literas;* Dresd. 2. 4. Torg. Ascens. 1. *egi et per literas,* probante Benedict.—10 *Et Metram et eum*

NOTÆ

[g] *Athenaidis*] Mulieris nomen esse crediderim, potius quam civitatis, ut nonnulli volunt. Per 'importunitatem,' intelligitur crudelis et impotens dominatio.

auctoritate gratiaque constitui. Cumque magnum bellum in Cappadocia concitaretur, si sacerdos[h] armis se (quod facturus putabatur) defenderet, adolescens et equitatu et peditatu et pecunia paratus, et toto[i] iis,[11] qui novari aliquid volebant;[e] perfeci, ut e regno ille[f] discederet; rexque, sine tumultu, ac sine armis, omni auctoritate aulæ communita,[g] regnum cum dignitate obtineret. Interea cognovi multorum literis atque nuntiis, magnas Parthorum copias et Arabum[12] ad oppidum Antiochiam[k] accessisse, magnumque eorum equitatum, qui in Ciliciam transisset, ab equitum meorum turmis, et a cohorte prætoria, quæ erat Epiphaniæ[l] præsidii causa, occidione occisum. Quare cum viderem, a Cappadocia Parthorum copias aversas, non longe a finibus esse Ciliciæ; quam potui maximis itineribus ad Amanum exercitum duxi. Quo ut veni,[13] hostem ab Antiochia recessisse, Bibulum Antiochiæ esse cognovi: Deiotarumque confestim,[14] jam ad me veni-

[e] *Et omni re iis necessaria, qui seditiones excitare volunt.*
[f] *Sacerdos Comanus.* [g] *Regis auctoritate per me corroborata.*

Peck. Actutum, *quem tu mihi diligenter* Dresd. 2. 3. Torg.—11 Pro *et toto iis*, alii legunt *et sociis;* alii *extorta iis;* quidam *ultroneis*, sive *et vero his*, sive *et tot his;* Victor. conj. *et omnino his.*—12 Ita Torg. *P. copias Arabum* quatuor Dresd. et Ascens. 1. Statim, *Antiocheam* Pal. 1. Amstel. Dresd. 2. 3. ψ. Deinde, *equitatu majorum v. equitatu meorum* ψ. *obsidione occisum* in eodem cod.—13 *Quo cum veni* al. ap. Græv.—14 *Deiotarum confestim* quatuor Dresd. Torg. Victor. Ascens. 1. Statim, *equitatu vel peditatu v. et peditatu* desunt

NOTÆ

[h] *Sacerdos*] Comanorum, summæ in Cappadocia auctoritatis, quem scilicet gens illa secundum post regem agnoscebat, et reverebatur; nec raro contingebat ut rex, et sacerdos ille ex eadem stirpe prognati essent. Vide Hirtium de bello Alexandrino.

[i] *Toto*] Dicitur a Cicerone pro ea re, ex qua maxime pendet alicujus rei exitus, et in qua summa omnia posita sunt.

[k] *Antiochiam*] Multæ fuerunt hoc nomine civitates: 1. in Mesopotamia, non procul a Tigri, *Nisibis;* 2. in Pisidia; 3. in Cilicia; 4. ad Taurum montem, inter Issum et Euphratem; 5. in Caria ad Mæandrum fluvium: sed omnium nobilissima est Antiochia Syriæ, nunc *Antachia*, de qua hic agitur, ad Orontem fluvium exstructa a Seleuco Nicanore, deinde ab Antiocho rege Syriæ instaurata, et amplificata.

[l] *Epiphaniæ*] Ciliciæ civitas est, ab illa diversa, quæ in Syria ad fluvium Orontem sita est: differt ab ea quoque, quæ in Commagene Euphrati imminet.

entem cum magno et firmo equitatu et peditatu, et cum omnibus suis copiis, [*p.* 245.] certiorem feci, non videri esse causam, cur abesset a regno;[h] meque ad eum, si quid novi forte accidisset, statim literas nuntiosque missurum esse. Cumque eo animo venissem, ut utrique[15] provinciæ,[i] si ita tempus ferret, subvenirem; tum id, quod jam ante statueram vehementer interesse utriusque provinciæ, pacare Amanum, et perpetuum hostem ex eo monte tollere, agere perrexi. Cumque me discedere[16] ab eo monte simulassem, et alias partes Ciliciæ petere, abessemque ab Amano iter unius diei, et castra apud Epiphaniam fecissem; a. d. quartum Idus Octobres, cum advesperasceret, expedito exercitu ita noctu iter feci, ut a. d. tertium Idus Octobres, cum lucisceret, in Amanum ascenderem; distributisque cohortibus et auxiliis, cum aliis Q. frater, legatus, mecum simul; aliis C Pomtinus,[17] legatus; reliquis M. Anneius, et L. Tulleius, legati, præessent; plerosque necopinantes oppressimus, qui occisi captique sunt, interclusi fuga. Eranam autem,[18] quæ fuit non vici instar, sed urbis, quod erat Amani caput, itemque Sepyram,[m] et Commorin, acriter et diu repugnantibus, Pomtino illam partem Amani tenente, ex antelucano tempore, usque ad horam diei deci-

[h] *A Galatia.* [i] *Syriæ et Ciliciæ.*

in ψ. *si quid forte novi* vet. cod. Græv.—15 Codex unus Oxon. cum al. ap. Græv. *ut utrimque.* Actutum, *si ita opus foret* duo Memm. *subvenissem v. tamen id quod jam ante constitueram* edd. vett. *tamen id quod jam ante statueram* vet. cod. Græv. *pacare* deest in *v. agere* deest in ψ.—16 *Cumque me descendere v.* Paulo post, *ante diem Idibus Octobr.* cod. Græv. Hæc omnia, *cum advesperasceret ... Idus Octobres*, desunt in *v. cum lucesceret* Dresd. 2. 3. 4. Torg. —17 *Pomitinus* Dresd. 2. 3. Amstel. Torg. *Prontinus* Dresd. 4. *Pontinus* Dresd. 5. *Pontius* Ascens. 1. Vid. Var. Lectt. ad II. 15.—18 Hæc lectio eruta est e cod. Medic. *interclusi fugerunt: amavi autem* Amstel. *interclusi fugerant: amanei autem* Dresd. 2. Pal. 1. Ed. pr. Ascens. 1. *interclusi reliqui. Fugeranam autem* edd. vett. Mox, *Sepyram et Comminorum* Pal. 1. *Sepiram et Commori* Amstel. *Sepyram et Commorim* P. *Sepyram et Cominorum* ψ. Tum, *Pomtinio* Hitt. *Pomitinio* Amstel. *v.* ψ. *magna m. h.*

NOTÆ

[m] *Eranam ..... Sepyram, &c.*] Ad Amanum montem, ignota prorsus loca, et quibus bellica Ciceronis expeditio non multo illustrius nomen fecit.

mam, magna multitudine hostium occisa, cepimus: castellaque sex capta: complura incendimus. His rebus ita gestis,[19] castra in radicibus Amani habuimus apud Aras Alexandri quatriduum: et in reliquiis Amani delendis, agrisque vastandis, quæ pars ejus montis meæ provinciæ est, id tempus omne consumsimus. Confectis his rebus, ad oppidum Eleutherocilicum[k] [20] Pindenissum exercitum adduxi: quod cum esset altissimo et munitissimo loco, ab iisque incoleretur, qui ne regibus quidem unquam paruissent; cum et fugitivos reciperent, et Parthorum adventum acerrime expectarent; ad existimationem imperii pertinere arbitratus sum, comprimere eorum audaciam; quo facilius etiam ceterorum animi, qui alieni essent ab imperio nostro, frangerentur. Vallo et fossa circumdedi: sex castellis, castrisque maximis sepsi: aggere, vineis, turribus oppugnavi:[21] ususque tormentis multis, multis sagittariis, magno labore meo, sine ulla molestia sumtuve sociorum, septimo quinquagesimo die rem confeci; ut, omnibus partibus urbis disturbatis aut incensis, compulsi in potestatem meam pervenirent. His erant finitimi pari scelere et audacia Tibarani:[22] [n] ab his, Pindenisso capto, obsides accepi; exercitum in hyberna dimisi. Q. fratrem negotio præposui, ut in vicis, aut captis, aut male pacatis, exercitus collocaretur. Nunc velim tibi sic persuadeas,[23] si de his rebus ad senatum relatum sit,[l] me existimaturum, summam mihi laudem tributam, si tu honorem meum sententia

[k] *Liberorum Cilicum.* [l] *Ut mihi supplicationes decernantur.*

excisa Peck.—19 *His ita rebus gestis* Hitt. Paulo post, *in reliquis Amani* Pal. 6.—20 *Eleucho cilicum v. Eleutherorum Cilicum* Hitt. Statim, *ab iisque incolerent . . . tum et fugitivos, &c. v.*—21 Codd. *v ψ oppugnamus.* Actutum, *hisque tormentis v. ususque multis tormentis* Pall. 1. 6.—22 Ita tres codd. Gulielm. et Victor. *Thebarani* quatuor codd. Dresd. Torg. Pal. 1. *Tebarani* Amstel. Græv. 2. P ψ. *Tebariani* Ascens. 1. *Thebani* Peck. *Thebare v.*—23 Dresd. 2. 4. Torg. *sic tibi persuadeas.* Mox, *summam tibi laudem* Dresd. 2. 3. 4. Torg.

NOTÆ

[n] *Tibarani*] Amani montis incolæ, hucusque geographis ignota gens.

tua comprobaris.[m] Idque, etsi talibus de rebus gravissimos homines et rogare solere,[n] et rogari scio, tamen admonendum potius te a me, quam rogandum puto. Tu es enim is,[24] qui me tuis sententiis sæpissime ornasti; qui oratione, qui prædicatione, qui summis laudibus in senatu, in concionibus, ad cœlum extulisti; cujus ego semper tanta esse verborum pondera putavi, ut uno verbo tuo, cum mea laude conjuncto, omnia assequi me arbitrarer.[25] [*p.* 246.] Te denique memini, cum cuidam clarissimo atque optimo[o] viro supplicationem non decerneres, dicere, te decreturum, si referretur ob eas res, quas is consul[26] in urbe gessisset. Tu idem mihi supplicationem decrevisti togato,[p] non ut multis, republica bene gesta, sed, ut nemini, republica conservata.[o] Mitto, quod invidiam, quod pericula, quod omnes meas tempestates,[q] et subieris,[p] et multo etiam magis,[27] si per me licuisset, subire paratissimus fueris; quod denique inimicum meum,[r] tuum inimicum putaris; cujus etiam interitum (ut facile intelligerem, mihi quantum tribueres) Mi-

[m] *Si res a me præclare gestas judicio tuo et auctoritate comprobaris.*

[n] *Et licet scio, summæ auctoritatis viros sæpe rogare, ut hic honos sibi tribuatur.*

[o] *Exstincta prorsus conjuratione Catilinaria.*

[p] *Omitto, quod in partem veneris, et odii Clodiani, et periculorum meorum, et calamitatum.*

Ascens. I.—24 Dresd. 4. al. ap. Græv. Ascens. 1. *Is* omittunt *sententiis quam sæpissime* Dresd. 2. *ornasti* deest in *v.*—25 Ita Vat. Pall. 1. 6. Amstel. *omnia me assequi arbitrarer* vet. cod. Græv. *omnia consequi me arbitrarer* edd. vett.—26 Ita Hitt. codd. Victorii, Torg. Dresd. 5. *quas consul* Dresd. 2. 3. 4. *v*, quatuor codd. Manutii, et vulg. ante Græv. *in urbe gessimus. Et tu, &c.* codex unus Oxon.—27 Tres codd. Gulielm. et Pal. 6. *et multo magis etiam;* vet. cod. Græv. *et multo magis,* omisso *etiam.* Paulo post, *quantum tribueris*

NOTÆ

[o] *Clarissimo atque optimo*] Hæc verba cum Victorio ad Lentulum Spintherem refero, qui cum Tullium exulem restituisset, et deinde ob ea quæ præclare gesserat in Cilicia, supplicationes peteret, adversum sibi, infensumque Catonem habuit, cujus hæc forte vox tum audita est, 'se decreturum, si referretur ob eas res quas idem consul,' id est, quas Lentulus pro restituendo Cicerone, in urbe gessisset.

[p] *Togato*] Id est, mihi consuli, ob Catilinam oppressum.

[q] *Meas tempestates*] Excitatas a Clodio.

[r] *Inimicum meum*] Clodium, quem Milo interfecit. Cato autem se Milonis defensorem, et patronum cum Cicerone exhibuit.

lonis[s] causa in senatu defendenda, approbaris. A me autem hæc sunt profecta,[28] quæ ego in beneficii loco non pono, sed in veri testimonii, atque judicii;[q] ut præstantissimas tuas virtutes non tacitus admirarer, (quis enim idem non facit?) sed in omnibus orationibus, sententiis dicendis, causis agendis, omnibus scriptis, Græcis, Latinis, omni denique varietate literarum mearum,[r] te non modo iis, quos vidissemus, sed iis, de quibus audissemus, omnibus anteferrem. Quæres fortasse, quid sit, quod ego hoc nescio quid gratulationis[s] et honoris a senatu, tanti æstimem. Agam jam tecum familiariter, ut est et studiis et officiis nostris mutuis, et summa amicitia dignum, et necessitudine etiam paterna. Si quisquam fuit unquam remotus et natura, et magis etiam, ut mihi quidem sentire videor,[29] ratione atque doctrina, ab inani laude, et sermonibus vulgi, ego profecto is sum. Testis est consulatus meus; in quo, sicut in reliqua vita, fateor, ea me studiose secutum, ex quibus vera gloria nasci posset: ipsam quidem gloriam per se nunquam putavi expetendam. Itaque et provinciam ornatam,[t] et spem non dubiam triumphi, neglexi. Sacerdotium[t] denique, cum (quemadmodum te existimare arbitror) non difficillime consequi possem, non appetivi. Idem post injuriam acceptam, (quam tu reipublicæ calamitatem semper appellas, ego meam non modo non calamitatem,[30]

[q] *Quæ vero tua causa feci, nolim ut consideres velut beneficia, sed ut vera testimonia meæ de te opinionis.*

[r] *In omnibus denique scriptis meis.*

[s] *Nescio quam supplicationem.*

[t] *Auguratum.*

Torg. Dresd. 2. 3. Ascens. 1.—28 Dresd. 2. 3. Torg. *sunt perfecta;* Dresd. 3. *sunt pfecta.* Statim, *non ut præstantissimas tuas virtutes tacitus admirarer* edd. vett. *quis enim te id non facit* Dresd. 2. 3. 5. Torg. *quis enim id te non facit* Dresd. 4. *quis enim id non facit* Victor. Bengel. *quis enim de te id non facit* conj. Benedict.—29 Victor. *ut sentire quidem mihi videor.*—30 Ita

NOTÆ

[s] *Milonis*] De quo sic Velleius, 'vir inquies, et ultra fortem temerarius.'

[t] *Provinciam ornatam*] Galliam citeriorem, quam reclamante populo in concione deposuit. Hæc provincia dicebatur ornata, cujus proconsuli decernebantur a senatu, et publico sumtu, quæ necessaria erant.

sed etiam gloriam[u]) studui quam ornatissima senatus populique Romani de me judicia intercedere.[x] Itaque et augur postea fieri volui,[u] quod antea neglexeram; et eum honorem,[y] qui a senatu tribui rebus bellicis solet, neglectum a me olim, nunc mihi expetendum puto.[x] Huic meæ voluntati, in qua inest aliqua[31] vis desiderii ad sanandum vulnus injuriæ,[z] ut faveas, adjutorque sis,[y] (quod paulo ante me negaram rogaturum) vehementer te rogo: sed ita, si non jejunum hoc nescio quid, quod ego gessi,[a] et contemnendum videbitur, sed tale atque tantum, ut multi, nequaquam paribus rebus, honores summos[b] a senatu consecuti sint. Equidem[32] etiam mihi illud animum advertisse videor; (scis enim, quam attente te audire soleam[z]) te non tam res gestas, quam mores, instituta, atque vitam imperatorum spectare solere, in habendis aut non habendis honoribus. Quod si in mea causa[c] considerabis, reperies, me exercitu imbecillo,[33] contra metum maximi belli,[d] firmissimum præsidium habuisse æquitatem et continentiam. His ego subsidiis ea sum consecutus, quæ nullis legionibus consequi potuissem; ut ex alienissimis sociis amicissimos, ex in-

[u] *Postquam in exilium pulsus sum, quod exilium reipublicæ calamitatem tu nominas, ego meam gloriam.*

[x] *Dedi operam, ut senatus populusque Romanus de me semper honorificentissime sentirent.*

[y] *Triumphum.* [z] *Ad delendam penitus exilii mei infamiam.*

[a] *Si non inanis est omnino victoria quam retuli.* [b] *Triumphum.*

[c] *In hoc præsenti negotio.* [d] *Parthici.*

emend. Ernesti; *appellas, meam non modo non calamitatem* codd. fere et edd. vett. *appellas, meam non modo calamitatem* Pal. 6. Verba, *semper appellas, e. m. n. m. n. calamitatem,* desunt in *v* ψ. *sed etiam gloria* ψ.—31 Hitt. et Pal. 6. *in qua inest aliquid; v in qua est aliqua.* Paulo post, *si tale* Hitt. *partibus rebus* Pal. 6. *consecuti sunt* Dresd. 2. 4. 5. *consecutis* Pal. 6.—32 *In te quidem* Hitt. Pal. 6. *etiam mihi illud animadvertisse* Torg. Lips. Dresd. 1. 3. 4. cum uno cod. Oxon. et edd. vett. Mox, *aut non habendis* desunt in Hitt. et Pal. 6.—33 Hitt. *imbello;* Pal. 6. *in bello.* Statim, *præsi-*

NOTÆ

[u] *Fieri volui*] In locum Crassi a Parthis interfecti.

[x] *Expetendum puto*] Ut dignitatem meam, quam exilii tempore pæne totam perdidi, abunde resarciam.

[y] *Adjutorque sis*] In supplicatione obtinenda.

[z] *Audire soleam*] Quando tuam de honoribus imperatori concedendis sententiam aperis.

fidelissimis firmissimos redderem, animosque novarum rerum expectatione suspensos, ad veteris imperii[e] benevolentiam traducerem. [*p.* 247.] Sed nimis hæc multa de me, præsertim ad te, a quo uno omnium sociorum querelæ audiuntur: cognosces ex iis, qui meis institutis[f] se recreatos putant. Cumque omnes uno prope consensu de me apud te ea, quæ mihi optatissima sunt, prædicabunt; tum duæ maximæ clientelæ[34] tuæ,[a] Cyprus insula et Cappadociæ regnum, tecum de me loquentur:[g] puto etiam regem Deiotarum, qui uni tibi est maxime necessarius.[h] Quæ si etiam majora sunt; et in omnibus sæculis pauciores viri[35] reperti sunt, qui suas cupiditates, quam qui hostium copias vincerent; est profecto tuum,[b] cum ad res bellicas hæc, quæ rariora et difficiliora sunt, genera virtutis adjunxeris, ipsas etiam illas res gestas, justiores[i] et majores putare.[36] Extremum illud est, ut, quasi diffidens rogationi meæ, philosophiam ad te allegem;[k] [37 c] qua nec mihi carior ulla unquam res in vita fuit, nec hominum generi majus a Diis munus ullum est datum. Hæc igitur, quæ mihi tecum communis est, societas studiorum atque artium nostrarum (quibus a pueritia dediti ac devincti, soli propemodum nos

[e] *Imperii Romani.* [f] *Moderata mea administrandi ratione.*
[g] *Quæ sub tua clientela sunt, de me honorifice loquentur.*
[h] *De me etiam honorifice locuturum.*
[i] *Triumpho et supplicatione digniores.* [k] *Mittam.*

dium attulisse Dresd. 2. *æquitate et continentia* Dresd. 3.—34 Al. ap. Græv. *duæ maxime clientelæ.*—35 Voc. *viri* deest in quibusdam codd. Græv.—36 Edd. ante Ernesti *justiores esse et majores putare.* ' Ernesti sine codd. auctoritate, et sine justa causa, delevit *esse.*' Benedict.—37 Codex unus

NOTÆ

[a] *Maximæ clientelæ tuæ*] Cyprus erat sub clientela Catonis, quoniam hæc insula in populi Romani potestatem ejus opera venerat; Cappadocia autem, quia regem Ariobarzanem diligebat singulariter, feceratque, ut Ciceroni in Ciliciam abeunti, senatus eum commendaret.

[b] *Est profecto tuum*] Tui muneris est, cum ego virtuti bellicæ æquitatem, et continentiam adjunxerim, quæ quidem in ducibus raro reperiuntur, tuum, inquam, est concludere res a me bello gestas justiores, &c. Lege interpretationem.

[c] *Allegem*] Quæ pro me tibi supplicet.

philosophiam illam veram et antiquam, quæ quibusdam otii esse ac desidiæ videtur, in forum atque in rempublicam,[38] atque in ipsam aciem pæne deduximus) tecum agit de mea laude, cui negari a Catone fas esse non puto.[l] Quamobrem tibi sic persuadeas,[39] velim: si mihi tua sententia tributus honos ex meis literis fuerit,[m] me sic existimaturum, cum auctoritate tua, tum benevolentia erga me, mihi, quod maxime cupierim, contigisse.[n] Vale.[40]

(5.) M. CATO M. T. C. IMP. S. P. D.[1]

ARGUMENTUM.—Excusat se, quod supplicationem non decreverit: et tamen decretam gaudet: seque honorificentius dicit sensisse, quam eos, qui supplicationem decreverant.

QUOD et respublica me et nostra amicitia hortatur, libenter facio, ut tuam virtutem, innocentiam, diligentiam, cognitam in maximis rebus, domi togati,[a] armati foris, pari industria administrari[2] gaudeam.[a] Itaque, quod pro meo judicio[b] facere potui, ut innocentia consilioque tuo

[l] *Hæc igitur philosophia vera, et antiqua, quam nonnulli ad inertes duntaxat, et otiosos pertinere arbitrabantur, et quam nos ambo cum actione forensi sociavimus; hæc, inquam, philosophia tuum pro me auxilium implorat, teque hortatur, ut laudem meam decreta supplicatione adjuves: hoc autem a Catone denegari philosophiæ fas esse non puto.*

[m] *Vi harum literarum, quas ad te nunc scribo.*

[n] *Supplicationem publicam mihi decretam fuisse.*

[a] *Meus erga te et rempublicam amor facit, ut gaudeam tuam virtutem exerceri semper, et lucere in maximis rebus, tum Romæ in consulatu tuo, tum foris in exercitu.*

Oxon. *ad te relegem.* Mox, *munus* deest in ψ.—38 Ita Hitt. Pall. 1. 6. Victor. *in forum atque remp.* edd. vett. *agit* post *tecum* deest in *v.*—39 Ita codd. Grævii; *sic tibi persuadeas* edd. vett. *ex meis literis fuit v. me existimaturum* edd. vett. *sic* firmant tres codd. Gulielm. Pall. 1. 6. Vat. Amstel. Victor. —40 *Vale* deest in codd. Grævii, Dresd. 1. 2. 3. 4. 5. Lips. P.

EPIST. V. 1 *M. Cato C. Imp. S. D.* Hitt. *M. Cato S. D. M. Ciceroni Imp.* codd. Dresd. et Benedict.—2 Ita codd. Victor. Torg. Pal. 6. Vat. et Manut.

NOTÆ

[a] *Domi togati*] Quando togatus, seu consul, Catilinariæ factionis incendium exstinxit. Toga pacis insigne fuit, sicut sagum belli.

[b] *Pro meo judicio*] Ratione adductus te laudavi; qui vero supplicationem tibi decreverunt, id fecerunt scilicet gratiæ tuæ captandæ causa. Hæc longe aliter interpretatus est Cicero; scribens enim ad Atticum, ait, Catonem suæ gloriæ et dignitati invidisse.

defensam provinciam,[b] servatum Ariobarzanis cum ipso rege regnum,[c] sociorum revocatam ad studium imperii nostri voluntatem,[d] sententia mea et decreto laudarem,[3] feci. Supplicationem decretam, si tu, qua in re nihil fortuito,[c] sed summa tua ratione et continentia,[4] reipublicæ provisum est, Diis immortalibus gratulari nos, quam tibi referre acceptum mavis, gaudeo.[e] Quodsi triumphi [5] prærogativam [d] putas supplicationem,[f] et idcirco casum [e] potius, quam te laudari mavis;[g] neque supplicationem sequitur semper triumphus, et triumpho multo clarius est,[f] senatum

[b] *Quare non assentandi causa, sed ratione adductus et judicio meo, laudavi te palam in senatu, quod Ciliciam innocentia et prudentia tua contra metum belli Parthici defenderis.*

[c] *Quod Ariobarzanem cum ipsius regno conservaveris.*

[d] *Quod alienatas sociorum voluntates ad benevolentiam reipublicæ nostræ iterum revocaveris.*

[e] *Gaudeo supplicationem tibi decretam, si quidem mavis Diis immortalibus, quam tibi gratias agi, pro re, quæ non fortunæ, nec Diis immortalibus, sed prudentiæ et continentiæ tuæ tota debetur.*

[f] *Quod si putas impetratam supplicationem certissimum esse triumphi impetrandi signum.*

[g] *Et idcirco fortuitum eventum potius, quam virtutem tuam laudari vis, erras, neque enim, &c.*

administrare Amstel. Mentel. Græv. 2. Dresd. 2. 3. 4. 5. *v.*—3 Codex unus Oxon. *laudatam.*—4 Hitt. *fortuito summa tua ratione et conscientia.*—5 *Quod triumphi* ψ. *putas esse* al. ap. Græv. Statim, *potius* deest in Hitt. *quam te*

NOTÆ

[c] *Nihil fortuito*] Causam affert, cur supplicationem Tullio non decreverit; quia decerni solebat pro victoriis, quarum pars maxima Fortunæ, Diisque immortalibus debetur, cum res a Cicerone gestæ ejus æquitati, continentiæ, &c. tribui deberent. Artificiosa inprimis hæc Catonis Epistola; negata enim supplicatione, Ciceronem offenderat: Ciceroni tamen persuadere conatur se id fecisse, ut honorem illi haberet.

[d] *Prærogativam*] Hæc vox adjective sumitur, et substantive: adjective quidem tribus, aut centuria, *prærogativa* dicebatur, quæ prima in comitiis suffragium ferebat, cujus erat tanta auctoritas, ut ei ceteræ tribus, aut centuriæ vulgo assentirentur: substantive accipitur pro præjudicio, et certissimo rei futuræ signo, *un préjugé, une marque infaillible:* quæ significatio oritur ex eo quod, ut ante dixi, centuriam prærogativam reliquæ vulgo in suffragiis ferendis sequerentur.

[e] *Casum*] Per casum intelligit victoriam, quæ ex immortalibus Diis, et Fortuna potius, quam ex virtute pendet.

[f] *Multo clarius est*] Ex mente Catonis, supplicatio ad Deos immortales, ad Fortunam triumphus, laus vero ad virtutem unam pertinebat; unde consequens est ut fateatur Cicero, majorem se ex laudibus Cato-

judicare, potius mansuetudine et innocentia imperatoris,[h] provinciam, quam vi militum,[g] aut benignitate Deorum, retentam atque conservatam esse: quod ego mea sententia censebam. Atque hæc ego idcirco ad te contra consuetudinem meam[h] pluribus scripsi, ut, quod maxime volo,[i] existimes, me laborare, ut tibi persuadeam, me et voluisse de tua majestate, quod amplissimum sim arbitratus;[6] et, quod tu maluisti, factum esse gaudere. Vale, et nos dilige; et instituto itinere severitatem[k] diligentiamque[7] sociis et reipublicæ præsta.[i]

(6.) M. T. C. M. CATONI S. P. D.

ARGUMENTUM.—Quantam ex Catonis laudatione voluptatem ceperit, cum ipsius laude eximia exponit; petitque, si favere noluerit in adipiscendo triumpho, saltem, si adipiscatur, gaudeat.

[*p.* 248.] 'LÆTUS sum[a] laudari me,' inquit Hector, opi-

[h] *Et licet triumphus tibi concedatur, multo minorem ex eo gloriam percipies, quam si senatus pronuntiet, provinciam tuam, mansuetudine potius, et innocentia imperatoris, &c.*

[i] *Et ut facere cœpisti, da operam, ut ne quid contra rempublicam et socios in provincia tua committatur.*

laudari vis Lamb.—6 Ita Dresd. 2. Torg. Hitt. Victor. *sum arbitratus* Dresd. 3. 4. 5. Lips. edd. vett. *et quod tu valuisti v.*—7 Ita Vat. Pall. 1. 6. Peck. Stewech. Hitt. Amstel. Victor. *securitatem indulgentiamque* vulgg. ante Græv.

NOTÆ

nis, quam ex supplicatione, vel etiam ex triumpho, gloriam colligere.

[g] *Quam vi militum*] Propter quam triumphus, aut beniguitate Deorum, ob quam supplicatio decernitur.

[h] *Contra consuetudinem meam*] Quia Stoicus Cato: Stoicorum autem brevis erat oratio.

[i] *Ut, quod maxime volo*] Idcirco pluribus ad te scripsi, quoniam cupio duo tibi persuadere; primum voluisse me tuam in senatu laudare virtutem, quia id gloriosissimum tibi sum arbitratus; secundum, gaudere me tamen de supplicatione tibi decreta, cum intelligam, supplicationem pluris a te fieri, quam laudationem meam.

[k] *Severitatem*] Quæ virtus in Catone, præter ceteras, enituit.

[a] *Lætus sum*] Apud Nævium in tragœdia inducitur Priamus, Hectoris laudans virtutem; cui Hector his verbis respondet, 'lætus sum,' &c. id est, gaudeo, o pater, abs te laudari, qui es vir laudatus.

nor apud Nævium,[b] 'abs te, pater, a laudato viro.'[a] [1] Ea est enim profecto[2] jucunda laus, quæ ab iis proficiscitur, qui ipsi in laude vixerunt. Ego vero vel gratulatione literarum tuarum,[c] vel testimoniis sententiæ[d] dictæ, nihil est, quod me non assecutum putem.[b] Idque mihi cum[3] amplissimum, tum gratissimum est, te libenter amicitiæ dedisse, quod liquido veritati dares.[c] Et, si non modo omnes,[4] verum etiam multi Catones essent in civitate nostra, in qua unum extitisse mirabile est; quem ego currum,[e] aut quam lauream cum tua laudatione conferrem?[d] Nam ad meum sensum,[f] et ad illud sincerum ac subtile judicium,[e] nihil potest esse laudabilius, quam ea tua oratio,[5] [g] quæ est ad me perscripta a meis necessariis. Sed causam meæ voluntatis[h] (non enim dicam cupiditatis[i]) expósui tibi[f] superio-

[a] *Gaudeo laudari abs te, o Cato, quia vir inprimis laudatus es.*

[b] *Ego vero summam gloriam assecutum me puto, et gratulatione tuarum literarum, et sententia honorifica, quam de me in senatu pronuntiasti.*

[c] *Ob amicitiam nostram ea pro me dixisse, quæ pro veritate aperte diceres.*

[d] *Quanquam essent multi Catones in nostra civitate, (in qua vel te unum esse mirabile est) laudationem nihilominus tuam laureæ cuilibet et triumpho anteferrem; cum vero sis unus, præconium illud tuum multo pluris facio.*

[e] *Nam ut ego sentio, ac judico, (judico autem sincere, et omni procul affectu) nihil præstantius est, mihique honorificentius tua sententia, licet supplicationem mihi non decrevit.*

[f] *Sed cuusam exposui tibi, cur supplicationem hanc tantopere cuperem.*

Epist. vi. 1 Ita Pall. 1. 6. Peck. Victor. *pater, laudato viro* edd. vett.—2 *Ea est profecto* codex unus Oxon.—3 *Idque mihi tum* edd. vett. Statim, *tum gravissimum est* Dresd. 3. Pro *liquido v* habet *aliquid*.—4 *Et si n. m. unus*

NOTÆ

[b] *Apud Nævium*] Poëtam comicum, natione Campanum: aliquot scripsit fabulas, primumque bellum Punicum, in quo militavit ipse, carmine prosecutus est.

[c] *Literarum tuarum*] Vide proxime superiorem Epist.

[d] *Sententiæ*] Qua Ciceronem in senatu Cato laudaverat, licet censuerat, supplicationem ei non esse decernendam.

[e] *Quem ego currum*] Currus, et laurea corona, triumphantium ornamenta erant; utrumque pro triumpho ipso hic sumitur.

[f] *Ad meum sensum*] Alii forte pluris facient supplicationem, et triumphum; ego vero, &c. Consule interpretationem. Ne putes autem hæc a Cicerone sincere, et ex animo dici: revera enim ægre ferebat, supplicationem a Catone sibi denegatam.

[g] *Tua oratio*] Quam in laudem Ciceronis coram senatoribus habuerat.

[h] *Causam meæ voluntatis*] Non inani laude ductus, ut antea jam dixit Ci-

ribus literis: quæ etiamsi parum justa tibi visa est,[k] hanc tamen habet rationem, non ut nimis[6] concupiscendus honos,[l] sed tamen, si deferatur a senatu, minime aspernandus esse videatur.[g] Spero autem, illum ordinem,[7] pro meis ob rempublicam susceptis laboribus, me non indignum honore,[m] usitato præsertim,[h] existimaturum. Quod si ita erit, tantum ex te peto, quod amicissime scribis, ut, cum tuo judicio, quod amplissimum esse arbitraris,[n] mihi tribueris; si id, quod maluero,[o] accidit,[8] gaudeas.[i] Sic enim fecisse te, et sensisse,[p] et verius scripsisse,[9 q] video: resque ipsa declarat, tibi illum honorem nostrum supplicationis jucundum fuisse, quod scribendo affuisti.[k r] Hæc enim senatus-

[g] *A ratione tamen non prorsus abhorret; neque enim facit, ut honorem hunc nimis concupiscam, sed tantum, ut non respuam, si deferatur a senatu.*

[h] *Triumpho, cum præsertim aliis concedere soleas.*

[i] *Siquidem sententia tua mihi tribuisti quod honorificentissimum judicas, peto ex te, non ut triumphum mihi decernas, sed tantum, si decernatur, ut gaudeas; haud aliter atque video te gavisum esse supplicatione mihi decreta.*

[k] *Quoniam affuisti in senatu, cum de ea decretum scriberetur.*

Dresd. 2. alii codd. ap. Manut. et ψ.—5 Pal. 6. *tua æstimatio.*—6 Ita Pall. 1. 6. Victor. *ut non nimis* vulgg. ante Græv.—7 Pal. 1. in marg. *illum honorem.*—8 Dresd. 2. 4. 5. Lips. Torg. Ascens. 1. *acciderit*, probante Benedict. *accidet* Dresd. 3.—9 Edd. vett. *et scripsisse, et v. sensisse;* Dresd. 2. *et sensisse et scripsisse;* Dresd. 3. omittit *et verius scripsisse;* Dresd. 4. et Torg. omittunt *sensisse et verius;* Lips. habet *scripsisse te, et fecisse, et sensisse.* Tum,

NOTÆ

cero, supplicationem hanc petierat; sed ut exilii sui infamiam novis honoribus compensaret.

[l] *Non enim dicam cupiditatis*] Voluntas a ratione proficiscitur, cupiditas ab appetitu: rationis est, delatum honorem non respuere; appetitus, nimium concupiscere.

[k] *Visa est*] Siquidem non te impulit, ut supplicationem mihi deferres.

[l] *Honos*] Triumphus, et supplicatio.

[m] *Honore*] Triumpho; decreta enim jam erat a senatu Ciceroni supplicatio, vel invito Catone.

[n] *Quod amplissimum esse arbitraris*] Judicaverat Cato, id Ciceroni honorificentius fore, si innocentiam ejus, et diligentiam in senatu laudaret.

[o] *Quod maluero*] Triumphare malebat, quam laudari sine triumpho.

[p] *Et sensisse*] Neque enim simulate, sed vere, et sensu intimo, supplicatione mihi concessa gavisus es. Observa hæc a Cicerone, non sensu intimo, sed simulate dici: dolebat enim Cato Tullium, hominem novum, tantis honoribus decorari.

[q] *Et scripsisse*] Vide superiorem Epist.

[r] *Quod scribendo affuisti*] Consule Epist. octavam libri octavi.

consulta, non ignoro, ab amicissimis ejus, cujus de honore[10] agitur, scribi solere. Ego, ut spero, te propediem videbo, atque utinam republica meliore, quam timeo![h]

(7.) M. T. C. PROCOS. C. MARCELLO[1i] COS. DESIGN. S. P. D.

ARGUMENTUM.—C. Marcello, Marci patrueli, de consulatu gratulatur, postquam audivit designatum esse.

[*p.* 249.] MAXIMA sum lætitia affectus, cum audivi, te consulem factum[h] esse: eumque honorem tibi Deos fortunare[k] volo,[i] atque a te pro tua[2] parentisque[1] tui dignitate administrari. Nam cum te semper amavi dilexique,[3] tum mei amantissimum cognovi in omni varietate rerum mearum;[k] tum patris tui pluribus beneficiis vel defensus tristibus temporibus,[l] vel ornatus secundis, et sum totus vester, et esse debeo;[m 4] cum præsertim matris tuæ,[m] gravissimæ atque optimæ fœminæ, majora erga salutem dignitatemque meam studia, quam erant a muliere postulanda,

[h] *Designatum.*
[i] *Et cupio, ut Dii felicem hanc tibi dignitatem reddant.*
[k] *Tum in prospera, tum in adversa fortuna.*
[l] *Cum multi salutem oppugnarent meam.*
[m] *Ut sim tibi, patrique tuo omnino deditus.*

fuisse jucundum al. ap. Græv.—10 Hitt. Pall. 1. 6. Peck. Amstel. Dresd. quinque, Torg. Lips. *cujus honore;* Gulielm. conj. *cujus honor.*

EPIST. VII. 1 *M. Marcelto* quatuor Dresd. Lips. al. ap. Græv.—2 Codd. Grævii cum uno cod. Oxon. *a te peto pro tua.*—3 Ita Pall. 1. 2. et Victor. *dilexi amavique* edd. vett. *tum te mei* Hitt. *cum mei jam* codd. Græv. et ψ. *tum mei jam* Dresd. 2. 4. 5. Torg. Lips. Ascens. 1. *tum me jam v. quod mei* edd. vett.—4 Nonnulli ap. Græv. *secundis: et necesse est ut sim totus vester, et esse debeam.* 'Male in vulgg. major distinctio est post *secundis.*' Ernesti.

NOTÆ

[h] *Quam timeo*] Ob discordiam Cæsaris et Pompeii.

[i] *C. Marcello*] Adi Indicem Historicum.

[k] *Fortunare*] Sic Horat. Epist. I. 2. 'Tu quamcumque Deus tibi fortunaverit horam, Grata sume manu.'

[1] *Parentis*] Ad quem Epistola sequens scribitur.

[m] *Matris tuæ*] Juniæ.

perspexerim. Quapropter a te peto in majorem modum,[5] ut me absentem[n] diligas[o] atque defendas.[n]

(8.) M. T. C. PROC. MARCELLO[1] COLLEGÆ[o] S. P. D.

ARGUMENTUM.—C. Marcello auguri de filii Caii consulatu gratulatur, petitque ut se absentem defendat.

MARCELLUM tuum consulem factum,[p p] teque ea lætitia affectum esse, quam maxime optasti, mirandum in modum[2] gaudeo; idque cum ipsius causa, tum quod te omnibus secundissimis rebus dignissimum judico; cujus erga me singularem benevolentiam vel in labore meo, vel in honore[q] perspexi: totam denique domum vestram vel salutis vel dignitatis meæ studiosissimam cupidissimamque cognovi. Quare gratum mihi feceris, si uxori tuæ Juniæ, gravissimæ[3] atque optimæ fœminæ, meis verbis eris gratulatus.[q] A te id, quod suesti, peto, me absentem diligas atque defendas.

(9.) M. T. C. PROCOS. M. MARCELLO[a] COS. S. P. D.

ARGUMENTUM.—M. Marcello gratulatur de fratre patruele consule facto; petitque, ut in provincia succedatur.

TE et pietatis[b] in tuos, et animi in rempublicam, et cla-

[n] *Me Ciliciæ proconsulem.* [o] *In laboribus, honoribusque meis.*
[p] *Filium tuum designatum esse consulem.*
[q] *Vel in adversis rebus, vel in prosperis.*

et sim totus ψ. Paulo post, *majorem erga salutem* ψ.—5 Ita codd. Grævii; *majorem in modum* edd. vett. *ut* deest in uno cod. Grævii. Hæc et proxima Epistola nonam sequuntur in Dresd. 1. 2. 3. 4. 5. P.

EPIST. VIII. 1 *M. Marcello* al. ap. Græv. *C. Marcello Collegæ* Dresd. 2. Torg.—2 Ita Amstel. Mentel. Græv. 2. Pall. 1. 2. Stewech. Vat. Peck. ed. pr. Victor. *mirum in modum* edd. vett. Paulo post, *singularem* deest in uno cod. Oxon. Deinde, *vel in honore meo, vel in labore* vet. cod. Græv.—3 Idem cod. *gratissime.* Mox, *fueris gratulatus* ψ.

NOTÆ

[n] *Defendas*] Maximeque efficias, ut nihil ad annuam Ciliciæ administrationem temporis mihi prorogetur. Vide superiorem Epist. et lib. octavi Epistt. 5. 6. 8.

[o] *Collegæ*] In auguratu.

[p] *Factum*] Cum L. Æmilio Paulo.

[q] *Eris gratulatus*] De filii sui consulatu.

[a] *M. Marcello*] Consule Tabulas Historicas.

[b] *Pietatis*] Vide Epist. primam libri primi.

rissimi atque optimi consulatus,[c] C. Marcello consule facto, fructum cepisse, vehementer gaudeo.[a] Non dubito, quid præsentes[b] [1] sentiant: nos quidem longinqui, et a te ipso missi in ultimas gentes,[c] ad cœlum, mehercule, tollimus verissimis ac justissimis laudibus. Nam cum te a pueritia tua unice[2] dilexerim, tuque me in omni genere semper amplissimum[d] esse et volueris et judicaris; tum hoc vel tuo facto,[d] vel populi Romani de te judicio,[e] multo acrius vehementiusque diligo:[e] maximaque lætitia afficior, cum ab hominibus prudentissimis, virisque optimis, omnibus dictis, factis, studiis, institutis, vel me tui similem esse audio, vel te mei. Unum vero si addis ad præclarissimas res consulatus tui, ut aut mihi succedat quam primum aliquis, aut ne quid[f] accedat temporis ad id, quod tu mihi et senatusconsulto et lege[g] finisti;[f] [3] omnia me per te consecutum putabo. Cura ut valeas, et me absentem diligas atque de-

[a] *Vehementer gaudeo, quod, Caio Marcello, patruele tuo, consule designato, mercedem, et fructum acceperis, et tuæ pietatis in tuos, &c.*

[b] *Qui Romæ præsentes adsunt.*

[c] *Ego, qui tua potissimum, tuique collegæ Sulpicii sententia, in Ciliciam proconsul missus sum.*

[d] *In quolibet honorum genere illustrissimum.*

[e] *Tamen multo vehementius te nunc diligo, quia patruelem tuum, consulem designandum curasti, et quia populus Romanus suffragiis suis declaravit, quam honorifice de te sentiret.*

[f] *Aut saltem, ne administratio Ciliciæ mihi prorogetur ultra annum, quem senatusconsulto, et lege præscripsisti.*

EPIST. IX. 1 Ita quinque Dresd. Torg. Lips. *præsentis* edd. vett. *Et non d. q. præsentes* Hitt. Statim, *longinqui* deest in Hitt. et Pal. 6. Tum, *mehercule te tollimus* P v ψ. *te* omittunt quinque Dresd. Torg. Lips. Hitt. Amstel. Mentel. Græv. 2. *mehercule tulimus* Dresd. 3.—2 Codex unus Oxon. *a pueritia unice.* Mox, *omni in genere* Hitt. Pal. 6. Deinde, *cum ab his omnibus* cod. ψ.—3 Idem cod. *cum lege fuisti.*

NOTÆ

[c] *Consulatus*] Quem cum Servio Sulpicio tunc gerebat, quo anno Tullius in Ciliciam proconsul abiit.

[d] *Hoc tuo facto*] Quia industria potissimum, et virtute tua, Caius Marcellus, patruelis tuus, renuntiatus est consul.

[e] *Judicio*] Id est, suffragiis, quibus C. Marcellum consulem designavit.

[f] *Aut ne quid*] Non datus est Ciceroni successor, ob discordias, quæ tum Pompeium inter et Cæsarem emergebant; annuo tamen imperio finito, decessit, administratione provinciæ quæstori suo commissa.

[g] *Lege*] Curiatam intelligit, de qua diximus Epist. I. 9.

fendas. Quæ mihi de Parthis nuntiata sunt, quia non putabam a me etiam nunc scribenda esse publice,[g] propterea ne pro familiaritate quidem nostra volui ad te[h] scribere; ne, cum ad consulem scripsissem, publice viderer scripsisse.

(10.) M. T. C. IMP. C. MARCELLO C. F. COS. DESIGN.[1] S. P. D.

ARGUMENTUM.—Commendat studiose suam existimationem consuli C. Marcello in supplicatione decerenda.

QUANDO id accidit,[a 2] quod mihi maxime fuit optatum, ut omnium Marcellorum, Marcellinorum[a] etiam, (mirificus enim generis[b] ac nominis vestri fuit erga me semper animus,[b]) quando ergo ita accidit, ut omnium vestrum studio tuus consulatus satisfacere posset, in quem meæ res gestæ, lausque et honos[c] earum potissimum incideret; peto a te id, quod facillimum factu est, non aspernante, ut

[g] *Ad senatum, populumque Romanum.*

[a] *Quandoquidem consulatus tuus in id tempus incidit, quo de meis rebus gestis, honoribusque agendum est in senatu; atque adeo, tum Marcelli, tum Marcellini, suo erga me studio satisfacere jam possunt.*

[b] *Mirifice enim me semper dilexit, tum Claudia gens, tum familia tua.*

EPIST. X. 1 *Design.* omittunt Dresd. 2. 3. 4. Torg. Victor.—2 Ita Dresd. 2. 3. 4. 5. Lips. Ascens. 1. *Quoniam id accidit* Hitt. Pal. 6. *Quomodo id accidit* Torg. *Cum id accidit* Victor. et sic statim, *cum ergo ita, &c.* Paulo post, *et honor earum* vulgg. ante Græv. Deinde, *facillimum factu sit* quatuor Dresd. Torg. Lips. Ascens. 1. *quam honorificentissime* Dresd. 1. 2. 3. 4. 5. Torg. Lips.

NOTÆ

[h] *Ad te*] Qui es consul, et persona publica, ad quam qui scribit, videtur ad omnes cives scribere.

[a] *Marcellinorum*] Eorum scilicet, qui ex familia Marcellorum, in alias cooptati, nomen suum pro more inflexerant. Sic Æmilius, ex Æmilia gente in Corneliam adoptatus, Æmilianus dictus est: et ita de ceteris. Vide Cantelium nostrum de Romanorum gentibus, et familiis.

[b] *Generis*] Hic genus pro gente, nomen vero pro familia sumitur; gentis et familiæ hæc erat differentia, quod gens multo latius, quam familia pateret, cum ex una gente multæ familiæ, quasi ex una radice plures rami, propagarentur. Eundem consule de Romanorum nominibus.

[c] *Lausque et honos*] Sensus est: Et quandoquidem accidit, ut res a me gestæ laudari, te consule, possint, et honorari, si modo supplicationem mihi decernendam cures, &c.

confido, senatu,[c] ut quam honorificentissimum senatusconsultum, literis meis recitatis,[d] faciundum cures. Si mihi tecum minus esset, quam est cum tuis omnibus,[d] allegarem[e] ad te illos, a quibus intelligis me præcipue diligi. Patris tui beneficia in me sunt amplissima: neque enim saluti meæ, neque honori[3] amicior quisquam dici potest. Frater tuus[e] quanti me faciat, semperque fecerit, esse hominem, qui ignoret,[4] arbitror neminem. Domus tua denique tota me semper omnibus summis officiis prosecuta est. Neque vero tu in me diligendo cuiquam concessisti[5] tuorum. Quare a te peto in majorem modum,[6] ut me per te quam ornatissimum velis esse;[f] meamque et in supplicatione decernenda,[f] et in ceteris rebus, existimationem[g] satis tibi esse commendatam putes.[7]

(11.) M. T. C. IMP. C. MARCELLO COS. DESIGN. S. P. D.

ARGUMENTUM.—Supplicatione sibi decreta, gratias agit consuli, et propediem ad urbem se fore significat.

QUANTÆ curæ tibi meus honos[a] fuerit,[1] et quam idem extiteris consul in me ornando et amplificando, [*p.* 250.] qui fueras semper cum parentibus tuis, et cum tota domo,

[c] *Quod factu facillimum erit, modo ut, quod spero, consentiat senatus.*
[d] *Si minor esset mihi tecum, quam cum tuis omnibus, necessitudo, aut amicitia.*
[e] *Mitterem.* [f] *Ut me summis honoribus ornandum cures.*
[g] *Dignitatem meam.* [a] *Supplicatio.*

---

v ψ, Ascens. 1. *faciendum cures* Dresd. 2. 5. Ascens. 1.—3 Hitt. et Pal. 6. *honoris.*—4 Dresd. 2. Torg. Victor. *qui ignorat.*—5 Hitt. *cui nunquam concessisti.*—6 Ita Pal. 6. et Victor. *majorem in modum* edd. vett.—7 Hitt. *commendata putes.* P addit *Vale.*

EPIST. XI. 1 Ita codd. Victorii et Græv. *Quantæ tibi curæ meus honor fuerit* vulgg. ante Græv. *Quantæ tibi curæ meus honos fuerit* Dresd. 2. 4. 5. Torg. Lips. Ascens. 1. Mox, *in me consul ornando* Hitt. Pal. 6. Pro *qui fueras*, quod servant Dresd. 2. et Torg. *qui fueris* habent Dresd. 3. 4. 5. Lips.

NOTÆ

[d] *Literis meis recitatis*] Quibus belli seriem, contra Amanenses a se gesti, victoriamque senatui exponebat.

[e] *Frater tuus*] Patruelis, M. Marcellus, qui superiori anno consulatum gesserat.

[f] *In supplicatione decernenda*] Uterque consul, magis tamen Æmilius Paulus, hac in re Ciceronem juvit. Epist. VIII. 11.

etsi res ipsa[b] loquebatur, cognovi tamen ex meorum omnium literis. Itaque nihil[2] est tantum, quod ego non tua causa debeam, facturusque sim cum studiose tum libenter. Nam magni interest, cui debeas: debere autem nemini malui, quam tibi, cui me cum studia communia, beneficia paterna, tuaque, jam ante[c] conjunxerant;[3] tum accedit, mea quidem sententia, maximum vinculum, quod ita rempublicam geris atque gessisti, qua mihi carius nihil est, ut, quantum tibi omnes boni debeant, quo minus tantundem ego unus debeam, non recusem. Quamobrem tibi velim hi sint exitus,[4] quos mereris,[d] et quos fore confido. Ego, si me navigatio non morabitur, quæ incurrebat in ipsos Etesias,[5][a] propediem te, ut spero, videbo.

(12.) M. T. C. IMP.[1] L. PAULO[b] COS. DESIGN.[c] S. P. D.

ARGUMENTUM.—Gratulatur Paulo de consulatu; et ne sibi provincia prorogetur, rogat.

ETSI mihi nunquam fuit dubium,[2] quin te populus Romanus, pro tuis summis in rempublicam meritis, et pro amplissima familiæ dignitate, summo studio, cunctis suffragiis consulem facturus esset; tamen incredibili lætitia sum affectus, cum id mihi nuntiatum est; eumque honorem tibi Deos fortunare volo,[e] a teque ex tua,[3] majorumque tuorum

[b] *Supplicatio per te mihi decreta.*
[c] *Ante consulatum tuum.*
[d] *Ut æque feliciter, atque mereris, tuum consulatum perficias.*
[e] *Et cupio, ut hanc tibi dignitatem Dii fortunatam esse velint.*

Ascens. 1.—2 *Ita nihil v.* Statim, *studiose ac libenter* Vat. Pall. 1. 6. Amstel. *v* ψ, Victor.—3 Peck. *jam conjunxerant.* Actutum, *tum accedat v.* Tum, *gesseris atque gessisti* Dresd. 1. 2. 3. 4. Torg. Lips. *v* ψ. Paulo post, *ego solus debeam* Pal. 6. *ego debeam* Hitt.—4 Dresd. 2. 3. 4. *ii sint exitus;* Torg. *hii sint exitus.*—5 Codex unus Oxon. *ipsas Ethesias.*

EPIST. XII. 1 *M. Cicero Procos.* conj. Bengel.—2 Vet. cod. Grævii *dubium fuit.* Statim, *pro tuis* desunt in uno cod. Oxon.— 3 Peck. *v atque ex*

NOTÆ

[a] *In ipsos Etesias*] Epist. II. 15.
[b] *L. Paulo*] Vide Indicem Historicum.
[c] *Cos. design.*] In annum sequentem cum Caio Claudio Marcello.

dignitate administrari. Atque utinam præsens illum diem mihi optatissimum videre potuissem, proque tuis amplissimis erga me studiis atque beneficiis tibi operam meam studiumque navare![d] Quam mihi facultatem cum hic[4] necopinatus et improvisus provinciæ casus eripuit;[b] tamen, ut te consulem, rempublicam pro tua dignitate gerentem, videre possim, magnopere a te peto, ut operam des, efficiasque,[5] ne quid mihi fiat injuriæ,[e] neve quid temporis ad meum annuum munus accedat. Quod si feceris, magnus ad tua pristina erga me studia cumulus accedet.

(13.) M. T. C. IMP. L. PAULO COS. S. P. D.

ARGUMENTUM.—A consule petit, ut supplicationes sibi decernat, et suam existimationem in ceteris commendat.

MAXIME mihi fuit optatum, Romæ esse tecum, multas ob causas, sed præcipue, ut et in petendo, et in gerendo consulatu[1] meum tibi debitum studium perspicere posses. Ac petitionis quidem tuæ ratio mihi semper fuit explorata:[c] sed tamen navare[2] operam volebam. In consulatu vero cupio[3] equidem te minus habere negotii: sed moleste fero, me consulem studium tuum adolescentis perspexisse; te meum, cum id ætatis sim, perspicere non posse.[d] Sed

[b] *Quandoquidem mihi facultatem hanc eripuit provinciæ administratio, quæ mihi, et contra voluntatem meam, et præter opinionem tradita est.*

[c] *Et certe nunquam dubitavi, quin omnium suffragiis designandus esses consul.*

[d] *Quod, cum essem consul, tuum mihi studium, licet eras adolescens, præstiteris; et ego, quamvis ætate jam sim provectior, meum tibi studium in consulatu tuo præstare non potuerim.*

tua.—4 Ita Dresd. 3. ψ, et edd. vett. *quoniam hic* Pal. 6. *quando hic* quatuor Dresd. Torg. Lips. P *v. est improvisus* Pal. 6.—5 Ita Pal. 6. et edd. vett. copulam *que* omittunt Dresd. 2. 3. 4. 5. Torg. *efficias ut ne quid* Lips.

EPIST. XIII. 1 Cod. ψ *consulatum.* Statim, *perficere posses v.*—2 Pal. 6. *sed tamen eo navare;* Lamb. *sed tamen tibi navare; v sed tamen majorem.*—3 *In consulatu non cupio* in eodem cod. Mox, *me consule v. tuum studium adolescen-*

NOTÆ

[d] *Studiumque navare*] Te juvare in petitione, et adeptione consulatus.

[e] *Ne quid mihi fiat injuriæ*] Injuriam sibi fieri existimat, si ultra præfinitum tempus abesse cogatur Roma, quia longior absentia damni plurimum rebus suis afferre poterat.

ita, fato[4] nescio quo, contigisse arbitror, ut tibi ad me ornandum semper detur facultas; mihi ad remunerandum nihil suppetat, præter voluntatem. Ornasti[f] consulatum, ornasti reditum[g] meum. Incidit meum tempus rerum gerendarum in ipsum[5] consulatum tuum.[e] Itaque cum et tua summa amplitudo,[f] et dignitas, et meus magnus honos, magnaque existimatio postulare videatur, ut a te plurimis verbis[6] contendam ac petam, ut quam honorificentissimum senatusconsultum de meis rebus gestis faciendum cures; non audeo vehementer a te contendere, ne aut ipse tuæ perpetuæ consuetudinis[h] erga me oblitus esse videar, aut te oblitum putem. Quare, ut te velle arbitror, ita faciam; atque ab eo, quem omnes gentes[i] sciunt de me optime meritum, [*p.* 251.] breviter petam. Si alii consules essent, ad te potissimum, Paule, mitterem, ut eos mihi quam amicissimos redderes: nunc, cum tua summa potestas, summaque auctoritas, notaque omnibus nostra necessitudo sit,[7] vehementer te rogo, ut et quam honorificentissime cures decernendum de meis rebus gestis, et quam celerrime. Dignas res esse[8] honore et gratulatione,[k] cognosces ex iis literis, quas ad te, et collegam,[g] et senatum, publice misi: omniumque mearum reliquarum rerum,

[e] *Contigit, ut te consule, ageretur in senatu de rebus in Cilicia a me gestis.*
[f] *Itaque cum et tuus consulatus.* [g] *Ad Caium Marcellum.*

tis edd. vett. *adolescentiæ v.*—4 *Sed id fato* Victor.—5 *Incidi meum tempus in ipsum ψ. consulatum* deest in *v.*—6 Idem cod. Lips. Torg. Dresd. 4. *pluribus verbis.* Statim, *contendam ut a te quam, &c.* Dresd. 2. *contendam acceptam ut quam* Dresd. 3. 4. Torg. *contendam accepta ut quam* Lips. Tum, *honorificentissime* Dresd. 2. 4. 5. Lips. Torg. Peck. *v*, Ascens. 1.—7 Vet. cod. Græv. *notaque sit o. n. necessitudo;* edd. vett. *notaque omnibus sit, &c. v* omittit *nostra.* Mox, *ut et honorificentissime* Peck.—8 Ita Hitt. Pal. 3. *Digna res esset v. Dig-*

NOTÆ

[f] *Ornasti*] Meritis erga me tuis.

[g] *Reditum*] Ab exilio.

[h] *Consuetudinis*] In me ornando.

[i] *Gentes*] Etiam exteræ, et Roma procul distantes.

[k] *Gratulatione*] Id est, gratiarum actione; nam 'gratulari,' cum ad Deos refertur, idem valet, quod gratias agere. Val. Max. I. 1. 'Prisco instituto rebus divinis opera datur, cum aliquid commendandum est, precatione; cum exposcendum, voto; cum solvendum, gratulatione.'

maximeque existimationis meæ, procurationem susceptam velim habeas.[h] Inprimisque tibi curæ sit, quod abs te superioribus quoque literis petivi, ne mihi tempus prorogetur. Cupio te consulem videre, omniaque spero,[9] cum absens,[1] tum etiam præsens te consule assequi. Vale.[10]

(14.) M. T. C. IMP. C. CASSIO PROQUÆST.[1a] S. P. D.

ARGUMENTUM.—Facturum se Fabii causa, quæ rogaverat Cassius, pollicetur; quem dolet non vidisse ad urbem e provincia redeuntem: rogat, operam det, ne sibi temporis aliquid accedat ad annum provinciæ.

M. FABIUM quod mihi amicum tua commendatione das, nullum in eo facio quæstum.[a] Multi enim anni sunt, cum ille in ære meo est,[b] et a me diligitur propter summam humanitatem[2] et observantiam. Sed tamen, quod ab eo te egregie diligi[3] sensi, multo amicior ei sum factus. Itaque quanquam profecerunt[4] literæ tuæ, tamen aliquanto plus commendationis apud me habuit animus ipsius erga te, mihi perspectus et cognitus.[b] Sed de Fabio faciemus studiose, quæ rogas: tu multis de causis vellem me convenire

[h] *Meamque inprimis existimationem, ut antea fecisti, semper tuearis.*

[a] *Quod tua commendatione me rogas, ut Fabium amicum habeam, nihil inde lucri facio; jamdiu enim meus est amicus.*

[b] *Nihilominus commendatum magis habui, ex quo intellexi amantissimo eum esse in te animo.*

nas res esse et al. ap. Græv.—9 Ita Dresd. 3. et Victor. *omniaque, quæ spero* Dresd. 2. 5. Torg. v, Lips. *omnia quia spero* Dresd. 4. *omnia quæ spero* Ascens. 1.—10 *Vale* omittunt Dresd. 2. Bengel. Benedict.

EPIST. XIV. 1 *Proquæst.* deest in codd. Grævii.—2 Ita Dresd. 2. *propter summam suam humanitatem* edd. ante Ernesti; *propter suam humanitatem* Dresd. 4. *propter summam ejus humanitatem* Dresd. 5. Ascens. 1. *propter suam summam humanitatem* al. ap. Benedict.—3 Ita Mediol. et edd. pr. *ab eo egregie diligeris* Dresd. 2. 4. Amstel. Pal. 1. Mentel. Græv. 2. Lips. Rom. Ven. 1469. 1471. *ab eo egregie diligi* Dresd. 3. Victor. *te ab eo egregie diligi* Torg. —4 Ita Torg. Dresd. 3. Vat. alii codd. Grævii, Victor. *profecerint* Dresd. 2.

NOTÆ

[1] *Absens*] Absenti proconsuli supplicatio, seu gratiarum actio, quæ fiebat Diis immortalibus, pro rebus egregie et prospere gestis; præsenti vero decernebatur triumphus.

[a] *Cassio proquæst.*] Vide Indicem Historicum.

[b] *In ære meo est*] In ære alicujus esse, idem est, quod in ejus bonis, in ejus censu esse, *appartenir à quelqu'un.*

potuisses;[c] primum, ut te, quem jamdiu plurimi facio,[5] tanto intervallo[c d] viderem; deinde, ut tibi, quod feci per literas, possem præsens gratulari;[e] tum, ut, quibus de rebus vellemus, tu tuis, ego meis, inter nos communicaremus; postremo, ut amicitia nostra, quæ summis officiis ab utroque culta est, sed longis intervallis temporum interruptam consuetudinem habuit, confirmaretur vehementius. Id cum[6] non accidit, utemur bono[d] literarum, et eadem fere absentes, quæ, si coram essemus, consequemur. Unus scilicet fructus, qui in te videndo est,[e] percipi literis non potest: alter gratulationis,[f] est is quidem[7] exilior, quam si tibi teipsum intuens gratularer; sed tamen et feci ante, et facio nunc; tibique, cum pro rerum magnitudine, quas gessisti,[f] tum pro opportunitate temporis,[g] gratulor, quod te de provincia decedentem summa laus et summa gratia provinciæ prosecuta est.[g] Tertium est,[8] ut id, quod de nostris rebus coram communicassemus inter nos, conficiamus idem literis. Ego ceterarum rerum causa tibi Romam properandum magnopere censeo: nam et ea, quæ reliqui,

[c] *Tanto post tempore.* [d] *Commodo.*
[e] *Qui in eo positus est, ut te videam.*
[f] *Alter, qui in eo consistit, ut tibi gratuler.*
[g] *Tum quia fortiter contra Parthos dimicasti; tum quia feliciter, et opportune tibi cecidit, ut te de Syria decedentem, Syria omnis te laudibus prosequeretur.*

4. 5. Lips. Ascens. 1. vulgg. ante Græv.—5 Victor. *facio plurimi.*—6 Ita Dresd. 3. Torg. Hitt. Pal. 6. Victor. *Id quando* quatuor Dresd. Lips. edd. vett.—7 Vulgg. ante Ernesti *gratulationis est, is quidem, &c.* Paulo post, *et*

NOTÆ

[c] *Convenire potuisses*] Priusquam Roma in Ciliciam proconsul abirem.

[d] *Tanto intervallo*] Post triennium. Cassius abierat in Syriam cum Crasso, consulibus Domitio, et Appio, anno urbis conditæ sexcentesimo nonagesimo nono: Cicero autem in Ciliciam, septingentesimo secundo, consulibus Sulpicio, et Marcello.

[e] *Gratulari*] Ob Syriam immani Partborum impetu liberatam.

[f] *Quas gessisti*] In Syria.

[g] *Pro opportunitate temporis*] Gratulatur Cassio duplici potissimum de causa; primo, de Parthis Antiochia depulsis; secundo, quod cum de ejus administratione querelæ Romam delatæ essent, timendumque esset, ne de repetundis accusaretur; sic tamen paulo ante decessu me provincia se gessisset, ut decedentem, provincia laudibus et gratia prosequeretur.

tranquilla de te erant;[h] et, hac tua recenti victoria tanta,[h] clarum adventum tuum fore intelligo. Sed si qua sunt[9][i] onera tuorum, si tanta sunt,[k] ut ea sustinere possis, propera; nihil tibi erit lautius,[i] nihil gloriosius: sin majora, considera, ne in alienissimum tempus cadat adventus tuus.[k] Hujus rei totum consilium tuum est:[l] tu enim scis,[10] quid sustinere possis.[l] Si potes, laudabile atque populare est;[m] sin plane non potes, absens hominum sermones[n] facilius sustinebis. De me autem idem tecum his ago literis, quod superioribus egi, ut omnes tuos nervos in eo contendas, ne quid mihi ad hanc provinciam, quam et senatus et populus annuam esse voluit,[11] temporis

[h] *Nam cum Roma discessi, nondum magnus erat hominum de tuis egregie factis sermo, sed hac tua recenti de Parthis victoria, &c.*

[i] *Quod si tui, qui tecum sunt, aliquid egerunt reprehensione dignum; id si est ejusmodi, ut defendere possis, festina Romam reverti; nihil tibi erit elegantius, quam ut tuos defendas.*

[k] *Quod si tanta sunt, quæ tuis objiciuntur crimina, ut ea diluere nequeas, vide ne tibi Romam advenienti periculum impendeat.*

[l] *Tuum est videre quid tibi sit agendum, cum omnium optime intelligas, quomodo tui se gesserint.*

[m] *Si potes efficere, ut tui absolvantur, id erit tibi laudabile, et populo jucundum.*

[n] *Reprehensiones.*

feci antea, &c. Dresd. 2. Torg. Ascens. 1.—8 *Certum est* Dresd. 2. ψ.—9 *Sed si quæ sunt* Dresd. 4. 5. *Si quas sunt* Dresd. 4. Statim, *si tanta sint* cod. Græv. Pro *propera,* quod servant codex unus Maffei, Pal. 6. Dresd. 3. *propere* Medic. *prope* alii codd.—10 Ita Pall. 1. 6. alii codd. ap. Græv. et Victor. *tu enim sentis* edd. vett. *quod sustinere possis* Pal. 6. Hæc omnia, *propera: nihil... sustinere possis,* desunt in P ψ.—11 Dresd. 2. 4. 5. Torg.

NOTÆ

[h] *Tranquilla de te erant*] Hujus loci potest esse duplex sensus: ille scilicet, Cum Roma discessi, nihil turbulenti erat adversum te; nullus adhuc te accusaverat: vel sequere, si voles, interpretationem. De Cassio, consule Tabulam ejus Historicam.

[i] *Sed si qua sunt, &c.*] Quod igitur ad te pertinet, nihil est, quod Romæ timendum tibi existimem, immo etiam clarum fore adventum tuum auguror: quod si quid a tuis peccatum est, &c. vide interpretationem. Forte Cassii vel amicus, vel propinquus, qui cum eo in provincia fuisset, captæ contra leges pecuniæ accusabatur: damnari autem non poterat, quin eodem damnationis discrimine Cassius implicaretur: est enim rectoris provinciæ, suos in officio continere.

[k] *Tanta sunt*] Id est, si leviores sunt accusationes, adeo ut illas confutare possis, et efficere ne tui damnentur, propera, &c. *Tanta* hoc in loco, non auget, sed minuit potius rei magnitudinem.

[l] *Quid sustinere possis*] Id est, an possis tuorum consulere saluti: si enim damnantur vide ne in eandem tu quoque damnationem incurras.

prorogetur. Hoc a te ita [12] contendo, ut in eo fortunas meas positas putem. [*p.* 252.] Habes Paulum [m] nostrum nostri cupidissimum: est Curio: est Furnius.[n] Sic velim enitare, quasi in eo sint mihi omnia. Extremum illud est de iis [13] quæ proposueram, confirmatio nostræ amicitiæ: [o] de qua pluribus verbis nihil opus est. Tu puer me appetisti: [p] [14] ego autem semper ornamento te mihi fore duxi: fuisti etiam præsidio tristissimis meis temporibus: [q] accessit post tuum discessum familiaritas mihi cum Bruto tuo [o] maxima. Itaque in vestro ingenio et industria mihi plurimum et suavitatis et dignitatis constitutum puto.[r] Id tu ut tuo studio confirmes, te vehementer rogo: literasque ad me [15] et continuo mittas,[s] et, cum Romam veneris, quam sæpissime.[t]

(15.) M. T. C. C. CASSIO S. P. D.

ARGUMENTUM.—Consilium suum de non renovando civili bello demonstrat: Cæsaris clementiam laudat: Italiæ gemitus ostendit: Cassii sententiam de futuris exquirit. Cæsare iterum et Servilio coss.

ETSI uterque nostrum spe pacis,[a] et odio civilis sanguinis,[b] abesse a belli pertinacia [1] voluit;[a] tamen, quando

[o] *Ex iis, quæ hac in Epistola proposueram, restat, ut agam de confirmatione amicitiæ nostræ.*
[p] *Meam ultro amicitiam expetiisti.* [q] *Exilii mei tempore.*
[r] *Ab utriusque ingenio et industria plurimum et suavitatis et gloriæ expecto.*
[s] *Statim atque meas acceperis.* [t] *Ad me scribas.*
[a] *Noluit, post cladem Pharsalicam, bellum renovare.*

Pal. 6. *v* ψ, Ascens. 1. *esse volunt.*—12 *Hoc ita a te* vet. cod. Græv. *Hæc a te ita* codex unus Oxon.—13 *Extr. illud de iis* in eodem cod.—14 *Tu p. me petiisti* Pal. 6. Idem cod. mox, *semper te ornamento mihi, &c.* Voc. *tuo* deest post *Bruto* in *v.*—15 Peck. *literas ad me.* Deinde, *cum Roma veneris* Pal. 6.

EPIST. XV. 1 Ita Hitt. Pal. 6. Medic. Torg. Dresd. 3. Victor. *a belli ne-*

NOTÆ

[m] *Paulum*] Hujus anni cum Caio Marcello consulem.

[n] *Est Curio: est Furnius*] Ambo eodem anno tribuni plebis.

[o] *Cum Bruto tuo*] Cujus sororem Cassius duxerat.

[a] *Spe pacis*] Opinione falsus est, cladem enim Pharsalicam non pax, sed ferox et crudele bellum excepit; primum in Africa, deinde in Hispania.

[b] *Civilis sanguinis*] Si contingeret,

ejus consilii princeps [c] ego [b] fuisse videor, plus fortasse tibi præstare ipse debeo, quam a te expectare.[c] Etsi, ut sæpe soleo mecum recordari, sermo familiaris meus tecum, et item mecum tuus, adduxit utrumque nostrum ad id consilium, ut uno prælio putaremus, si non totam causam, at certe nostrum judicium definiri[2] convenire.[d] Neque quisquam hanc nostram sententiam vere unquam reprehendit, præter eos,[3] [d] qui arbitrantur melius esse, deleri omnino rempublicam, quam imminutam [e] et debilitatam manere. Ego autem ex interitu ejus[e] nullam spem scilicet mihi proponebam; ex reliquiis magnam. Sed ea sunt consecuta, ut magis mirum sit,[f] accidere illa potuisse, quam nos non vidisse ea futura,[f] nec, homines cum essemus,[4] [g] divinare potuisse. Equidem fateor, meam conjecturam hanc fuisse, ut, illo quasi quodam fatali prælio fac-

[b] *Quandoquidem arma deponendi auctor ego, &c.*

[c] *Efficere potius debeo, ut firmus in proposito remaneas, quam expectare, ut in mea me sententia confirmes.*

[d] *Ut ex una clade Pharsalica judicaremus, abjicienda nobis arma esse, etsi causa Pompeii nondum penitus perdita esset.*

[e] *Reipublicæ.*

[f] *Bellum tamen Africanum, præter opinionem meam, secutum est; quod non tam mirum est nobis non esse prævisum, quam mirum est excitatum fuisse.*

---

cessaria pertinacia Lips. Dresd. 2. 4. 5. *a belli necessarii pertinacia* Amstel. *a belli pertinacia necessaria* Mentel. Græv. 2. Statim, *cum ejus consilii* Victor. Dresd. 3. *quoniam ejus consilii* Torg. *tibi ipse præstare debeo* vet. cod. Græv.—2 Hitt. Stewech. *diffiniri.*—3 Dresd. 2. 4. Torg. Pall. 1. 6. Amstel. Ascens. 1. *reprehendit. Prætereo;* Dresd. 5. ψ *reprehendit: prætero;* Dresd. 3. *reprehendit præterea.* Benedict. conj. *prætereo eos, &c.*—4 Ita codd. Grævii, et Victor. *cum*

NOTÆ

quod non putabat, ut bellum renovaretur.

[c] *Princeps*] Quia profligato ad Pharsalum Pompeio, statim ab armis Cicero discessit; Cassius vero, post bellum duntaxat Alexandrinum, cum obviam habuisset in Hellesponto Cæsarem.

[d] *Præter eos*] Qui bellum in Africam deportaverunt, et arbitrantur, &c. intellige Scipionem, Catonem, &c.

[e] *Quam imminutam*] Unica clade accepta.

[f] *Ut magis mirum sit*] Pompeianas enimvero partes sic ad Pharsalum fuisse attritas existimabat Cicero, ut restitui posse desperaret; videturque significare, neque ipsum, neque Cassium ab armis tam cito discessuros fuisse, si prævidissent, bellum a Pompeianis in Africa tanto apparatu renovandum.

[g] *Homines cum essemus*] Qui futura certo divinare nequeunt.

to,[g] et victores communi saluti consuli vellent,[5 h] et victi suæ:[i] utrumque autem positum esse arbitrabar in celeritate victoris. Quæ si fuisset,[k] eandem clementiam experta esset Africa, quam cognovit Asia, quam etiam Achaia, et, ut opinor,[l] ipso legato ac deprecatore.[h 6] Amissis autem temporibus,[i] quæ plurimum valent,[m] præsertim in bellis civilibus,[n] interpositus annus[o] alios induxit, ut victoriam sperarent, alios, ut ipsum vinci contemnerent.[k 7] Atque horum malorum omnium[8] culpam fortuna sustinet.[l] Quis enim aut Alexandrini belli[p] tantam moram[q] huic bello ad-

[g] *Post illud prælium Pharsalicum.*

[h] *Ipso etiam Cæsare agente, et deprecante, ut suam clementiam experiri vellent.*

[i] *Sed occasionibus abire permissis.*

[k] *Fecit, ut alii victoriam in Africa sperarent, alii vero vinci se mallent, quam ab armis discedere.*

[l] *Quæ quidem renovati belli culpa, non hominibus, sed fortunæ tota tribuenda est.*

homines essemus alii.—5 Quatuor Dresd. Torg. Lips. Pal. 1. Ascens. 1. *saluti consulere;* Medic. *saluti consule;* Pal. 6. *victores et omnium communi saluti consuli.* Mox, *præpositum esse arbitrari* v ψ. *propositum esse arbitrari* Dresd. 2. Torg. Lips. Medic. Pal. 1. duo Gulielm. Amstel. *propositum esse arbitrabar* Dresd. 3. *propositum esse arbitror* Dresd. 4. *propositum esse,* omisso *arbitrari,* Dresd. 5. *positum esse arbitrari* Ascens. 1.—6 Ita Torg. Dresd. 2. 3. *et deprecatore* Dresd. 1. 4. 5. Lips. *te, ut opinor, ipso allegato* conj. J. Fr. Gronov.—7 Al. ap. Græv. *contenderent.*—8 *Atque malorum horum omnium* vet. cod. Græv.

NOTÆ

[h] *Consuli* [*consulere*] *vellent*] Victis ignoscendo.

[i] *Suæ*] Veniam, abjectis armis, rogando.

[k] *Quæ si fuisset*] Id est, si statim post Pharsalicam pugnam, in Africam Cæsar dimicaturus advolasset, eandem clementiam experti essent, qui bellum in Africa redintegrarunt, quam experti sunt ii, qui post Pharsalicum certamen, in Asiam, et in Achaiam se contulerant.

[l] *Et ut opinor*] Nec solum, ut opinor, veniam rogantibus Pompeianis ultro dedisset, immo etiam primus ad pacem eos invitasset, ac reconciliationem: tanta est humanitas et clementia Cæsaris.

[m] *Quæ plurimum valent*] Quia repentina temporum inclinatione, sæpe fit, et rerum, et voluntatum repentina mutatio.

[n] *In bellis civilibus*] In quibus multa victori facienda sunt non ex sua, sed ex eorum, per quos vicit, voluntate.

[o] *Interpositus annus*] Inter Pharsalicum certamen, et victoriam de Pharnace relatam.

[p] *Alexandrini belli*] Quod Cæsar, post Pompeii cædem, cum Ptolemæo, Ægypti rege, difficillimum, et periculosissimum habuit.

[q] *Tantam moram*] Novem mensium, ut testatur Appianus.

junctum iri,[m] aut nescio quem istum Pharnacem[r] Asiæ terrorem illaturum putaret? Nos tamen, in consilio pari,[s] casu dissimili[t] usi sumus: tu enim eam partem petisti, ut et consiliis interesses, et, quod maxime curam levat, futura animo prospicere posses:[u] ego, qui festinavi,[x] ut Cæsarem in Italia[9] viderem,[n] (sic enim arbitrabamur[y]) eumque, multis honestissimis viris conservatis redeuntem, ad pacem currentem, ut aiunt, incitarem; ab illo longissime[z] et absum et abfui.[10] Versor autem in gemitu Italiæ,[a] et in urbis[11] miserrimis querelis; quibus aliquid opis fortasse ego pro mea, tu pro tua, pro sua quisque parte ferre potuisset,

[m] *Quis enim divinasset, bellum Alexandrinum tantam bello civili moram injecturum?*

[n] *Sic enim in Asia te Cæsari tradidisti, ut cum ipso permaneres, &c. ego autem in Italiam veni, &c.*

—9 Hitt. *qui Cæsarem in Italia;* Dresd. 2. 3. 4. Lips. Stewech. Victor. *ut Cæsarem in Italiam.*—10 Quatuor Dresd. Torg. Hitt. Pal. 6. *et absum et abfui.* —11 Al. ap. Græv. *et urbis.* Paulo post, *si actor affuisset* Hitt. Pal. 6.—

NOTÆ

[r] *Pharnacem*] Mithridatis filium, qui existimans, Romanos bello civili diutius occupatos fore, Armeniam minorem, et Cappadociam incursare cœpit: at Cæsar rebus in Ægypto confectis in Asiam profectus est, Pharnacemque profligavit tanta celeritate, ac felicitate, quantam elogium illud Cæsaris testatur, 'Veni, vidi, vici.'

[s] *In consilio pari*] Deponendi arma.

[t] *Casu dissimili*] Quia Cicero Brundisium venit, quo statim venturum Cæsarem falso speraverat; Cassius autem in Asiam ad Cæsarem se contulit.

[u] *Futura animo prospicere posses*] Quippe qui a Cæsaris latere, nunquam, aut raro discedas.

[x] *Festinavi*] Præproperam hanc suam festinationem graviter damnat Epist. ad Att. XI. 6. et 9. 'Brundisii jacere in omnes partes est molestum.'

[y] *Sic enim arbitrabamur*] Redituruum huc ocyus Cæsarem, debellato ad Pharsalum Pompeio; neque enim quicquam de Alexandrino bello, aut de Pharnace, nobis in mentem venerat.

[z] *Longissime*] Cicero Brundisii, Cæsar autem in Ponto, contra Pharnacem dimicans, versabatur.

[a] *In gemitu Italiæ*] Ob intolerandam Antonii tyrannidem, qui Romæ, absente Cæsare, armis, ac militum præsidiis septus, fœde omnia diripiebat; cumque videret civitas, hæc a magistro equitum fieri, longe graviora a Cæsare dictatore ipso expectabat. Adde seditiones, et scelera Dolabellæ et Trebellii, tribunorum plebis, qui ære alieno obruti, salutem suam in reipublicæ ruina positam esse existimabant.

si auctor affuisset.[b] Quare velim, pro tua perpetua erga me benevolentia,[12] scribas ad me, quid videas, quid sentias, quid expectandum,[c] quid agendum nobis existimes. Magni erunt mihi tuæ literæ: atque utinam primis illis,[d] quas Luceria[e] miseras, paruissem! sine ulla enim molestia dignitatem meam retinuissem. Vale.

(16.) M. T. C. C. CASSIO S. P. D.

ARGUMENTUM.—Jocatur in opiniones Epicureas, et in ipsum Cassium, Epicureæ philosophiæ studiosum.

[*p.* 253.] PUTO te[1] suppudere, cum hæc tertia jam epistola ante oppresserit, quam tu scidulam aut literam:[a] sed non urgeo: longiores enim expectabo,[2] vel potius exigam.[a] Ego, si semper haberem, cui darem, vel ternas in hora darem. Fit enim nescio qui,[3] ut quasi coram adesse videare, cum scribo aliquid ad te: neque id κατ'[b] εἰδώλων φαντασίας,

[a] *Cum ad te tertio scripserim, priusquam ad me vel schedulam miseris.*

12 Stewech. *pro tua erga me perpetua benevolentia.*

EPIST. XVI. 1 *Puto te jam* codd. Grævii, Dresd. 1. 2. 3. 4. 5. Torg. Lips. P *v* ψ. *Puto jam*, omisso *te*, al. ap. Græv. *cum hæc te tertia* Ricc. Pal. 6. Dresd. 1. 3. Lips. *ante te oppresserit* codex unus Gulielm. *ante operis sit* Dresd. 1. 2. 4. P *v* ψ. *ante oppressit* Ricc. Pal. 6. Dresd. 3. unde Lamb. et Ernesti *ante oppresserit*, quod habet etiam Mediol. *ante oppressisset* legitur in Dresd. 5. Deinde, *quam tu scidulam* librorum auctoritate destituitur. Dresd. 2. 3. Lips. Amstel. Hitt. Stewech. *quam tu scedam*; Mentel. Peck. Dresd. 5. *quam tu secundam;* Græv. 2. *quam tu zetam;* Memm. Guelf. 1. Mediol. *quam tu syllabam;* Torg. *quam tu sc'dam;* Pal. 6. Ascens. 1. *quam tu cedulam.*—2 Hitt. *spectabo.*—3 *Fit enim nescio quid* plurimi codd. et edd. ante Ernesti; *Fit enim nescio quomodo* conj. Lamb. unde Ernesti *qui.* Mox, κατ'

NOTÆ

[b] *Si auctor affuisset*] Si Romæ Cæsar affuisset, cujus auctoritate freti, tot malis medelam forte nos adhiberemus.

[c] *Quid expectandum*] Id scilicet prævidere poterat Cassius, qui Cæsari comes aderat, ejusque consiliorum particeps.

[d] *Primis illis*] Quibus auctor eras, ut ne minimam quidem belli civilis partem attingerem.

[e] *Luceria*] Apuliæ oppido intra Teanum versus Austrum, ad fluvium Cerbalum, qui nunc *Foggia* dicitur. Urbs autem ipsa *Lucera*, et *Nocera;* hanc a Diomede conditam testatur Strabo: fuit Romanorum colonia, quam Pompeius, in hac dissensione civili, belli sedem elegerat.

[a] *Exigam*] Tanquam mihi debitas, cum jam ad te tertio scripserim.

[b] Κατ'] Erat hæc Epicureorum

ut dicunt tui amici novi, qui putant etiam διανοητικὰς φαντασίας spectris Catianis excitari.[b c] Nam, ne te fugiat, Catius[d] Insuber,[4 e] Epicureus, qui nuper est mortuus, quæ ille Gargettius,[f] etiam ante Democritus,[g] εἴδωλα, hic spectra nominat.[c] His autem spectris etiamsi oculi possint[5] feriri,[h] quod vel ipsa accurrunt;[d] animus qui possit,[i] ego non video. Doceas tu me oportebit, cum salvus veneris, in meane potestate sit spectrum[6] tuum, ut, simulac mihi collibitum sit de te cogitare, illud accurrat: neque solum de te, qui mihi hæ-

[b] *Neque id per spectrorum visa, ut dicunt Epicurei, qui putant etiam mentis cogitationes excitari spectris, de quibus Catius loquitur.*

[c] *Ejusmodi imagines menti objectas spectra nominat, quæ a Gargettio, immo etiam ante a Democrito, εἴδωλα dicta sunt.*

[d] *Etsi concesserim hisce spectris oculos feriri, quoniam oculis hæc spectra occurrunt.*

εἴδη ἢ φαντασίας Dresd. 2. Ascens. 1. κατ' εἴδων φαντασίας Medic.—4 Codd. Dresd. Torg. Lips. Vat. Pall. 1. 6. Amstel. ψ, *insuper.* Statim, *Gargetius* Hitt. *Gargatius* P ψ, quidam Dresd. Stewech. Peck. *Gargacius* Amstel.—5 Ita conj. Ernesti; *possent* codd. et edd. vett. Actutum, *quod vel iis ipsa occurrunt* Victor. et vulgg. ante Ernesti; *quod velis ipsa currunt* libri scripti magno numero et edd. vett. *quod velis ipsa incurrunt* Hitt. Pal. 6. *quod vel iis ipsi incurrunt* conj. Rutil. *quo velis ipsa currant* Gronov. *quod, cum velis, ipsa incurrunt* Manut. *quod, cum velis, ipsa accurrunt* Lamb. *quod vel in ipsa accurrunt* Bengel.—6 Ita Dresd. 3. et vulgg. ante Græv. *in meane p. ut sit spectrum* Pall. 1. 6. Hitt. Stewech. Vat. Amstel. *in mea p. ut sit* al. ap. Græv. Mox,

NOTÆ

doctrina, ut crederent, si quis rem aliquam vellet cogitare, ejus rei spectrum, seu simulacrum ad cogitantis animum protinus advolare.

[c] *Excitari*] Id est, ejusmodi spectrorum incursione commoveri, et feriri mentem.

[d] *Catius*] De quo Quintil. x. 1. 'In Epicureis levis quidem, sed non injucundus tamen auctor est Catius.'

[e] *Insuber*] Insubres, populi Galliæ Transpadanæ inter Sessitem, et Adduam flumina, quorum regio nunc Ducatus Mediolanensis dicitur, qui Insubria veteri latius patet.

[f] *Gargettius*] Epicurus, ex Gargetto, ignobili Atticæ pago, Gargettius dictus.

[g] *Democritus*] Ex Abdera urbe Thraciæ, qui quoties in publicum procedebat, ridebat hominum ineptias: tradunt Cicero, et Gellius, hunc se occæcasse, ut naturæ secreta quietius rimaretur.

[h] *Etiamsi oculi possint feriri*] Quod sentiebat Epicurus.

[i] *Animus qui possit*] Non video quomodo animus possit his spectris moveri: non enim sicut oculis, ita animo hæc spectra occurrunt; qua enim ratione corpus penetrare queant?

res in medullis;[e] sed, si insulam Britanniam[k] cœpero cogitare, ejus εἴδωλον mihi advolet[7] ad pectus.[f] Sed hæc posterius:[g] tento enim te, quo animo accipias:[l] si enim stomachabere,[m] et moleste feres, plura dicemus: postulabimusque, ex qua hæresi, vi, hominibus armatis,[n] dejectus sis, in eam restituare.[h o] In hoc interdicto[p] non solet addi, 'in hoc anno.' Quare si jam biennium[8] aut triennium est, cum virtuti[q] nuntium remisisti, delenitus illecebris voluptatis;[r] in integro[s] res nobis erit: quanquam[t] quicum loquor? cum uno fortissimo viro; qui, posteaquam[9] forum attigisti, nihil fecisti, nisi plenissimum[u] amplissimæ digni-

[e] *Quem unice diligo, de quo fere semper cogito.*

[f] *Sed fieri-ne potest, ut, si insulam Britanniam cœpero cogitare, ejus illico simulacrum, et imago mihi ad mentem advolet?*

[g] *Alio tempore.*

[h] *Ut in sectam Stoicam, ex qua per vim, et armis dejectus es, restituare.*

accurrat est ex ingenio Lamb. *occurrat* codd. et edd. ante Ernesti.—7 Pall. 1. 6. unus Gulielm. Victor. *advolabit;* Amstel. Hitt. Stewech. *advolabat;* Dresd. 4. *advolat.*—8 *Quare etiamsi biennium* al. ap. Græv.—9 Pal. 6. *qui pos-*

NOTÆ

[k] *Britanniam*] Quam nunquam vidi, de qua nunquam cogitavi.

[l] *Quo animo accipias*] Meam de doctrina Epicuri sententiam.

[m] *Si enim stomachabere*] Quod irridere videar Epicuri dogmata.

[n] *Vi, hominibus armatis*] Solennis est formula in prætoris interdicto, seu sententia, qua quis in possessionem suam, de qua vi et armatis hominibus erat deturbatus, restituebatur. Vide Epist. 13. libri septimi.

[o] *Restituare*] Id est, ut neglecta voluptate, cui student Epicurei, ad virtutem, quam Stoici profitentur, te referas.

[p] *In hoc interdicto*] Interdictum est prætoris sententia. Vide Epist. 13. libri septimi. Sensus est: Quoties prætor sententiam pronuntiat, ut aliquis in possessionem, unde per vim ejectus est, restituatur, hæc addit verba, 'in hoc anno,' id est, modo ut hoc anno id contigerit; secus enim indueeretur præscriptio: verum in sententia, quam ego nunc pronuntio, ut, relictis Epicureis, ad Stoicos redeas, non addo hanc exceptionem, 'in hoc anno,' id est, modo ut hoc anno duntaxat ab Stoicis discesseris; quare etsi jam, &c.

[q] *Virtuti*]. Quam Stoici docent.

[r] *Voluptatis*] In qua Epicurei summum bonum reponunt.

[s] *In integro*] Integrum tamen tibi erit ab Epicureis ad Stoicos te referre, et pristinam tuam vivendi rationem denuo complecti.

[t] *Quanquam*] At imprudens ego sum, qui te fortissimum, sapientissimumque virum ad virtutem colendam excitem.

[u] *Nisi plenissimum*] Nisi quod honestum et præstantem virum decet.

tatis. In ista ipsa αἱρέσει, metuo,[x] ne plus nervorum sit, quam ego putarim, si modo eam tu probas. Quid tibi in mentem venit? inquies:[i] quia nihil habebam aliud, quod scriberem. De republica enim nihil scribere possum: neque enim, quod sentio, libet scribere.[10]

(17.) M. T. C. C. CASSIO S. P. D.

ARGUMENTUM.—Queritur de importunis tabellariis: narrat de P. Syllæ morte, bello Hispaniensi, Pansæ profectione in provinciam: Cassii consilium probat Brundisinæ mansionis: literas mutuas poscit.

PRÆPOSTEROS[a a] habes tabellarios; etsi me quidem non offendunt:[1] sed tamen, cum a me discedunt, flagitant literas; cum ad me veniunt, nullas afferunt. Atque id ipsum facerent commodius, si mihi aliquid spatii ad scribendum darent: sed petasati[b b] veniunt:[2] comites ad portam expectare dicunt. Ergo ignosces: alteras habebis has breves:[c 3] sed expecta πάντα περὶ πάντων.[d] Etsi quid ego me tibi purgo,[e] cum tui ad me inanes[f] veniant;[4] ad te cum epistolis revertantur? Nos hic (tamen ad te scribam aliquid) D. Sullam[c] patrem[5] mortuum habebamus:[g] alii

[i] *Sed forte a me petes, cur hæc tibi scribam.* [a] *Importunos.*
[b] *Ad iter parati.* [c] *Erit hæc epistola brevis, sicut et prior.*
[d] *Sed expecta longiores de rebus omnibus.*
[e] *Quanquam nihil opus est, ut me tibi excusem.* [f] *Sine literis.*
[g] *Audiebamus.*

sessa quam.—10 Al. ap. Græv. *licet scribere.*

EPIST. XVII. 1 Codex unus Oxon. *descendunt.*—2 Hitt. Pal. 6. *sed petunt statim ut veniunt;* P *v sed pegasenti veniunt.*—3 Pal. 6. *jam has breves.*—4 Hitt. *veniunt.* Mox, *revertuntur* Hitt. Dresd. 3. *revertentur* Dresd. 5. *revertentur* Ascens. 1.—5 Ita Hitt. Stewech. Vat. Victor. *tamen ad te scribam ali-*

NOTÆ

[x] *Metuo*] Sed et metuo, ne secta Epicuri, quæ mollis hactenus et imbecilla mihi visa est, plus virium habeat, quam ego putarim, si modo eam tu probas; tu, inquam, qui subtili vales, et peracri judicio, nihilque laudas, nisi id quod laude dignum est.

[a] *Præposteros*] Quidam legunt *præproperos*, nec, ut opinor, male.

[b] *Petasati*] Petasus capitis est tegmen galero persimile.

[c] *D. Sullam*] Is erat, opinor, L. Sullæ dictatoris ex fratre nepos, C. Cæsaris in bello civili legatus, et a Cicerone, hac oratione, quæ etiam nunc extat, defensus. Consule Epist. IX. 10.

a latronibus, alii cruditate[d] dicebant: populus non curabat:[e] combustum[f] enim esse constabat. Hoc tu, pro sapientia tua,[6] feres æquo animo:[g] quanquam πρόσωπον πόλεως amisimus.[h] Cæsarem putabant moleste laturum, verentem, ne hasta[h] refrixisset. Mindius Marcellus et Attius pigmentarius valde gaudebant, se adversarium[i] perdidisse. De Hispania[k] novi nihil; sed expectatio valde magna: rumores tristiores,[l] sed ἀδέσποτοι.[i] Pansa noster paludatus[k] a. d. III Kalend. Jan.[7] profectus est,[m] ut quivis intelligere posset[n] id, quod tu nuper dubitare cœpisti,[o] τὸ καλὸν δι' αὑτὸ αἱρετὸν[l] esse. [*p.* 254.] Nam quod multos miseriis[8] levavit,[p] et quod se in his malis hominem præbuit,[m] mira-

[h] *Quanquam nulla jam superest facies, et imago civitatis.*
[i] *Sine certo auctore.* [k] *Imperatoris ornatus veste.*
[l] *Honestum propter se expetendum.*
[m] *Summam adhibuit humanitatem.*

quid. Nos hic D. Syllam patrem edd. vett. Statim, *alii a latronibus interfectum, alii, &c.* vet. cod. Græv. *alii crudelitate* Hitt. Peck. *tamen esse constabat* nonnulli codd. ap. Græv. Dresd. 3. 4. Lips.—6 *Hoc tu pro tua sapientia* vet. cod. Græv. Mox, idem *quanquam πρόσωπον καλὸν καὶ αὐτὸ αἱρετόν*· al. ap. Græv. *πρόσωπον καλὸν καὶ αὐτὸν αἱρετόν.* Deinde, *ne hasta refrixeret* Hitt.—7 Ita Hitt. Pall. 1. 6. *ad III Kal. Jan.* edd. vett.—8 Cod. ψ *miseria.* Mox,

NOTÆ

[d] *Cruditate*] Cruditas, prava est stomachi affectio, quæ contrahitur ægra ciborum concoctione.

[e] *Non curabat*] Quo genere mortis obiisset, mortem tantummodo obiisse gaudebat.

[f] *Combustum*] Neminem ex hac familia, ante Sullam dictatorem, combustum fuisse, auctores tradunt.

[g] *Feres æquo animo*] Ironia; neque enim dolebat Cassius, mortuum esse Sullam, qui Pompeianorum bona in auctione emere solitus esset.

[h] *Hasta*] Signum erat auctionis; sumitur pro ipsa bonorum venditione. *Ne hasta refrixisset*, sensus est, ne auctio, seu venditio bonorum proscriptorum fieri desineret, amisso tali patrono. Vide Epist. IX. 10.

[i] *Adversarium*] Quæstui suo in bonis emendis.

[k] *De Hispania*] Ubi Cæsar contra Pompeii liberos bellum gerebat.

[l] *Rumores tristiores*] De Pompeio juniore, ejusque legatis.

[m] *Profectus est*] In citeriorem Galliam M. Bruti successor.

[n] *Ut quivis intelligere posset*] Tanta benevolentia discedentem Pansam prosecuti sunt cives, ut inde quivis intelligere posset, honestum propter se, utilitate omni, et voluptate semota, expetendum esse.

[o] *Dubitare cœpisti*] Ex quo jurasti in Epicuri verba, qui quidem honestum censebat expetendum esse, si tamen cum voluptate conjungeretur.

[p] *Miseriis levavit*] Quod sua apud Cæsarem auctoritate usus est, ut afflictis opem ferret.

bilis eum virorum bonorum benevolentia prosecuta est. Tu quod adhuc Brundisii moratus es, valde probo, et gaudeo: et, mehercule, puto te sapienter facturum, si [q] ἀκενόσπουδος [n] [9] fueris. Nobis quidem, qui te amamus, erit gratum: [r] et, amabo te, cum dabis posthac aliquid domum [10] literarum, mei memineris. Ego nunquam quenquam ad te, cum sciam, sine meis literis ire patiar.[11]

(18.) M. T. C. C. CASSIO S. P. D.

ARGUMENTUM.—Epistolæ brevitatem excusat: tristitiam temporum accusat: nihil ex Hispania auferri significat.

LONGIOR epistola fuisset, nisi eo ipso tempore petita esset a me, cum jam iretur ad te: longior etiam,[1] si φλύαρον [a] [2] aliquem habuisset: nam σπουδάζειν [b] sine periculo [b] vix possumus. Ridere igitur, inquies, possumus. Non, mehercule, facillime: [c] verumtamen aliam aberrationem [d] a molestiis nullam habemus.[c] Ubi igitur, inquies, philosophia? [e] tua quidem in culina; [f] mea molesta est: [d 2 g] pudet

[n] *Minime curiosus.* [a] *Nugacem, garrulum.* [b] *Res serias scribere.*
[c] *Non est altera ratio molestiam omnem pellendi.*
[d] *Tua quidem in epulis et voluptate consistit, mea vero mihi gravis est, ac molesta.*

bonorum deest in *v.*—9 Cod. ψ, et al. ap. Græv. ἀχρεῖος πῖλος.—10 Dresd. 3. 4. omittunt *domum.*—11 Dresd. 2. 3. 4. 5. Torg. Lips. Bengel. Benedict. addunt *Vale.*

EPIST. XVIII. 1 Dresd. 2. 3. 5. Lips. ψ, Victor. Ascens. 1. *longior autem.* Actutum, *si φαιδρὸν aliquem* codd. Græv. *si φαίδρον σπουδάζην aliquem* ψ. *si φλύαρον aliquid habuissem* conj. Ernesti.—2 Ita emend. Victor. *molestast* Me-

NOTÆ

[q] *Si*] Si res inutiles, rumoresque vanos audire neglexeris.

[r] *Erit gratum*] Si Brundisii procul ab omni tumultu bellico remanseris.

[a] *Si φλύαρον*] Id est, si is essem, qui nugis, fabulisque scribendis delectarer.

[b] *Sine periculo*] Ne forte, si de præsenti rerum statu scribamus, indignentur Cæsariani, nobisque succenseant.

[c] *Non, mehercule, facillime*] Ne risum nostrum malam in partem Cæsariani interpretentur, quasi videamur bene sperare de Pompeianis in Hispania dimicantibus. Hæc nempe miserrima est tyrannicæ dominationis conditio, ut risus et fletus, silentium et sermo, vultus etiam figura quælibet aliquando funesta sint.

[d] *Aliam aberrationem*] Præter risum.

[e] *Philosophia*] Unde repetere potes ad tolerandum dolorem remedia.

[f] *In culina*] Quia Cassius Epicuri dogmata sequebatur. Vide epist. 16.

[g] *Mea molesta est*] Meam enim servitutem perpetuo mihi exprobrat.

enim servire.[h] Itaque facio[3] [i] me alias res agere,[e] ne convicium Platonis audiam.[k] De Hispania[l] nihil adhuc certi, nihil omnino novi. Te abesse, mea causa[m] moleste fero, tua gaudeo.[n] Sed flagitat tabellarius. Valebis igitur, meque, ut a puero fecisti, amabis.

(19.) C. CASSIUS M. T. C. S. P. D.

ARGUMENTUM.—Respondet duabus Ciceronis Epistolis, quæ ante proximam superiorem leguntur. Epicureos laudat a virtutis studio. Cupere videtur ut Cæsar in Hispania vincat, jam cognita ejus clementia.

S. V. B. Non, mehercule, in hac mea peregrinatione quicquam libentius facio, quam scribo ad te: videor[1] enim cum præsente loqui et jocari. Nec tamen hoc usu venit propter spectra Catiana:[a 2 a] pro quo tibi proxima epistola tot rusticos Stoicos[b] regeram,[c] ut Catium Athenis natum

[e] *Fingo me non servire, sed res unice meas curare.*
[a] *Nec tamen hoc contigit ob spectra de quibus Catius scripsit.*

dic. *molestasset* Pal. 1. Mentel. Dresd. 2. 4. Lips. ψ. *molestia est* Dresd. 3. *molestat* al. *in molestia est* quidam Lambini amicus. Porro *et* ante *quidam in culina* habent codd. Lamb. et Ascens. 1. Pro *in culina* Dresd. 3. 5. et Corrad. habent *inquilina.*—3 *Itaque scito* al ap. Græv.

EPIST. XIX. 1 Cod. ψ *video.*—2 *Catina* P v ψ. *Stoicos regerem ut Vetacium*

NOTÆ

[h] *Pudet enim servire*] Qui prius effeceram, ne respublica Catilinæ serviret.

[i] *Facio*] Fingo me rebus meis consulere, et a publicis abstinere.

[k] *Platonis audiam*] Eos, qui serviunt, objurgantis: vel ne Plato me arguat, quod tali tempore, quo nulla est respublica, publica tamen negotia tractare velim. Respicit, opinor, ad id, quod refert Epist. 1. 9. ubi de Platone sic loquitur: 'Atque hanc quidem ille causam sibi ait non attingendæ reipublicæ fuisse, quod cum offendisset populum Atheniensem prope jam desipientem senectute,' &c.

[l] *De Hispania*] Ubi ad Mundam Bæticæ oppidum omnibus viribus utrimque dimicatum est; vicit tandem Cæsar, amicisque post pugnam dixit, 'sæpe se pro victoria, in præsentia vero pro vita dimicasse.'

[m] *Mea causa*] Quia nihil mihi tua consuetudine jucundius.

[n] *Tua gaudeo*] Cum liber ab omni cura tranquille vivas.

[a] *Spectra Catiana*] Vide Epist. 16.

[b] *Stoicos*] Quos tamen Epicureis videris anteponere.

[c] *Regeram*] Sensus est: Tu Catium perstrinxisti, ut agrestem, et inerudituin; ego contra tot inurbanos tibi Stoicos nominabo, ut, &c. Consule interpretationem.

esse dicas.[b] Pansam nostrum, secunda voluntate hominum,[c] [3] paludatum[d] ex urbe exisse, cum ipsius causa gaudeo, tum, mehercule, etiam omnium nostrum. Spero enim, homines intellecturos,[4] quanto sit omnibus odio crudelitas,[e] et quanto amori probitas et clementia: atque ea, quæ maxime mali petant et concupiscant, ad bonos pervenire.[d f] Difficile est enim[g] persuadere hominibus, τὸ καλὸν[h] δι' αὑτὸ αἱρετὸν[e] esse: ἡδονὴν[i] vero et ἀταραξίαν[f] [5] [k] virtute, justitia, τῷ καλῷ[g] parari, et verum, et probabile est. Ipse enim Epicurus, a quo omnes Catii et Amafinii, mali verborum interpretes,[h] [l] proficiscuntur, dicit, οὐκ ἔστιν ἡδέως

[b] *Pro quo Catio, quem contemnere visus es, tot tibi Stoicos contra objiciam barbare loquentes, ut Catius, cum iis comparatus, elegans esse et politus videatur.*

[c] *Approbante, et plaudente populo.*

[d] *Probosque viros hac benignitate et clementia honores adipisci, quos mali maxime concupiscunt.*

[e] *Honestum per se expetendum.*

[f] *Voluptatem vero, et tranquillum animi statum.* [g] *Et honesto.*

[h] *Qui, Catii et Amafinii similes, Epicuri verba male interpretantur.*

v.—3 Cod. ψ *hominem.* Statim, *ex urbe exurrexisse* Pal. 1. Stewech. Vat. Dresd. 2. Lips. Pal. 1. Stewech. Peck. Ascens. 1. *exurexisse* Dresd. 2. 5.—4 *Spero enim vos intellecturos* Dresd. 3. Actutum, *quanto sit omnibus odio* Dresd. 2. 3. 4. 5. Lips.—5 Ita emend. Victor. *et διαξίαν* Dresd. 2. Ascens. 1. et edd. antiq. *et Aiaxiam* Medic. *et ἀναλγησίαν* al. ap. Græv. *et δι' ἀξίαν*

NOTÆ

[d] *Paludatum*] Paludamentum, ut ante jam dixi, erat militare imperatoris indumentum. Legati tamen, et tribuni militum, ut Livius habet, eadem veste usi sunt.

[e] *Crudelitas*] A qua prorsus abhorrebat Pansa. Epist. 17.

[f] *Ad bonos pervenire*] Id est, probitatem, et clementiam tutissimum esse ad honores obtinendos iter, quod fit manifestum exemplo Pansæ, qui clemens, et probus, Galliæ administrationem accepit.

[g] *Difficile est enim*] Sed nemo deinceps in dubium id revocabit, ad Pansam si velit respicere.

[h] Τὸ καλὸν] Pauci quippe reperiuntur, qui honestatem ab utilitate propria sejunctam curent.

[i] Ἡδονὴν] Summum bonum Epicurei posuisse dicuntur in voluptate, sive in doloris immunitate, ut sanum corpus esset, animus a perturbatione vacuus; sic tamen, ut sentirent utrumque parandum esse virtute et justitia.

[k] Ἀταραξίαν] Id est statum animi, qui nulla re turbatur. Ταράσσω, *turbo.*

[l] *Mali verborum interpretes*] Id est, qui cum Epicuri sententiam perperam intellexissent, opinati sunt felicitatem ab eo reponi in obscœnis voluptatibus, et ab honesto ac virtute sejunctis, cum tamen affirmaret non posse jucunde vivi, nisi honeste justeque viveretur.

ἄνευ τοῦ καλῶς καὶ δικαίως ζῆν.[i] Itaque et Pansa,[m] qui ἡδονὴν[k] sequitur, virtutem retinet: et ii, qui a nobis[6 n] φιλήδονοι[l] vocantur, sunt φιλόκαλοι καὶ φιλοδίκαιοι,[m] omnesque[o] virtutes et colunt et retinent. Itaque Sulla,[p] cujus judicium probare debemus,[q] cum dissentire[r] philosophos videret, non quæsiit,[7 s] quid bonum esset: omnia bona coëmit: cujus ego mortem forti, mehercules, animo tuli.[t] Nec tamen Cæsar diutius nos eum desiderare[u] patietur: nam habet damnatos,[8 x] quos pro illo nobis restituat: nec ipse[y] sectorem[z] desiderabit, cum filium viderit. Nunc, ut ad rem-

[i] *Non licet suaviter vivere, nisi juste et honeste vivatur.*
[k] *Voluptatem.* [l] *Voluptatis amantes.*
[m] *Amantes honesti, et justi.*

Corrad. *et ἀταξίαν* al. ap. Benedict. Deinde, *et verum et præterea probabile est* edd. vett.—6 Ita Dresd. 2. Hitt. cum libris Victorii et Manut. *qui a vobis* Lips. et Dresd. 3. Mox, *φιλόκαλοι καὶ* desunt in Hitt. Pall. 1. 6. Victor. —7 Ita Vat. et Victor. *non quæsivit* edd. vett. Statim, *et omnia* Dresd. 2. 3. 4. 5. Lips. Ascens. 1. *forti mehercule* al. ap. Græv.—8 Codd. Græv. *habet*

NOTÆ

[m] *Pansa*] Epicureus.

[n] *A nobis*] Epicuri sectatoribus; vel *a nobis*, ut nonnulli interpretes habent, Epicuri placita irridentibus.

[o] *Omnesque*] Ex Epicuri mente voluptatem a virtute non separant.

[p] *Sulla*] De cujus morte Cicero scripserat Epist. 17.

[q] *Cujus judicium probare debemus*] Quasi sapientis, et eruditi viri. Ironice et acute dictum.

[r] *Dissentire*] Qua scilicet in re summum ac verum bonum consisteret; quod Stoici in virtute, in divitiis alii, alii in voluptate sola, reponebant.

[s] *Non quæsiit*] Sulla, vir ingeniosus et prudens, non laboravit in investiganda natura boni; sed ne erraret in delectu, omnia bona sumsit: jocatur Cassius, et in verborum ambiguitate ludit. Disputabant philosophi de summo bono; Sulla vero Pompeianorum bona omnia, cum sub hasta venderentur, coëmit.

[t] *Forti animo tuli*] Hæc etiam jocose dicta sunt: nec enim de morte Sullæ Cassius doluit, immo potius ea gavisus est, quippe qui Pompeianos amaret, eorumque bona ægre ferret a Sulla auferri.

[u] *Desiderare*] Habet enim Cæsar quos in locum Sullæ brevi sufficiat.

[x] *Nam habet damnatos*] Festive inprimis, et argute dictum. Lege Pompeia damnatos restituerat Cæsar; hoc latenter Cassius notat, cum tamen de iis loquatur, quos Cæsar ad sectiones faciendas, ne hasta refrigesceret, Sullæ mortuo suffecturus est. Jocus est in verbo *restituat*, ambigua significatione ad majorem Cæsaris contumeliam. Ita Manutius.

[y] *Nec ipse*] Nec Cæsar ipse desiderabit, qui bona Pompeianorum emat, postquam Sullæ filium viderit: is enim patris, in sectione facienda, imitator erit optimus.

[z] *Sectorem*] 'Sector' is est, qui

publicam redeam,[9] quid in Hispaniis geratur, rescribe. Peream, nisi solicitus[a] sum, ac malo[10] veterem et clementem dominum[n] habere, quam novum[o] et crudelem experiri. Scis, Cnæus[b] quam sit fatuus: scis, quomodo crudelitatem virtutem putet: scis, quam se semper a nobis derisum putet. Vereor, ne nos rustice gladio velit ἀντιμυκτηρίσαι.[p] [c] Quid fiat, si me diligis, rescribe. Hui,[11] quam velim scire, utrum ista solicito animo an soluto[q] legas! [*p.* 255.] sciam enim eodem tempore, quid me facere oporteat.[d] Ne longior sim, vale: et me,[12] ut facis, ama. Si Cæsar vicit,[13] celeriter me expecta.

(20.) M. T. C. TREBONIO S. P. D.

ARGUMENTUM.—Librum, quem Oratorem inscripsit, mittit: Sabinorum probitatem laudat: crebriores literas postulat. Missa in Asiam post Cæsaris necem.

ORATOREM meum[r] [e] (sic enim inscripsi) Sabino[f] tuo commendavi. Natio[g] me hominis impulit, ut ei recte pu-

[n] *Cæsarem.* [o] *Cnæum Pompeium, Magni filium.*
[p] *Vicissim deridere.* [q] *Quieto.*
[r] *Librum de Oratore a me scriptum.*

domi natos. Mox, *sectatorem desiderabit* Hitt. *sectorem desiderat* Dresd. 2. *sectorem desiderabit* Dresd. 4.—9 *Nunc ad remp. redeam* Stewech. *quid in Hispanis* Dresd. 3. 4. 5. Torg. Lips.—10 Stewech. *aut malo.*—11 Ita Dresd. 2. 5. *Huic* Lips. *Hui* deest in Dresd. 3. ubi legitur *rescribe, ut sciam, utrum, &c.* Dresd. 2. habet *quam vellem,* quod recepit Benedict. *utrum istas solicito* Dresd. 2. 4. 5. ψ, Ascens. 1.—12 Quatuor Dresd. Lips. Victor. *vale: me,* omissa conjunctione *et,* probante Benedict.—13 *Si Cæsar vicerit* conj. Ernesti. *Iterum bene vale* addit ψ.

NOTÆ

proscriptorum bona in auctione emit. Antonius sector Pompeii a Cicerone appellatur, quoniam sub hasta, Pompeii bona redemerat; inde 'sectio' sumitur pro bonis damnatorum, aut spoliis hostium, quæ in auctione venduntur: Gallice dicimus *confiscation.*

[a] *Nisi solicitus*] De belli Hispaniensis eventu timeo, ne Pompeiani vincant.

[b] *Cnæus*] Pompeii Magni filius.

[c] Ἀντιμυκτηρίσαι] Id est, *naso vicissim suspendere:* μυκτὴρ, *nasus,* qui pro irrisione nonnunquam sumitur.

[d] *Oporteat*] Utrum solicitus, an quietus esse debeam.

[e] *Oratorem meum*] Epist. VI. 18.

[f] *Sabino*] Nomen proprium, quod a regione tamen deductum est.

[g] *Natio*] Severitate morum, et continentia nobilis. Sabini populi sunt Romæ vicini, Apennini jugis circumvallati.

tarem:[t] nisi forte, candidatorum[h] licentia[1] hic quoque usus, hoc subito cognomen arripuit:[u] etsi modestus[i] ejus vultus, sermoque constans, habere quiddam a Curibus[2][k] videbatur. Sed de Sabino satis. Tu, mi Treboni, quando[3] ad amorem meum aliquantum olim discedens addidisti;[x] quo tolerabilius feramus igniculum desiderii tui,[y] crebris nos literis appellato; atque ita, si idem fiat a nobis:[z] quanquam duæ causæ sunt, cur tu frequentior in isto officio esse debeas, quam nos; primum, quod olim solebant, qui Romæ erant, ad provinciales amicos de republica scribere: nunc tu nobis scribas oportet:[4] res enim publica istic[l] est:[a] deinde, quod nos aliis officiis[m] tibi absenti satis-

[t] *Ut putarem ei recte committi posse.*
[u] *Nisi si dicamus eum, candidatorum more, ac licentia, hoc subito nomen arripuisse.*
[x] *Quandoquidem discessus tuus aliquid amori erga te meo addidit.*
[y] *Desiderium tui videndi.*
[z] *Frequenter ad me scribe; ea tamen conditione, ut ad te frequenter scribam.*
[a] *Nam respublica, non jam Romæ, ut antea, sed vobiscum est in provinciis.*

EPIST. XX. 1 Codex unus Oxon. *licentiam.*—2 *Curribus* ψ.—3 Ita Dresd. 2. 4. 5. Torg. Lips. edd. vett. *cum* Pall. 1. 6. Hitt. Stewech. unus Gulielm. Amstel. Mox, *quo tolerantius* conj. Lamb.—4 Ita Dresd. 1. 2. *nunc te nobis*

NOTÆ

[h] *Candidatorum*] Qui magistratus petebant, candidati dicebantur a toga candida, quam induisse constat. Hoc docet, præter ceteros, Macrobius: 'Mos fuit,' inquit, 'petitoribus, ut sumta candida toga, nundinis in Comitium venirent, et in colle considerent, unde coram possent ab universis videri.' Tradit etiam Plutarchus in Coriolani Vita, petitores, cum in campum descenderunt, tunicam deposuisse, sive, ut pecuniam in sinu gestare non possent, qua emerent suffragia; sive ut cicatrices adverso pectore acceptas commodius ostenderent; sive ut, quemadmodum prensationibus, et supplicatione, sic etiam eo corporis habitu se deprimerent: fictis quoque aliquando cognominibus, populum sibi conciliabant.

[i] *Etsi modestus*] Præterea sum adductus, ut librum illi meum committerem, quod modestus ejus vultus, &c. Sabinam severitatem exprimat.

[k] *Curibus*] Urbe Sabinorum primaria, ubi nunc monasteriolum *Vescovio di Sabina.* Virg. lib. VIII. 'Romulidis, Tatioque seni, Curibusque severis.'

[l] *Istic*] Id est, in iis provinciis, ubi erant Trebonius, Cassius, et Brutus, libertatis, post interfectum Cæsarem, defensores: Romæ enim, dominantibus Antonio et Dolabella consulibus, nulla reipublicæ, nulla libertatis imago supererat.

[m] *Quod nos aliis officiis*] Cum digni-

facere possumus; tu nobis, nisi literis, non video, qua re alia satisfacere possis. Sed cetera scribes ad nos postea. Nunc hæc primo[5] cupio cognoscere: iter tuum cujusmodi sit; ubi Brutum nostrum[n] videris; quamdiu simul fueris; deinde, cum processeris longius, de bellicis rebus, de toto negotio,[o] ut existimare possimus, quo statu simus.[p] Ego tantum me scire putabo, quantum ex tuis literis habebo[6] cognitum. Cura ut valeas, meque ames amore illo tuo singulari.

(21.) M. T. C. TREBONIO S. P. D.

ARGUMENTUM.—Rogat, ut sui absentis desiderium epistolis crebris et longis leniat: de Calvo oratore jam mortuo quid sentiat, exponit.

ET epistolam tuam[a] legi libenter, et librum[b] libentissime; sed tamen in ea voluptate hunc accepi dolorem,[1] quod, cum incendisses cupiditatem meam consuetudinis nostræ augendæ, (nam ad amorem quidem nihil poterat accedere) tum discedis a nobis,[c] meque tanto desiderio afficis, ut unam mihi consolationem relinquas, fore, ut utriusque nostrum absentis desiderium crebris et longis epistolis leniatur. Quod ego non modo de me tibi spondere possum, sed de te etiam mihi. Nullam enim apud me reliquisti

scribere oportet Lips. Dresd. 4. 5. Peck. Ascens. 1.—5 *Nunc hæc prima* Hitt. Pal. 6. Dresd. 3. Mox, *cujusmodi sit ad nos* Dresd. 2. 4. 5. Stewech. *v* ψ. Actutum *ubi* deest in Dresd. 2. 4. *utrum Brutum* habet Hitt.—6 Cod. ψ *habeo.*

EPIST. XXI. 1 Lamb. *hunc cepi dolorem.* Actutum, *quod, cum accendisses*

NOTÆ

tatis tuæ, reique familiaris, habere curam et possim, et velim.

[n] *Brutum nostrum*] Marcum Brutum, qui metu veteranorum militum, quos in urbem convocarat Antonius, Roma discesserat, Macedoniamque a senatu sibi decretam occupaverat. Vide Tabulam ejus Historicam.

[o] *De toto negotio*] Id est, de toto belli apparatu, quod Antonio, pro tuenda libertate, indicere cogitabant.

[p] *Quo statu simus*] Utrum reipublicæ liberæ cives, an semper Antonii servi?

[a] *Epistolam tuam*] Quæ ad nos usque non pervenit.

[b] *Librum*] In quo Ciceronis acute, dicta laudabat Trebonius.

[c] *Tum discedis a nobis*] In Hispaniam ulteriorem proficiscens, quam ex prætura proconsul obtinuit, ut habet Pighius Annal. lib. XVII. tom. 3. pag. 450. Præturam urbanam Trebonius exercuit anno superiori, Cæsare iterum, et Servilio coss.

dubitationem, quantum me amares. Nam, ut illa omittam, quæ civitate teste fecisti,[d] cum mecum inimicitias communicasti,[a 2] cum me concionibus tuis[b] defendisti, cum quæstor in mea atque in[e] publica causa consulum[f] partes suscepisti,[c] cum tribuno plebis[g] quæstor non paruisti, cui tuus præsertim collega[h] pareret: ut hæc recentia, quæ meminero semper, obliviscar; quæ tua solicitudo de me in armis,[d] quæ lætitia in reditu![i] quæ cura, qui dolor, cum ad te[3] curæ[k] et dolores mei[l] perferrentur! Brundisium[m] deni-

[a] *Cum eos qui me oderant, odio quoque habuisti.*
[b] *Tuis ad populum orationibus.*
[c] *Ea pro me fecisti, quæ debuerant facere consules.*
[d] *In bello civili.*

Hitt. *quem cum incendisses v.* Statim, *nam cum ad amorem* in eodem cod.— 2 Pall. 1. 6. Hitt. *communicavisti.* Paulo post, *in mea aut publica* ψ. *consi-*

NOTÆ

[d] *Fecisti*] Ut me contra Clodium, aliosque, defenderes.

[e] *In mea, atque in, &c.*] Suam causam a reipublicæ causa non secernit: iidem enim eodem tempore et Tullium, et rempublicam prodiderunt.

[f] *Consulum*] Erant eo anno Afranius et Metellus Celer; hic Herennio quoque, Publium Clodium ad plebem traducere cupienti restitit, unde sic potest explicari locus ille, *consulum partes suscepisti*, id est, Metelli partes contra Herennium aperte suscepisti, vel ita uti in interpretatione exposuimus: probabile enim est Afranium Clodio favisse.

[g] *Tribuno plebis*] Caio Herennio, qui legem de P. Clodio a patriciis ad plebem traducendo promulgavit, ut tribunus plebis fieri posset: huic legi adversatus videtur Trebonius, qui quæstor urbanus fuit eodem anno, quo Herennius tribunatum gessit, id est, anno urbis conditæ 693. coss. Afranio, et Metello Celere. Hæc accurate pro more suo Pighius; longe aliter Manutius explicat. Judicium lectoris facio.

[h] *Collega*] Quintus Cæcilius Metellus Creticus, sic dictus ob recentem patris de Cretensibus triumphum. Plurimum autem hac parte Trebonio debebat Tullius; hoc enim inprimis consilio tribunatum Clodius expetebat, ut Ciceronem in exilium ejiceret, quod utique post fecit. Vide Tabulam Historicam Cæsaris.

[i] *In reditu*] Cum in Italiam redii post cladem Pharsalicam.

[k] *Curæ*] Pœnituit enim Ciceronem tam cito venisse in Italiam, non obtenta prius a Cæsare facultate: ad Att. XI. 16. 'Consilii pœnitet; in oppido aliquo malliem resedisse, quoad arcesserer,' nempe a Cæsare in Italiam; id enimvero tutius, et magis honorificum fuisset.

[l] *Et dolores mei*] Ob periculum, in quo versabar, cum Brundisii in eorum potestate essem, contra quos arma sumseram.

[m] *Brundisium*] Ubi Cicero tamdiu restitit, donec usque Cæsar, Alex-

que te ad me venturum fuisse, nisi subito in Hispaniam[n] missus esses! Ut hæc igitur omittam, quæ mihi tanti æstimanda sunt, quanti[4] vitam æstimo et salutem meam; liber iste,[o] quem mihi misisti, quantam habet declarationem amoris tui! primum,[p] quod tibi facetum videtur, quicquid ego dixi; quod aliis fortasse non item: deinde, quod illa, sive faceta sunt, sive secus,[q] fiunt, narrante[r] te, venustissima: quin etiam antequam ad me veniatur,[s] risus omnis pæne consumitur. Quodsi[t] in his scribendis nihil aliud, nisi (quod necesse fuit) de uno me tamdiu cogitavisses,[5] [*p*. 256.] ferreus essem, si te non amarem.[u] Cum vero ea, quæ scriptura persecutus es,[e] [6x] sine summo amore cogitare non potueris; non possum existimare, plus quenquam a se ipso, quam me a te amari. Cui quidem ego amori, utinam

[e] *Quæ scripsisti de me.*

lium partes Stewech.—3 Pal. 6. *quam ad te.*—4 Idem cod. *tanta æstimanda sunt, quantam.* Paulo post, *quod alii fortasse* Dresd. 3. Pal. 6. Stewech. Bengel. Deinde, *sive faceta sunt, sive sic fiunt* edd. vett. *sive faceta sint, &c.* Dresd. 2. 3. 4. 5. Lips. ψ, Ascens. 1. Benedict. *sive secus* est ex ingenio Corradi. *et venustissima* P *v* ψ.—5 Hitt. *cogitasses.*—6 Stewech. cum uno cod.

NOTÆ

andrino bello confecto, Italiam repetiit.

[n] *In Hispaniam*] Vide notam ultimam in pag. 406.

[o] *Liber iste*] De quo supra.

[p] *Primum*] Primum in eo declaras amorem erga me tuum, quod facetum tibi videtur, et ingeniosum id omne quod dixi, quanquam alii forte non idem de meis dictis judicium ferant.

[q] *Sive secus* [*sic*] Asserit Manutius, conjunctionem hauc *sic* minuendi vim habere, adeo ut sensus ille sit, sive dicta mea faceta sunt, sive facetiarum per se minus habent. Lubentius ego legerem *secus*, id est, sive dicta mea faceta sunt, sive non sunt.

[r] *Narrante*] Dum enim dicta mea repetis, et usurpas, novum iis leporem videris affingere.

[s] *Antequam ad me veniatur*] Antequam ad me veniant amici, ut librum hunc mihi gratulentur, sic jam de meis facetiis, et salibus, te narrante, riserunt, ut risus omnis consumtus videatur.

[t] *Quodsi*] Quodsi inter scribendum hunc librum, quem ad me misisti, nihil aliud in mentem tibi venisset, præter id quod postulabat necessitas, nulla amoris mutui habita ratione; tamen de me uno tam longo tempore cogitasses, ut ferreus essem, &c.

[u] *Si te non amarem*] Quod de me uno tamdiu cogitaveris: nec enim de aliquo scribere possumus, quin ejus imago in mentem sæpe nostram recurrat.

[x] *Persecutus es*] In libro, quem de Ciceronis dictis Trebonius scripserat.

ceteris rebus possem! amore certe respondebo: quo tamen ipso tibi confido futurum satis.[7 y] Nunc ad epistolam venio, cui copiose et suaviter scriptæ nihil est quod multa respondeam. Primum enim ego illas Calvo[z] literas misi, non plus, quam has, quas nunc legis, existimans[a] exituras:[f] aliter enim scribimus, quod eos solos, quibus mittimus; aliter, quod multos lecturos putamus. Deinde ingenium ejus melioribus extuli laudibus, quam tu id vere potuisse fieri putas. Primum, quod ita judicabam,[8 b] acute movebatur: genus[c] quoddam sequebatur, in quo, judicio lapsus, quo valebat, tamen assequebatur, quod probaret. Multæ erant[d] et reconditæ literæ: vis non erat.[e] Ad eam igitur adhortabar.[9] In excitando autem et in acuendo plurimum valet, si laudes eum, quem cohortere.[10] Habes de Calvo judicium et consilium meum; consilium, quod hortandi causa laudavi; judicium, quod de ingenio ejus

[f] *Existimans non magis in publicum exituras, quam has, quas nunc legis.*

Oxon. *persecutus es.*—7 Manut. conj. *facturum satis;* Lamb. *me facturum satis,* sive, *quod tamen ipsum tibi confido futurum satis;* Ernesti *confido factum satis.* Libri vero manuscripti nihil mutant.—8 Alii legunt *ita judicabam quod.* Mox, *quod valebat* Stewech. *tamen exequebatur* Peck.—9 *Ad eam igitur hortabar* al. ap. Græv.—10 Hitt. *quem cohortare.*—11 Dresd. 3. et Peck. *ut tuam*

NOTÆ

y *Futurum satis*] Malim cum Manutio, *facturum satis,* ut subaudiatur *me,* id est, quo tamen amore meo, etsi nihil præterea tibi rependam, spero futurum, ut tibi faciam satis.

z *Calvo*] Ex iis verbis colligitur, Ciceroni significasse Trebonium sibi non probari, quod tantis laudibus Calvum ornasset. Multiplici ratione suum id factum Tullius excusat. Fuit Calvus orator insignis, et a Quintiliano laudatus, x. 2. 'Quid tamen noceret vim Cæsaris, diligentiam Pollionis, judicium Calvi, quibusdam in locis assumere?' Et in cap. 1. ejusdem libri: 'Inveni, qui Calvum præferrent omnibus, &c. sed est et sancta, et gravis oratio, et castigata; imitator est autem Atticorum: fecitque illi properata mors injuriam, si quid adjecturus, non si quid detracturus sit.'

a *Existimans*] Illas literas, quas ad Calvum de ejus laudibus misi, in ejus duntaxat, non in alterius cujusquam manus venturas.

b *Judicabam*] Ingenii plurimum in Calvo esse, vel ex eo quod acutos in dicendo motus haberet.

c *Genus*] Genus quidem dicendi siccum et jejunum usurpabat, in quo peccare contra judicium visus est, etsi valebat judicio, quo finem sibi propositum semper assequebatur.

d *Erant*] In Calvo.

e *Vis non erat*] Quoniam nimia

valde existimavi bene.[g] Reliquum est, tuam profectionem[11] [f] amore prosequar, reditum spe expectem, absentem memoria colam, omne desiderium literis mittendis accipiendisque leniam. Tu velim tua in me studia et officia multum tecum recordere:[12] quæ cum tibi liceat, mihi nefas[g] sit oblivisci, non modo virum bonum me existimabis, verum etiam te a me amari plurimum judicabis. Vale.

[g] *Optime et sincere judicavi.*

profectionem. Mox, *absentiam memoria colam* conj. Lamb. probante Benedict. Deinde, pro *colam omne desiderium,* vet. cod. Grævii habet *commune desiderium.*—12 Pall. 1. 6. *multum tecum recordare.*

NOTÆ

quadam religione vim orationis enervabat.

[f] *Tuam profectionem*] Ut te proficiscentem in Hispaniam amore prosequar.

[g] *Mihi nefas*] Beneficia commemorare debet qui accipit, non qui contulit.

M. TULLII CICERONIS

EPISTOLARUM

LIBER XVI.*

AD TIRONEM.

(1.) M. T. C. ET CICERO[a] MEUS, ET FR. ET FRATRIS FIL. TIRONI[b] S. P. D.[1]

ARGUMENTUM.—Suum desiderium Tironi, quem Patris ægrotum reliquerat, cum ex provincia domum iret, significat.

[*p.* 257.] PAULO facilius putavi posse me ferre desiderium tui; sed plane non fero:[a] et quanquam magni ad honorem[2] nostrum[b] interest, quamprimum[c] ad urbem me venire,

[a] *Absentiam tuam, sed hanc ægerrime fero.*
[b] *Ad triumphum obtinendum.*

---

* Hujus libri Epistolæ alio ordine leguntur in Dresd. 2. 3. 5. Ascens. 1. ed. Lips. 1504. ed. Paris. aliisque quam plurimis libris, hoc sc. 5. 7. 1. 2. 3. 4. 6. 8. 9. 11. 12. 10. 15. 14. 13. 16. 17. 18. Lips. et Dresd. 4. in plurimis consentiunt cum reliquis codd. nisi quod unam vel alteram Epist. omittunt, sive alio collocant loco.

EPIST. 1. 1 *Tullius Tironi suo S. P. D. Cicero meus et frater et fratris fil.* Dresd. 2. 3. Victor.—2 Dresd. 2. 5. Lips. Ascens. 1. *magni et honorem;* Dresd. 3. *magni ob honorem.* Mox, *qui abs te disc.* Lamb. Paulo post, *neque*

NOTÆ

[a] *M. T. C. et Cicero*] E Cilicia Romam redeuntes.

[b] *Tironi*] Vide Indicem Historicum.

[c] *Quamprimum*] Ne discordia civilis triumphum, quem petierat, impe-

tamen peccasse mihi videor, qui a te discesserim: sed quia tua voluntas ea videbatur esse, ut prorsus, nisi confirmato corpore, nolles navigare, approbavi tuum consilium, neque nunc muto, si tu in eadem es sententia. Sin autem, postea [3] quam [d] cibum cepisti, videris tibi posse me consequi, tuum consilium est.[c] Marionem [e] ad te eo misi, ut aut tecum ad me quamprimum veniret, aut, si tu morarere,[4] statim ad me rediret. Tu autem hoc tibi persuade, si commodo valetudinis tuæ fieri possit, nihil me malle, quam te esse mecum: si autem intelliges [5] opus esse, te Patris,[f] convalescendi causa, paulum commorari, nihil me malle, quam te valere. Si statim navigas, nos Leucade [g] consequere: [d 6] sin te confirmare vis; et comites, et tempestates,[e] et navem idoneam ut habeas, diligenter videbis. Unum illud, mi Tiro, videto, si me amas, ne te Marionis adventus et hæ literæ moveant.[f h] Quod valetudini tuæ maxime conducet, si feceris, maxime obtemperaris [7] voluntati meæ. Hæc pro tuo ingenio considera.[g] Nos ita te desideramus, ut amemus: amor, ut valentem videamus, hortatur: desiderium, ut quampri-

[c] *Tuum est consulere, utrum ad nos navigare velis, necne.*
[d] *Invenies me Leucade.*
[e] *Tempus commodum.*
[f] *Ne te solicitum habeant.*
[g] *Hæc diligenter, ut soles, considera.*

nunc mitto Pal. 1.—3 Ita Pall. 1. 6. Victor. *Sin postea,* omisso *autem*, edd. vett. Statim, *me posse consequi* edd. vett.—4 Hitt. Pal. 6. *si tu morarcris.*— 5 Ita Pal. 6. Amstel. Victor. *sin intelliges*, omisso *autem*, edd. vett. Mox, *pullum commorari* Peck.—6 *Leucade consequereris* Pal. 6. et al. ap. Græv.— 7 Dresd. 3. *maxime obtemperabis;* Dresd. 3. *maxime obtemperaberis.* Hitt. et

NOTÆ

diret; quod re vera contigit.

[d] *Sin autem postea quam*] Sin vero speras fieri posse, ut me assequaris, ex quo tempore cibum, confirmato stomacho, sumere cœpisti; potes in viam te dare; id tuæ permitto voluntati.

[e] *Marionem*] Servum.

[f] *Patris*] Patræ Achaiæ in Peloponneso civitas, *Patras,* quæ nunc etiam floret.

[g] *Leucade*] Leucas, hodie *Sainte Maure*, insula Græciæ, urbem habet cognominem, et permunitam: erepta fuit Venetis a Mahumete II, et ab iisdem recepta sub Mahumete IV, anno proxime elapso, post Christum natum 1684.

[h] *Moveant*] Quasi velim, ut, nulla valetudinis habita ratione, quamprimum ad me venias.

mum. Illud igitur potius.[i] Cura ergo potissimum, ut valeas: de tuis innumerabilibus in me officiis[k] erit hoc gratissimum.[8 l] III Nonas Novembres.

(2.) TULLIUS TIRONI SUO S. P. D.

ARGUMENTUM.—Solicitudinem suam significat, summque ad Alyziam accessum: valetudinem ut curet, rogat.

NON queo ad te, nec lubet scribere,[1] quo animo sim affectus:[h m] tantum scribo, et tibi, et mihi maximæ voluptati fore, si te firmum quamprimum videro. Tertio die abs te[i] ad Alyziam[2 n] accesseramus. Is locus est[3] citra Leucadem stadia CXX.[o] Leucade aut te ipsum, aut tuas literas a Marione putabam me accepturum. Quantum me diligis, tantum fac ut valeas, vel quantum te ame scis diligi. Nonis Novembr. Alyzia.

(3.) TULLIUS ET CICERO TIRONI SUO S. D. ET Q. PATER, ET Q. FILIUS.[4]

ARGUMENTUM.—Rogat, ut omni cura valetudini serviat.

NOS apud Alyziam, ex quo loco tibi literas[5] ante dede-

[h] *Quam me solicitum habuerit valetudo tua.*
[i] *Tertio die, postquam abs te discesseram.*

Pal. 6. omittunt *maxime.* 8 Dresd. 3. 5. Lips. P, Ascens. 1. *erit hoc mihi gratissimum.*

EPIST. II. 1 Lips. et Ascens. 1. *non licet scribere.*—2 Pal. 6. *apud Aliziam;* Peck. *apud Aluciam;* P *ad Alluziam;* edd. Lips. et Ascens. 1. omittunt *ad.* —3 *Locus est,* omisso *Is,* Dresd. 2. *citra Leucadem circiter stadia CXX* Dresd. 3. Idem cod. actutum pro *Leucade* habet *ubi.*

EPIST. III. 4 *Tullus et Cicero et Q. pat. et fil. S. D. Tironi suo* al. ap. Græv.

NOTÆ

[i] *Illud igitur potius*] Malo igitur te serius, at valentem, quam ocyus, et ægrum videre.

[k] *De tuis innumerabilibus in me officiis*] Vide Epist. 4.

[l] *Hoc gratissimum*] Ut valetudinem tuam cures.

[m] *Sim affectus*] Ex quo tempore præsentiam tuam amisi.

[n] *Ad Alyziam*] Alyzia, seu Halyzea, Acarnaniæ in Græcia civitas, inter Leucadem insulam, et Acheloum fluvium: *Natalico* dicitur a Sophiano.

[o] *Stadia CXX*] Centum et viginti stadia efficiunt quindecim millia passuum.

ramus, unum diem commorati sumus, quod Quintus nos consecutus non erat.[k] Is dies[6] fuit Nonæ Novembr.[l] Inde ante lucem[7] proficiscentes, ante diem VIII Idus Novembr.[m] has literas dedimus. [*p.* 258.] Tu, si nos omnes amas, et præcipue me, magistrum tuum, confirma te.[n] Ego valde suspenso animo expecto, primum te scilicet, deinde Marionem[p] cum tuis literis. Omnes cupimus, ego inprimis, quamprimum te videre; sed, mi Tiro, valentem. Quare nihil properaris: satis quotidie videro,[8] si valebis. Utilitatibus[q] tuis[p] possum carere: te valere, tua causa primum volo,[9] tum mea, mi Tiro. Vale.

(4.) M. T. C. ET Q. FR. ET Q. FIL. TIRONI S.

ARGUMENTUM.—Tota cohortatio est ad curandam valetudinem.

VARIE sum affectus[1] tuis literis; valde priore pagina[a] perturbatus, paulum altera recreatus. Quare nunc quidem non dubito, quin, quoad plane valeas,[2] te neque navigationi, neque viæ committas:[a] satis te mature videro, si plane confirmatum videro. De medico et tu bene existimari[b] scribis, et ego sic audio: sed plane curationes ejus non probo. Jus enim[b] dandum tibi non fuit, cum κακο-

[k] *Quia Quintus frater nondum me assecutus erat.*
[l] *Quintus fuit Novembris dies.* [m] *Sexta Novembris die.*
[n] *Recipe vires tuas.* [p] *Opera tua.*
[a] *Nunc quidem intelligo, te non venturum ad nos, nisi valetudine prorsus confirmata.* [b] *Inter peritissimos haberi.*

—5 Dresd. 2. *ex quo loco nos tibi literas.* Statim, *ut unum diem* Hitt.—6 *Is enim dies* vet. cod. ap. Græv. P. *fuerat Nonæ* ψ.—7 *Unde ante* Dresd. 4.—8 Hanc lectionem vitiosam putat Ernesti, et legere jubet *satis cito te videro;* sive *satis quidem cito te videro.*—9 Hitt. *volo primum.*

EPIST. IV. 1 *Valde sum affectus* Pal. 6. Idem mox, *priore pagina deturbatus.*—2 Dresd. 2. 3. Pal. 1. *quod plane valeas;* Dresd. 4. 5. Ascens. 1. *quo plane valeas.* Statim, *satis enim te mature* Dresd. 2. 4. 5. ed. Lips. Ascens. 1. *satis*

NOTÆ

[p] *Marionem*] Epistola prima.

[q] *Utilitatibus*] Utilitas hic sumitur pro munere, seu opera, quam alter alteri præstare solet.

[a] *Priore pagina*] In altera quippe pagina de gravitate morbi scripserat; in altera, de spe salutis, et valetudinis cura.

[b] *Jus enim*] Per jus intelligit quandam ciborum admistionem stomacho debili noxiam.

στόμαχος esses:[c] sed tamen et ad illum scripsi accurate, et ad Lysonem.[c] Ad Curium[d] vero, suavissimum hominem, et summi officii, summæque humanitatis, multa scripsi; in his etiam, ut, si tibi videretur, te ad se[d] transferret. Lyso enim noster, vereor, ne negligentior sit: primum, quia omnes Græci;[e] deinde, quod, cum a me literas accepisset, mihi nullas remisit. Sed eum tu laudas:[3] tu igitur, quid faciendum sit, judicabis. Illud, mi Tiro, te rogo, sumtu[4] ne parcas ulla in re, quod ad valetudinem opus sit.[e] Scripsi ad Curium, quod dixisses, daret.[f] Medico[5] [ipsi] puto aliquid dandum esse, quo sit studiosior. Innumerabilia tua sunt in me officia, domestica, forensia, urbana, provincialia;[g] in re privata, in publica, in studiis, in literis nostris. Omnia viceris,[h] si, ut spero, te validum videro. Ego puto te bellissime, si recte erit, cum quæstore Mescinio decursurum:[i] non inhumanus est, teque, ut mihi visus est,[6] diligit: et cum valetudini tuæ diligentissime consulueris, tum, mi Tiro, consulito navigationi. Nulla in re jam te festinare volo:[7] nihil laboro, nisi ut salvus sis. Sic habeto, mi Tiro, neminem esse, qui me amet, quin idem te amet: et cum tua et mea[8] maxime interest te valere, tum multis est curæ.[k] Adhuc, dum mihi[9] nullo loco deesse

[c] *Cum imbecillo stomacho esses.*
[d] *Domum suam.* [e] *Quæ sit ad recuperandam sanitatem necessaria.*
[f] *Ut daret tibi quicquid ab eo petiisses.*
[g] *Quæ mihi præstitisti in foro, in urbe Roma, in provincia.*
[h] *Sed hæc omnia officia longe superaveris.*
[i] *Puto te, si valebis, maritimo cursu facillime ad me cum Mescinio venturum.*
[k] *Idcirco multis est curæ valetudo tua.*

mature te video Dresd. 3.—3 *Sed eum tu laudasti* Hitt. Pal. 6. Dresd. 3. *tu* ante *igitur* deest in Dresd. 2. 3. 4. Pall. I. 6.—4 Ita Dresd. 2. 4. Hitt. Pal. 6. Victor. *sumtui* alii codd. et edd. Mox, *qua ad valitudinem* Dresd. 4. 5. *quæ ad valitudinem* ed. Lips. et Ascens. 1.—5 Ita conj. Lamb. *quod dixisses dare medico* Pal. 6. *quod dixisses, daret medico* alii codd. et edd. vett. *ipsi* suspectum est Ernestio; *ipso* Dresd. 4. *ipse* Dresd. 3. probante Benedict. Deinde, *ut sit studiosior* Dresd. 2.—6 Dresd. 3. *ut mihi visum est.*—7 Pal. 6. *tam te festinare volo;* Lamb. conj. *jam te festinare volo.*—8 Dresd. 2. 4. 5. Ascens. 1. *ut cum tua et mea;* ed. Lips. omittit *et* ante *cum.*—9 *Adhuc cum*

NOTÆ

[c] *Ad Lysonem*] Patrensem. Epist. XIII. 19.

[d] *Ad Curium*] Epist. VII. 28.

[e] *Quia omnes Græci*] Negligentiores esse solent.

vis, nunquam te confirmare potuisti:[l] nunc te nihil impedit: omnia depone;[m] corpori servi: quantam diligentiam in valetudinem tuam contuleris, tanti me fieri judicabo. Vale, mi Tiro, vale, vale, et salve.[10] Lepta[f] tibi salutem dicit, et omnes. Vale. VII Idus Novembr. Leucade.

(5.) M. TULLIUS, ET CICERO, ET Q. Q. TIRONI HUMANISS. ET OPT. S. P. D.

ARGUMENTUM.—Rogant Tironem, ut valetudinem curet.

VIDE, quanta sit in te suavitas.[1] Duas horas Thyrei[g] fuimus. Xenomenes hospes tam te diligit, quam si vixerit tecum.[2] Is omnia pollicitus est, quæ tibi essent opus: facturum puto. Mihi placebat, si firmior esses,[n] ut te Leucadem deportaret,[3] ut ibi te plane confirmares. Videbis, quid Curio, quid Lysoni, quid medico placeat. Volebam ad te Marionem[h] remittere,[4] quem, cum meliuscule tibi esset, ad me mitteres: sed cogitavi, unas literas Marionem afferre posse, me autem crebras expectare. Poteris igitur, et facies, si me diligis, ut quotidie sit[5] Acastus[i] in portu. Multi erunt, quibus recte literas dare possis, qui ad me libenter perferant. Equidem Patras euntem neminem prætermittam.[k] Ego omnem spem tui diligenter curandi

[l] *Ad hoc usque tempus, quia res meas omni diligentia curare voluisti, tua confirmari valetudo non potuit.*
[m] *Negotia quælibet omitte.*
[n] *Cum firmior esset valetudo tua.*

mihi unus Gulielm. Paulo post, *corpori serviri* Vat.—10 *Tiro, vale et salve* Pal. 6.

EPIST. V. 1 Ita codd. Grævii et Victor. *quanta in te sit suavitas* edd. vett. —2 Hitt. Dresd. 3. Pal. 6. *quasi vixerit tecum.*—3 Ita Dresd. 2. Vat. Pall. 1. 6. Venet. Victor. *adportaret* Hitt. *deportares* ed. Lips. Ascens. 1. aliæ vett. —4 *Marionem mittere* Hitt. Mox, *ad me remitteres* Hitt. Pal. 6. ψ.—5 Hitt.

NOTÆ

[f] *Lepta*] Ciceronis in Cilicia præfectus fabrum. Epist. III. 7.

[g] *Thyrei*] Peloponnesi urbs est in Græcia.

[h] *Marionem*] Epist. I.

[i] *Acastus*] Ciceronis servus.

[k] *Neminem prætermittam*] Cui non dem literas ad te perferendas.

in Curio habeo. Nihil potest illo fieri humanius, nihil nostri amantius. Ei te totum trade:[6] malo te paulo post valentem, quam statim imbecillum videre. Cura igitur nihil aliud, nisi ut tu valeas:[7] cetera ego curabo. Etiam atque etiam vale. Leucade proficiscens,[8] VII Idus Novembr.

(6.) M. TULLIUS[1] CIC. PATER ET FIL. ET Q. Q. TIRONI S. D.

ARGUMENTUM.—Rogat, ne quid omittat, quod ad recuperandam valetudinem spectet.

TERTIAM ad te hanc epistolam scripsi eodem die,[1] magis instituti mei tenendi causa,[o] quia nactus eram cui darem, quam, quo haberem, quod scriberem. Igitur illa:[p] quantum[2] me diligis, tantum adhibe in te diligentiæ.[q] Ad tua innumerabilia[m] in me officia adde hoc,[n] quod mihi erit gratissimum omnium: cum valetudinis rationem, ut spero, habueris, habeto etiam navigationis.[r] In Italiam euntibus omnibus ad me literas dabis, ut ego euntem Patras neminem prætermitto.[3][o] [*p.* 259.] Cura, cura te,[4] mi Tiro. Quando non contigit, ut simul navigares,[s] nihil est, quod

[o] *Servandæ consuetudinis meæ.*
[p] *Eadem igitur tibi scribam, quæ jam superioribus literis scripsi.*
[q] *In curanda tua valetudine.*
[r] *Ubi primum ex morbo convalueris, ad nos proficiscere.*
[s] *Quandoquidem non contigit, ut mecum navigares.*

ut quod cottidie sit.—6 *Ei totum trade* ed. Lips. Ascens. 1. *Ei te totum tradere* Dresd. 5. *post* ante *valentem* deest in Dresd. 2. 5. Ascens. 1.—7 Ita Dresd. 2. 5. *nisi ut valeas* Dresd. 3. ed. Lips. Ascens. 1. Bengel.—8 *Leucadem proficiscens* Pal. 6. *VII Idus Novembr.* desunt in Hitt. et Pal. 6.

EPIST. VI. 1 Ita Hitt. Peck. Amstel. Victor. *eadem die* vulgg. ante Græv. Mox, *magis i. m. tuendi causa* Dresd. 3. Deinde, *quam quod haberem, quid scriberem* edd. vett. *quam quo haberem, quid scriberem* Hitt. Dresd. 2. 5. Victor. ed. Lips. Ascens. 1. *quam quo haberem, quod scriberem* al. ap. Gulielm.—2 *Igitur quantum* Dresd. 3.—3 Idem codex *prætermittam.*—4 *Cura te* ψ, Dresd. 1. 4. 5. Torg. Lips. Statim, pro *quando*, quod servant Dresd. 1. 2. 4.

NOTÆ

[1] *Tullius*] Hæc inscriptio sic legenda: *Tullius pater, et Cicero Tullii filius, Quintus pater, et Quinti filius, Tironi salutem dant.*

[m] *Innumerabilia*] Epist. 4.

[n] *Adde hoc*] Valetudinis tuæ curam.

[o] *Neminem prætermitto*] Cui non dem ad te literas.

festines: nec quicquam cures, nisi ut valeas. Etiam atque etiam vale. VII Idus [9] Novembr. Actio,[p] vesperi.

(7.) M. T. C.[q] TIRONI S. P. D.

ARGUMENTUM.—Adversis ventis se teneri scribit: ut valetudinem curet, nec nisi confirmatus naviget, hortatur.

SEPTIMUM jam diem Corcyræ tenebamur; Quintus autem pater [1] et filius Buthroti.[r] Soliciti eramus de tua valetudine mirum in modum: nec mirabamur, nihil a te literarum.[t] [2] Iis enim [3] ventis istinc[u] navigatur, qui si essent,[x] nos Corcyræ non sederemus.[y] Cura igitur te, et confirma: et, cum commode, et per valetudinem, et per anni tempus navigare poteris, ad nos, amantissimos tui, veni. Nemo nos amat, qui te non diligat: [4] carus omnibus expectatusque venies. Cura, ut valeas etiam atque etiam, Tiro noster.[5] Vale. XV Kalend. Novembr.[6] Corcyra.

[t] *Nihil a te nobis scriptum est.*
[u] *Ex eo loco, ubi es.* [x] *Qui si nobis flarent.*
[y] *Hic navigationem otiosi non expectaremus.*

5. Torg. Lips. P ψ, *cum* exhibent Pall. 1. 6. Victor. *non contingit* P.—9 *VII Idus* omittit ψ.

EPIST. VII. 1 *Quintus autem frater* Pall. 1. 6. Victor.—2 Dresd. 2. *et mirabamur nihil a te literarum nos accepisse;* al. ap. Græv. *nec m. n. a te literarum dari.*—3 *His enim* al. ap. Græv. Mox, *qui si non essent* edd. quædam vett.—4 Hitt. Dresd. 5. ed. Lips. Ascens. 1. aliæ vett. *non diligit.* Tum, *expectatusque venis* Dresd. 2.—5 *Tiro noster* desunt in Hitt.—6 *A V K. Novemb.* Hitt. Pro *Corcyra,* quod servant Hitt. Pal. 6. P ψ, *Corcyræ* habent Dresd. 2. 5. ed. Lips. Ascens. 1.

NOTÆ

[p] *Actio*] Actium Augusti colonia, et juxta, promontorium in Epiro, ubi Marcum Antonium et Cleopatram idem Augustus navali bello superavit, civitate tota Nicopoli in victoriæ momoriam nominata. Virg. Æneid. VIII. 'Actia bella Cernere erat, totumque instructo Marte videres Fervere Leucaten,' &c.

[q] [*Et Cicero*] Filius M. Tullii.

[r] *Buthroti*] Retinebantur adversis ventis. Buthrotum Thesprotiorum in Epiro civitas. Virg. Æneid. III. 'Littoraque Epiri legimus, portuque subimus Chaonio, et celsam Buthroti ascendimus urbem.'

(8.) Q. C. TIRONI S.

ARGUMENTUM.—Q. Cicero, quanta sibi Tironis valetudo sit, amantissimis verbis ostendit.

MAGNÆ nobis est[1] solicitudini valetudo tua: nam, tametsi qui veniunt, ἀκίνδυνα μὲν, χρονιώτερα δὲ nuntiant,[a] tamen in magna consolatione ingens inest solicitudo, si diutius a nobis abfuturus est is, cujus usum et suavitatem desiderando sentimus.[b] Attamen quanquam videre te tota cogitatione[c 2] cupio, tamen te penitus rogo, ne te tam longæ navigationi et viæ per hyemem, nisi bene firmum, committas; neve naviges, nisi explorate.[d] Vix in ipsis tectis et oppidis frigus infirma valetudine vitatur; nedum in mari et via sit facile abesse ab injuria temporis.[e]

Ψύχος δὲ λεπτῷ χρωτὶ[3] πολεμιώτατον,[f]

inquit Euripides.[a] Cui tu quantum credas, nescio: ego certe singulos ejus versus, singula ejus testimonia[4] puto. Effice, si me diligis, ut valeas, et ut ad nos firmus ac valens quamprimum venias. Ama nos, et vale. Q. F.[5 g] tibi salutem dicit.

[a] *Nuntiant morbum tuum non esse periculosum, sed fore diuturniorem.*
[b] *Cujus absentiam ægre patimur, cum suavi tua consuetudine nos privet.*
[c] *Vehementissime.* [d] *Nisi tute.*
[e] *Multo minus facile est in mari, et in via, temporis injurias vitare.*
[f] *Frigus enim macilento corpori inimicissimum.* [g] *Filius meus.*

EPIST. VIII. 1 *Magnæ est nobis* Peck. Idem cod. mox, *ingens est solicitudo.* Tum, *si diutius nobis futurus es is* Dresd. 2. Lips. Amstel. Peck. Benedict. *si diutius nobis futurus es* Dresd. 4. *si diutius procul a nobis futurus es is* Dresd. 3. *si diutius a nobis futurus es is* Dresd. 5. Hitt. Pal. 6. *si diutius a nobis abfuturus es is* Ascens. 1. Manut. al. vett.—2 Hitt. *videre de tota cogitatione.* Dresd. 2. Pal. 1. *percupio.* Statim, *ne tam longæ* vet. cod. Græv.—3 Dresd. 2. Pal. 1. Rom. Venet. 1471. λεπτόχρωτι, quod revocavit Benedict.—4 Ita Pal. 1. Peck. vet. cod. Græv. *singula testimonia* edd. vett.—5 Q. *frater* al. ap. Græv. *tibi salutem plurimam dicit* edd. vett.

NOTÆ

[a] *Euripides*] Poëta Græcus tragœdiis celeberrimus, qui scripsit 75. fabulas. Æqualis fuit, et æmulus Sophoclis, poëtæ pariter tragici. Obiisse dicuntur anno ante Christum quadringentesimo nono; ille quidem immoderata lætitia, poëtici certaminis adeptus palmam; hic ingenti mœrore, cum invidorum opera a canibus laceraretur.

(9.) M. T. ET C. ET Q. TIRONI S. P. D.

ARGUMENTUM.—Navigationis descriptio, et ad curandam valetudinem plenior cohortatio.

Nos a te,[1] ut scis, discessimus a. d. IV Non. Novembr.[a] Leucadem venimus a. d. VIII Idus Novembr.[b] a. d. VII [c] Actium: ibi, propter tempestatem, a. d. VI Idus[d] morati sumus. Inde a. d. quintum Idus[e] Corcyram bellissime navigavimus. Corcyræ fuimus usque a. d. XVI Kalend.[f][2] Decembr. tempestatibus retenti. A. d. XV Kalend.[g] Decembr. a portu[3] Corcyræorum ad Cassiopen[a] stadia[b] CXX[h] processimus. Ibi retenti ventis sumus[4] usque a. d. IX Kalendas.[i] Interea, qui cupide profecti sunt, multi naufragia fecerunt.[5] Nos eo die cœnati solvimus. Inde austro lenissimo, cœlo sereno, nocte illa et die postero[6] in Italiam ad Hydruntem[c] ludibundi[k d] pervenimus: eodemque vento postridie (id erat a. d. VII Kalend.[l] Decembr.) hora quarta[m] Brundisium venimus: eodemque tempore simul nobiscum in oppidum introiit Terentia, quæ te facit plurimi.[7] A. d. V Kalend.[n]

[a] *Secundo Novembris die.* [b] *Sexto Novembris die.*
[c] *Septimo Novembris die.* [d] *Usque ad octavum diem.*
[e] *Nono die.* [f] *Ad decimum sextum diem.*
[g] *Decimo septimo.* [h] *Duodecim millia passuum.*
[i] *Ad vigesimum tertium diem.* [k] *Facili navigatione.*
[l] *Vigesimo quinto die.* [m] *Circa decimam horam.*
[n] *Vigesimo septimo die.*

EPIST. IX. 1 *Dignos a te* P. Statim, *ad IIII Non.* P et edd. vett. et sic semper in hac Epist.—2 Lamb. *usque ad XV Kal.*—3 Hitt. Pal. 6. Amstel. Mentel. Græv. 2. Victor. *in portum.* Dresd. 2. 4. 5. ed. Lips. *ad Cassiodem;* P ψ, al. ap. Græv. *ad Cassodem.*—4 *Ibi retenti venissemus* Pal. 1. Dresd. 2. 4. *Ibi retenti fuimus* Dresd. 5. ed. Lips. Ascens. 1. *usque ad a. d. IX Kal.* Dresd. 2. et Lamb.—5 Hitt. *multa naufragia fecerunt.*—6 Idem cod. *nocte ex*

NOTÆ

[a] *Ad Cassiopen*] Duo sunt hujus nominis oppida; alterum in Epiro, in Corcyra alterum, cujus opinor hic fieri mentionem.

[b] *Stadia*] Vide Epist. 2.

[c] *Ad Hydruntem*] Urbs olim Salentinorum primaria, nunc *Otranto*, regni Neapolitani portus nobilis, et munitus: finitima regio dicitur Hydruntina *terra d'Otranto:* est et mons, et fluvius ejusdem nominis.

[d] *Ludibundi*] Id est, ludentibus similes, nullam in navigationis cursu difficultatem passi.

Decembr. servus Cn. Plancii[e] Brundisii tandem aliquando mihi a te expectatissimas literas reddidit, datas Idibus[o] Novembr. quæ me molestia valde levarunt:[8 f] utinam omnino liberassent! Sed tamen Asclapo medicus plane confirmat,[9] propediem te valentem fore. Nunc quid ego te horter?[10] ut omnem diligentiam adhibeas ad convalescendum. Tuam prudentiam,[g] temperantiam, amorem erga me novi: scio te omnia facturum,[11] ut nobiscum quamprimum sis. Sed tamen ita velim, ut ne quid properes. Symphoniam[h] Lysonis velim vitasses, ne in quartam hebdomada[12 i] incideres.[p] Sed, cum[13] pudori tuo[k] maluisti obsequi, quam valetudini, reliqua cura. Curio[l] misi, ut medico honos[m] haberetur,[q] et tibi daret, quod opus esset: me, cui jussisset, curaturum.[r] Equum et mulum[14] Brundisii tibi reliqui. Romæ, vereor, ne ex Kal. Jan.[s n] magni

[o] *Decimo tertio die.*

[p] *Vellem, ut non interfuisses Lysonis symphoniæ: verebar enim, ne tuus idcirco morbus in quartam hebdomada protraheretur.*

[q] *Mandavi Curio, ut medico pecuniam daret.*

[r] *Redditurum.* [s] *Ad primum Januarii diem.*

die illa et die postera.—7 Dresd. 2. 4. Lips. Ascens. 1. *fecit plurimi.*—8 Hitt. ed. Lips. Ascens. 1. *molestia valde levaverunt;* Dresd. 3. *valde a molestia levarunt;* edd. vett. *valde molestia levarunt.*—9 Al. ap. Græv. *sane confirmat.*—10 Ita Victor. et Gebh. *Nunc quidem ego te hortor* Dresd. 2. 3. 5. ed. Lips. Ascens. 1. *Nunc equidem ego te hortor* Dresd. 4. *Nunc quidem ego te horter* Pall. 1. 6. Amstel.—11 Vet. cod. Græv. *scio omnia te facturum.*—12 Amstel. *ne in quartam edomadam;* al. ap. Græv. *ne in q. hebdomadem.*—13 *Sed quando* edd.

NOTÆ

[e] *Cneii Plancii*] Pro quo Ciceronis extat oratio. Vide Indicem Historicum.

[f] *Levarunt*] Quia tibi melius esse scribebas: utinam scripsisses te plane valere; omni molestia tunc liber essem.

[g] *Prudentiam*] In te regendo, temperantiam in victu.

[h] *Symphoniam*] Tiro ad convivium, et symphoniam, seu celebritatem aliquam a Lysone invitatus, inde gravius ægrotans, ut opinor, redierat.

[i] *In quartam hebdomada*] Timendum enim, ne diutius ille ægrotet, cujus morbus ad quartam usque hebdomada perducitur.

[k] *Pudori tuo*] Qui te adduxit, ut ad symphoniam, seu celebritatem Lysonis, licet æger, venires.

[l] *Curio*] Epist. 4. 5. et 11.

[m] *Honos*] Hic honos pro pecunia sumitur.

[n] *Ex Kal. Jan.*] Quo die novi consules magistratum inibant. Creati erant autem in sequentem annum, id est, urbis conditæ septingentesimum quartum, Caius Claudius Marcellus, et Lucius Cornelius Lentulus Crus.

tumultus[o] sint. Nos agemus omnia modice.[p] Reliquum est, ut te hoc rogem[15] et a te petam, ne temere naviges. Solent nautæ[16] festinare quæstus sui causa. Cautus sis, mi Tiro. [*p.* 260.] Mare magnum et difficile tibi restat. Si poteris, cum Mescinio;[u] caute is solet navigare: si minus,[17] cum honesto aliquo homine,[x] cujus auctoritate navicularius[y] moveatur. In hoc omnem diligentiam si adhibueris, teque nobis incolumem præstiteris,[18] omnia a te habebo.[z] Etiam atque etiam, noster Tiro, vale.[19] Medico, Curio, Lysoni, de te scripsi diligentissime. Vale, salve.

(10.) M. T. C. TIRONI S. P. D.

ARGUMENTUM.—Tironem ad se venire cupit, sed viam timet, ne valetudini noceat. Ejus operam in studiis laudat et exigit.

EGO vero[a] cupio te ad me venire: sed viam timeo. Gravissime ægrotasti: inedia, et purgationibus, et vi ipsius morbi consumtus es. Graves solent offensiones esse ex gravibus morbis,[1] si qua culpa[2] commissa est.[a] Jam ad

[t] *Moderate.* [u] *Si poteris, naviga cum Mescinio.*
[x] *Saltem fac ut naviges cum nobili et honorifico homine.*
[y] *Navis rector.* [z] *Mihi prorsus satisfeceris.*
[a] *Culpæ, quæ post gravem morbum committuntur, solent valetudini plurimum nocere.*

vett.—14 *Metum et mulum* Pal. 6. *Medicum et mulum* Hitt.—15 Idem cod. *ut hoc te rogem;* al. ap. Græv. *ut te rogem.*—16 *Solent enim nautæ* Dresd. 3.—17 Idem codex *sin minus.*—18 Pal. 6. Dresd. 2. *steteris;* Dresd. 3. *reddideris;* Dresd. 4. 5. Peck. P, ed. Lips. Ascens. 1. *feceris;* ψ *dederis;* Manutius jubet legere *stiteris,* quod verum putat Benedict.—19 *Tiro, salve* Hitt. *Tiro, vale, salve* Peck.

EPIST. X. 1 Verba, *ex gravibus morbis,* desunt in vet. cod. Græv.—2 Ita quatuor Dresd. Guelf. 2. edd. pr. ψ. 'Videtur esse h. l. ablativus.' *Ernesti.* Aliter putat Benedict. *quæ culpa* Hitt. Pal. 6. Victor. vulgg. ante Ernesti.—

NOTÆ

[o] *Magni tumultus*] Quia consules una cum Pompeio, omni contendebant ope, ut Cæsari, ante tempus ei lege concessum, adimeretur Galliarum administratio. Tribuni autem plebis pro Cæsare pugnabant; hinc civile bellum exarsit.

[p] *Modice*] Ut nec Cæsarem offendam, nec Pompeium, hisque tumultibus non nimis me implicem.

[a] *Ego vero*] Ex hac particula colligi potest, Ciceronem respondere Tironi, qui scripserat, cupere se dominum convenire; nam, ut observat Manutius, *vero* in principio Epistolæ responsionem significat. Epist. 23. et IV. 6. &c.

id[3] biduum, quod fueris in via, dum in[b] Cumanum venis, accedent continuo ad reditum dies quinque. Ego in Formiano a. d. III Kalend. esse volo. Ibi te ut firmum offendam, mi Tiro, effice. Literulæ meæ, sive nostræ,[b] tui desiderio[c] oblanguerunt. Hac tamen epistola,[c] quam Acastus[d] attulit, oculos paulum[4] sustulerunt.[d e] Pompeius[f] erat[5] apud me, cum hæc scribebam, hilare et libenter: ei cupienti audire nostra,[e] dixi, sine te omnia mea muta esse.[f g] Tu Musis nostris[h] para ut operas reddas:[6] nostra[i] ad diem dictam fient. Docui enim te, fides[k] ἔτυμον quod haberet.[g] Fac plane ut valeas: nos ad summum.[h 7 l] Vale. XIV Kal.[8]

[b] *Deinde, præter biduum, quo futurus es in via, ut in, &c.*
[c] *Absentia tua.* [d] *Visæ sunt paululum respirare.*
[e] *Quænam opera scriberem.* [f] *Nihil a me scribi.*
[g] *Quænam esset etymologia hujus vocabuli, fides.*
[h] *Nos optima sumus valetudine.*

3 *Jam ad illud* Hitt. *quo fueris in via* Lips. Dresd. 3. 4. Statim, *dum in Cumanum veneris* edd. vett.—4 Quatuor Dresd. Lips. ed. Lips. Ascens. 1. *paululum.*—5 *Pomponius erat* conj. Corrad. et Manut.—6 Hitt. et Pal. 6. *ut operas nostras reddas.* Actutum, *ad diem dicta fient* Peck. Pall. 1. 6. quatuor Dresd. Lips. ψ.—7 Ita Dresd. 4. 5. al. ap. Græv. *nos adsumus* Dresd. 2. Lips. edd. vett. Benedict.—8 *XIV Kal. Jan.* al. ap. Græv. *IX Kal. Jan.* al. ibid. *XIV Kal. Feb.* Pal. 6.

NOTÆ

[b] *Sive nostræ*] Quia Tironem Cicero studiorum suorum, et comitem, et adjutorem habebat.

[c] *Hac tamen epistola*] Qua tibi melius esse significasti.

[d] *Acastus*] Servus.

[e] *Sustulerunt*] Languor enim oculos deprimit.

[f] *Pompeius*] Vel alter est a Magno Pompeio, vel *Pomponius*, ut multi opinantur, legendum pro *Pompeius.*

[g] *Muta esse*] Tunc enim literæ silere dicuntur, cum nihil scribimus. Off. lib. II. 'Cum respublica, in qua omnis mea cura, cogitatio, opera poni solebat, nulla esset omnino, illæ scilicet literæ conticuerunt, forenses, et senatoriæ.'

[h] *Musis nostris*] Fac ut citius convalescas, consuetam ut Musis nostris operam navare possis.

[i] *Nostra*] Quæ tibi promisi, hæc ad præfinitum diem fient. Hæc verba Manutius de manumissione intelligit; Hubertinus etiam de pecunia, quam Tironi Cicero promiserat, ut fundum, de quo infra sermo est, emeret.

[k] *Fides*] *Fidem* inde dictam, quoniam id fit quod promittitur. Ἔτυμον, id est, *derivatio.*

[l] *Nos ad summum*] Non eadem hic omnium codicum scriptura: in quibusdam legitur *adsumus;* in aliis *ad summum;* posteriorem, quæ mihi accuratior visa est, secutus sum.

(11.) M. T. ET C. TERENTIA ET TULLIA, Q. FRATER ET Q. F. TIRONI S. P. D.

ARGUMENTUM.—Rogat ut valetudinis unice rationem habeat. De suo ad urbem adventu: de turbato statu reip. et de triumpho ac Campana præfectura significat.

ETSI opportunitatem operæ tuæ [a] omnibus locis desidero, tamen non tam mea, quam tua causa doleo, te non valere. Sed cum [1] in quartanam conversa vis est morbi, (sic enim scribit Curius) spero, te, diligentia adhibita,[b] etiam firmiorem fore.[a] Modo fac, id quod humanitatis tuæ est,[c] ne quid aliud cures hoc tempore, nisi ut quam commodissime convalescas. Non ignoro, quantum ex desiderio labores;[d] sed erunt omnia facilia, si valebis: festinare te nolo, ne nauseæ [b] molestiam suscipias æger, et periculose hyeme naviges. Ego ad urbem [c] accessi pridie Nonas Januar.[e] obviam mihi sic est proditum, ut nihil potuerit fieri [2] ornatius. Sed incidi in ipsam flammam civilis discordiæ,[d] vel potius belli: cui cum cuperem mederi, et, ut arbitror, possem; cupiditates certorum hominum [e] (nam ex utraque parte sunt, qui pugnare cupiant) impedimento mihi fuerunt

[a] *Etsi operam tuam, mihi inprimis utilem, &c.*
[b] *Si diligentiam in te curando adhibueris.*
[c] *Id quod mihi, tibique debes.*
[d] *Quam ægre tibi sit, quod absis a me.*
[e] *Die quarta Januarii.*

EPIST. XI. 1 *Sed quando* Victor. Hitt. *Sed quomodo* P. *conversa est vis* Hitt. *scripsit Curius* in eodem cod.—2 Pall. 1. 6. Amstel. Hitt. Victor. Dresd. 2. 3. 4. *possit fieri;* lect. nostram servant Dresd. 5. ed. Lips. Ascens.

NOTÆ

[a] *Etiam firmiorem fore*] Quoniam quartana febri melancholicum humorem exsiccari constat.

[b] *Nauseæ*] Quam navigatio in iis præsertim excitat, qui stomacho sunt debili.

[c] *Ad urbem*] Id est, prope urbem: triumphum enim petentibus, urbem ingredi lege vetitum. Epist. IV. 1.

[d] *Discordiæ*] Pompeium inter, et Cæsarem.

[e] *Cupiditates certorum hominum*] Epist. IV. 1. 'Incideram in hominum pugnandi cupidorum insanias.' Et VI. 6. per 'certos homines,' designat inprimis Domitium Ænobarbum, Scipionem, Pompeii socerum, Bibulum, &c. Cæsari infensissimos.

omnino: et ipse Cæsar,[3] amicus noster,[f] minaces[g] ad senatum et acerbas literas miserat; et erat adhuc impudens,[h] qui[f] exercitum et provinciam invito senatu teneret: et Curio meus[i] illum incitabat. Antonius[k] quidem noster, et Q. Cassius, nulla vi expulsi,[l] ad Cæsarem cum Curione profecti erant. Posteaquam senatus consulibus, prætoribus,[4] tribunis plebis, et nobis, qui proconsules sumus, negotium dederat, ut curaremus, ne quid respublica[m] detrimenti caperet; nunquam majore in periculo civitas fuit: nunquam improbi cives habuerunt paratiorem ducem.[n] Omnino ex hac[5] quoque parte diligentissime comparatur.[g] Id fit auctoritate et studio Pompeii nostri, qui Cæsarem sero cœpit timere.[o] Nobis inter has turbas senatus tamen

f Eo usque impudens erat, ut, &c.
g Magni quoque ex parte reipublicæ contra Cæsarem apparatus fiunt.

1.—3 Ita Pall. 1. 6. Amstel. Hitt. Victor. *mihi fuerunt. Omnino ipse Cæsar* vulgg. ante Græv. *et erat ad hæc impudens* conj. Ernesti; *adhuc* plane omittunt ed. Lips. et Ascens. 1. *imprudens* habet Dresd. 3.—4 Cod. ψ omittit *prætoribus.* Mox, *ne quid detrimenti resp.* vet. cod. Græv. *majori in periculo* codd. et edd. ante Lamb.—5 Ita Pall. 1. 6. Victor. *paratiorem ducem omnino. Ex hac* edd.

NOTÆ

[f] *Amicus noster*] Vide Epist. IX. 1.

[g] *Minaces*] Quibus petebat, ut omnes ab armis discederent; quod nisi fieret, se suam, patriæque dignitatem armis defensurum minabatur.

[h] *Impudens*] Cur impudens Cæsar? immo iniquus in Cæsarem senatus, qui jusserat, ut ei ante tempus et exercitus adimeretur, et provincia, cum Pompeius utrumque retineret.

[i] *Curio meus*] Anno superiori tribunus plebis, cujus præcipue opera, inquit Velleius, conditiones pacis, quas et Cæsar justissimo animo postulabat, et Pompeius æquo recipiebat, discussæ, et ruptæ sunt. 'Suum' vocat Cicero, quod eum singulariter diligeret. Vide Tabulam Historicam Curionis.

[k] *Antonius*] M. Antonius, et Quintus Cassius, hoc anno tribuni plebis. *Noster*, cui scilicet antea amicus fuerat. Nota Cassium hunc alium esse ab eo qui Cæsaris percussor fuit.

[l] *Nulla vi expulsi*] Contrarium asserunt Appianus, Suetonius, et Cæsar ipse Bel. Civ. lib. I.

[m] *Ne quid respublica*] Erat postremum illud, in rebus desperatis, senatus decretum, quo summa consulibus in cives potestas tradebatur.

[n] *Paratiorem ducem*] Sic Velleius de utroque duce loquitur: 'Alterius ducis,' id est Pompeii, 'causa melior videbatur, alterius erat firmior; hic omnia speciosa, illic valentia; Pompeium senatus auctoritas, Cæsarem militum armavit fiducia.'

[o] *Sero cœpit timere*] Id sæpius in Pompeio Tullius reprehendit.

frequens flagitavit[p] triumphum: sed Lentulus[q] consul, quo majus[6] suum beneficium faceret, simul atque[h] expedisset quæ essent necessaria de republica, dixit se relaturum. Nos agimus nihil cupide,[i r] eoque est[7] nostra pluris auctoritas. Italiæ regiones descriptæ sunt,[k] quam quisque[s] partem tueretur. Nos Capuam[t] sumsimus. Hæc te scire volui. Tu etiam atque etiam cura, ut valeas, literasque ad me mittas, quotiescumque habebis, cui des. Etiam atque etiam vale. D. pridie Idus[l] Jan.[8]

(12.) M. T. C. TIRONI SUO S. P. D.

ARGUMENTUM.—Deplorat statum reipublicæ: initia belli civilis exponit: Tironem, ut valetudinis rationem rediturus habeat, admonet.

QUO in discrimine versetur salus mea et bonorum omnium atque universæ reipublicæ, ex eo scire potes,[1] quod domos nostras, et patriam ipsam vel diripiendam vel inflammandam reliquimus.[a] In eum locum res deducta est, ut, nisi qui Deus,[2] vel casus aliquis subvenerit, salvi esse nequeamus. Equidem[3] ut veni ad urbem, non destiti omnia et sentire, et dicere, et facere, quæ ad concordiam perti-

[h] *Quo beneficium illud majus esse videretur, dixit de triumpho mihi decernendo esse relaturum, simul atque, &c.*
[i] *Non nimiam præ me fero triumphi obtinendi cupiditatem.*
[k] *Divisæ sunt.* [l] *Duodecima die.*

vett. *diligentissime bellum comparatur* vulgg. ante Græv.—6 Cod. ψ *quo magis.* —7 Idem cod. *cupide eo quod.*—8 *Idus Junias* ψ.

EPIST. XII. 1 Hitt. *reip. et senatus ex eo scire potes.*—2 Ita Vat. Pal. 6. Dresd. 4. Victor. *nisi quis Deus* Dresd. 2. 3. 5. Lips. ψ, ed. Lips. Ascens. 1. *aut casus aliquis* vet. cod. Græv.—3 *Et quidem* Hitt. Mox, *concordiam pertineant* P. Deinde, *improbos, sed etiam hos* edd. vett. *qui boni habebantur* Hitt.—

NOTÆ

[p] *Flagitavit*] A consulibus, ut referrent de triumpho mihi decernendo.

[q] *Lentulus*] Cognomento Crus, aut Cruscellus, de quo Epist. VIII. 4.

[r] *Nihil cupide*] In tanta rerum perturbatione, nihil ago, nisi moderate: hæc verba vel ad rempublicam spectant, vel ad triumphum, ut indicavimus in interpretatione; vel ad utrumque simul.

[s] *Quam quisque*] Ut unusquisque regionem suæ custodiæ commissam contra Cæsarem tueatur.

[t] *Nos Capuam*] Mihi Capua, cum ora maritima Campaniæ, tradita est.

[a] *Reliquimus*] Cæsar cum copiis ad urbem properans, ita Pompeium, aliosque perterruit, ut sine mora, urbe, ac deinde tota Italia relicta, in Græciam navigarint. Epist. IV. 1.

nerent; sed mirus invaserat furor non solum improbis, sed etiam his qui boni habentur, ut pugnare cuperent, [*p.* 261.] me clamante,[a] nihil esse bello civili miserius. Itaque cum Cæsar amentia[b] quadam raperetur, et oblitus nominis[c] atque honorum[d] suorum, Ariminum,[e] Pisaurum,[f] Anconam,[g] Arretium[4 h] occupavisset, Urbem reliquimus; quam sapienter, aut quam fortiter, nihil attinet disputare.[i] Quo quidem[5] in casu simus, vides. Feruntur omnino conditiones ab illo, ut Pompeius[b] eat in Hispaniam;[k] delectus, qui sunt habiti, et præsidia nostra dimittantur; se ulteriorem Galliam Domitio,[l] citeriorem Considio Noniano[6 m] (his enim obtigerunt[e])[n] traditurum; ad consulatus[o]

[a] *Quamvis ego clamarem.*
[b] *Equidem a Cæsare pacis conditiones illæ proponuntur, ut scilicet Pompeius, &c.*
[c] *Sorte obvenerunt.*

4 *Arritium* in eodem cod. *occupasset* Lamb.—5 Lamb. h. l. delet *quidem*, et mox inserit post *omnino*.—6 *Cosidio Noniano* P. *Consilio Noniano* ψ. *Considio Novi-*

NOTÆ

[b] *Amentia*] Furore quodam: is enim furiosus, et amens, qui patriæ suæ bellum indicit.

[c] *Nominis*] Gloriæ, quam rebus antea pro republica gestis, maximam sibi paravit.

[d] *Honorum*] Dignitatum, quas ab eadem republica accepit.

[e] *Ariminum*] Antiqua est non procul a Rubicone civitas ad fluvium cognominem *Rimini*.

[f] *Pisaurum*] Urbem Umbriæ, flumini ejusdem nominis impositam. *Pezaro*.

[g] *Anconam*] In Piceno, quæ suum hodie nomen retinet.

[h] *Arretium*] Tusciæ civitatem, et Romanorum coloniam. *Arezzo*.

[i] *Nihil attinet disputare*] Siquidem constat id factum esse a nobis imprudenter, ac timide: hæc enim fuga Cæsarianis partibus roboris plurimum addidit; sed, ut ait Lucanus, 'Danda tamen venia est, tantorum danda malorum: Pompeio fugiente timent.'

[k] *In Hispaniam*] Quam per legatos Pompeius administrabat, ne Roma discederet, ubi pro nutu regebat omnia. Epist. VI. 6. 'Eundum in Hispaniam censui; quod si fecisset, civile bellum nullum omnino fuisset.'

[l] *Domitio*] L. Domitio Ænobarbo, quo nullum Cæsar inimiciorem sibi habuit. Is est quem postea Corfinii accepit in deditionem, liberumque dimisit: consulatum gesserat cum Appio Claudio, anno urbis conditæ 699.

[m] *Considio Noniano*] Qui nondum consul fuerat: inde colligitur, Galliam citeriorem factam fuisse prætoriam provinciam.

[n] *Obtigerunt*] Postquam lectæ sunt in senatu minaces Cæsaris epistolæ, se non discessurum ab armis, nisi Pompeius idem faceret; sed confestim venturum, ut injurias, tam sibi, quam patriæ illatas ulciscereturr; ad hæc postrema verba, conclamatum est, denuntiari bellum, et L. Domitius ei successor nominatus est. Ita

petitionem se venturum; neque se jam velle, absente se, rationem haberi sui;[p] se præsentem trinum nundinum[q] petiturum. Accepimus[7] conditiones; sed ita,[d] ut removeat præsidia[r] ex his locis quæ occupavit, ut sine metu de iis ipsis conditionibus Romæ senatus haberi possit. Id ille si fecerit, spes est pacis non honestæ; leges[8] enim imponuntur: sed quidvis est melius, quam sic esse, ut sumus.[e] Sin autem ille suis conditionibus stare noluerit,[f]9 bellum paratum est; ejusmodi tamen, quod sustinere ille non possit, præsertim cum a suis conditionibus ipse fugerit:[g] tantummodo ut[h] eum intercludamus, ne ad urbem possit accedere; quod sperabamus[i] fieri posse. Delectus enim magnos habebamus: putabamusque illum metuere, si ad urbem ire cœpisset, ne Gallias amitteret;[k] quas ambas[s] habet inimicis-

[d] *Addita tamen ea conditione.*
[e] *Sed quævis conditio melior est, quam in tanto versari discrimine.*
[f] *Suas conditiones servare.* [g] *Si conditiones ipse suas violaverit.*
[h] *Id nunc tantummodo contendimus, ut, &c.* [i] *Quod speramus, &c.*
[k] *Habemus, putamusque illum metuere, si ad urbem ire cœperit, ne Gallias amittat.*

ano al. ap. Græv. *ad consulatus venditionem* ψ. Paulo post, *haberi suum* quatuor Dresd. Lips. Torg. Pal. 6. ψ. *se præsente trinundinum* Hitt.—7 *Accipimus* Hitt.—8 Al. ap. Græv. *non enim honestæ leges.*—9 Ita Pall. 1. 6. Hitt. Victor. *ille suis c. instare noluerit* Dresd. 2. 5. ψ, Lips. ed. Lips. Ascens. 1. *ille suis c. instar voluit* Dresd. 4. *ille suas conditiones mutare voluerit* Dresd. 3. *ille conditionibus stare voluerit* edd. vett. Mox, *quod ille sustinere* vulgg. ante Græv. *ut eum includamus* codd. Grævii: *ut eum intercludamus* Hitt. *sperabamus posse*

NOTÆ

omnes historici.

[o] *Consulatus*] Secundi, quem cum Servilio gessit.

[p] *Rationem haberi sui*] Quod ei tamen lege concessum fuerat, ipso annitente consule Pompeio. Vide Epist. VI. 6.

[q] *Trinum nundinum*] Lex ad populum ferenda, promulgabatur prius, ut per trium nundinarum spatium populo pateret, quo posset, lege satis considerata, quid sentiret, suffragiis ostendere. Eadem, opinor, in magistratibus creandis ratio fuit, promulgatis per tres nundinas eorum nominibus, qui petebant, ut populus, de quibus suffragium laturus esset, tanto ante nosset: atque hic *trinundinum* pro trinundini spatio dictum puto. Cæsar igitur ostendebat, servari a se velle consuetudinem veterem in petendo consulatu, modo Pompeius iret in Hispaniam. Ita Manutius.

[r] *Ut removeat præsidia*] Quam conditionem Cæsar, ut iniquam, rejecit.

[s] *Ambas*] Transalpinam, et Cisalpinam.

simas, præter Transpadanos:[t] ex Hispaniaque sex [10] legiones, et magna auxilia, Afranio et Petreio [u] ducibus, habet a tergo. Videtur, si insaniet, posse opprimi,[11] modo ut urbe salva.[l] Maximam autem plagam accepit, quod is, qui summam auctoritatem in illius exercitu [12] habebat, T. Labienus,[x] socius sceleris esse noluit: reliquit illum,[m] et nobiscum est: multique idem facturi esse dicuntur. Ego adhuc oræ maritimæ [y] præsum a Formiis. Nullum majus negotium suscipere volui, quo plus apud illum meæ literæ cohortationesque ad pacem valerent. Sin autem erit bellum, video me castris [z] et certis legionibus [13] præfuturum. Habeo etiam illam molestiam, quod Dolabella noster apud Cæsarem est.[n] Hæc tibi nota esse volui: quæ cave ne te perturbent,[14] et impediant valetudinem tuam. Ego A. Varroni (quem cum amantissimum [15] mei cognovi, tum etiam valde tui studiosum) diligentissime te commendavi, ut et valetudinis tuæ rationem haberet et navigationis, et totum te susciperet ac tueretur: quem omnia facturum confido: re-

[l] *Modo ut opprimatur, priusquam Romam diripuerit.* [m] *Cæsarem.*
[n] *Gener meus Cæsaris castra sequitur.*

fieri Dresd. 3. 5. Hitt.—10 Hitt. *ex Hispania tres.* Mox, *habemus a tergo* in eodem cod.—11 Hitt. *posse obrui.* Actutum, *modo urbe salva* Dresd. 4. 5. Hitt. ed. Lips. Ascens. 1.—12 Vet. cod. Græv. *in ejus exercitu.* Statim, *ejus socius sceleris* Hitt. *socius ejus sceleris* al. ap. Græv. *socius sceleris esse nolebat* Pal. 6.—13 Dresd. 2. 5. Ascens. 1. *ceteris legionibus.*—14 Ita Hitt. Pall. 1. 6. Vat. Victor. *quæ cave te ne perturbent* Amstel. *cave te perturbent* edd. vett.—15 Dresd. 2. 4. *quem quam amantissimum;* Dresd. 3. *quem quia amantissimum;*

NOTÆ

[t] *Præter Transpadanos*] Præter eos qui in Gallia Cisalpina trans Padum siti sunt; quibus cum jus Latii Pompeius Strabo consul antea dedisset, eosdem postea Cæsar ædilis, et consul, civitate donare cogitaverat, ut suffragii ferendi, et petendi honores facultatem haberent: sed cum a senatu id impetrare non potuisset, tandem ipse rerum potitus, et dictator effecit.

[u] *Afranio et Petreio*] Pompeii in Hispania legatis, quos Cæsar superavit, eorum exercitu in deditionem accepto.

[x] *T. Labienus*] Vide Ep. XIV. 14.

[y] *Oræ maritimæ*] Vide Epist. 11.

[z] *Video me castris*] Non modo non præfuit castris, aut legionibus, sed ne quidem pugnæ Pharsalicæ interfuit, ob infirmitatem, ut ait Plutarchus: τῆς μάχης οὐ μετέσχε δι' ἀῤῥωστίας.

cepit enim,[o] et mecum locutus est suavissime. Tu, cum eo tempore[16] mecum esse non potuisti, quo ego maxime operam et fidelitatem desideravi tuam, cave festines, aut committas, ut aut æger aut hyeme naviges. Nunquam sero te venisse putabo, si salvus veneris. Adhuc neminem videram, qui te postea vidisset, quam M. Volusius,[17] a quo tuas literas accepi: quod non mirabar: neque enim meas puto ad te literas[18] tanta hyeme perferri. Sed da operam, ut valeas: et, si valebis, cum recte navigari poterit, tum[19] naviges. Cicero meus in Formiano erat; Terentia et Tullia Romæ. Cura, ut valeas. IV Kalendas Febr. Capua.

(13.) M. T. C. TIRONI S. P. D.

ARGUMENTUM.—Cohortatio ad valetudinem curandam.

OMNIA a te data mihi putabo,[p] si te valentem videro:[1] summa cura expectabam adventum Menandri,[q] quem ad te miseram. Cura, si me diligis, ut valeas: et, cum te bene confirmaris, ad nos venias. Vale. IV Idus April.[2]

(14.) M. T. C. TIRONI S. P. D.

ARGUMENTUM.—Solicitudinem suam, ægrotante Tirone, significat, et valetudinem ut curet, hortatur.

[*p.* 262.] ANDRICUS[3a] postridie ad me venit, quam expectaram. Itaque habui noctem plenam timoris ac miseriæ.[4b]

[o] *Promisit enim.*
[p] *Rem omnium mihi gratissimam feceris.* [q] *Servi.*

Dresd. 4. *quemque amantissimum.* Statim, *et ut valetudinis* Dresd. 2. 3.—16 *Tu quando eo tempore* edd. vett. Mox, *quo ego tempore maxime* Lamb.—17 Lips. Ascens. 1. *quam M. Volusium.*—18 Peck. omittit *literas.*—19 Vet. cod. Græv. non habet *tum.*

EPIST. XIII. 1 Dresd. 3. *video.*—2 Ita Dresd. 2. Lips. *Vale VII Idus April.* Hitt. Hæc verba desunt in Pal. 6. Mentel. ψ, Dresd. 3. 4.

EPIST. XIV. 3 *Menandrius* Pal. 3. Dresd. 4. *Menander* cod. Græv. *Nandricus* Amstel. Lips. *Ænandrius* Mentel. *Menandrus* al. ap. Græv. Mox, *quam expectarem* quatuor Dresd. Lips. ψ, ed. Lips. Victor.—4 Ita Dresd. 3.

NOTÆ

[a] *Andricus*] Quem Manutius existimat eundem esse cum Menandro, qui nominatur in epistola 13.

[b] *Plenam timoris ac miseriæ* [*timori-*

Tuis literis nihilo sum factus certior,[a 4] quomodo te haberes; tamen sum recreatus.[b c] Ego omni delectatione, literisque omnibus careo; quas ante, quam te videro, attingere non possum. Medico mercedis, quantum poscet, promitti jubeto: id scripsi ad Ummium.[5 d] Audio te animo angi,[e] et medicum dicere, ex eo te laborare.[c] Si me diligis, excita ex somno tuas literas humanitatemque,[f] propter quam[d] mihi es carissimus: nunc opus est te animo valere, ut corpore possis.[e] Id cum tua, tum mea causa facias, a te peto. Acastum retine, quo commodius tibi ministretur. Conserva te mihi: dies promissorum[g] adest; quem etiam repræsentabo, si adveneris. Etiam atque etiam vale. IV Idus, hora VI.[6]

(15.) M. T. C. TIRONI S. P. D.

ARGUMENTUM.—Suam de Tironis valetudine solicitudinem significat.

ÆGYPTA[h] ad me venit pridie Idus Apriles. Is etsi

[a] *Adde, quod tuis literis certiorem me non fecisti, &c.*
[b] *Priori tamen timore et miseria sum paululum levatus.*
[c] *Ex illa animi anxietate te gravius ægrotare.*
[d] *Memoria repete philosophiæ præcepta, illamque eruditionem, propter quam, &c.*
[e] *Tranquillo te animo esse, ut convalescas.*
[f] *Antevertam.*

Hitt. Pal. 6. *timoris, ac miserius* Victor. *timoris, ac miseriis* Memm. Mentel. Græv. 2. *timoribus, ac miseriis* Dresd. 2. 4. 5. Lips. Amstel. ed. Lips. Ascens. 1.—4 Hitt. *nullo modo certior factus sum;* Pal. 3. *nullo certior factus sum.* —5 Ita codd. Græv. et Pal. 1. *Mummium* Dresd. 2. 5. *Munnum* Lips. et ed. Lips. *Munium* codd. Manut. et Dresd. 4. *Numium* Pal. 6. *Hermium* Dresd. 3. *Mumium* Ascens. 1. *Ummidium* conj. Ernesti.—6 *VII Idus hora sexta* Pal. 6. *III Idus h. III* Amstel. *IIII Idus Aprileis hora tertia* edd. vett. *hora VI* deest in Hitt. et ψ.

NOTÆ

bus et miseriis] Hic locus a nonnullis ita corrigitur, *plenam timoris, et miseriæ;* sed quoniam cum vulgata scriptura cohæret sensus, nihil quicquam immutandum judico.

[c] *Recreatus*] Quia cognovi ex Andrico, et ex tuis literis, te vivere, majorem idcirco metum depuli.

[d] *Ad Ummium* [*Mumium*] Non eodem modo vetusti codices, *Munium, Numium, &c.* res, ut opinor, levissimi momenti, et cui immorari diutius religioni ducerem.

[e] *Animo angi*] Quod a me longius absis.

[f] *Humanitatemque*] Humanitas vulgo sumitur pro sermonis ac morum suavitate, ac lepore; hic pro eruditione usurpatur. Vide Gell. XIII. 16.

[g] *Dies promissorum*] Quo libertate tibi promissa donandus es.

[h] *Ægypta*] Servi nomen.

mihi nuntiavit, te plane febri carere, et belle habere; tamen, quod negavit te potuisse ad me scribere, curam mihi attulit, et eo magis, quod Hermia,[1] [i] quem eodem die venire oportuerat, non venerat. Incredibili sum solicitudine de tua valetudine; qua si me liberaris, ego te omni cura liberabo.[h] Plura scriberem, si jam putarem, libenter[k] te legere posse. Ingenium tuum, quod ego maximi facio, confer ad te mihi tibique conservandum.[i] [2] Cura te etiam atque etiam diligenter. Vale. Scripta jam epistola,[3] Hermia venit. Accepi tuam epistolam, vacillantibus[l] literulis:[4] nec mirum, tam gravi morbo. Ego ad te Ægyptam misi,[5] quod nec inhumanus est, et te visus est mihi diligere, ut is tecum esset; et cum eo cocum, quo utere. Vale.

(16.) Q. C. M. CICERONI FRATRI S. P. D.

ARGUMENTUM.—Quintus fratri de Tirone manumisso et gratias agit et gratulatur.

[*p.* 263.] DE Tirone, mi Marce, ita te, meumque Ciceronem, et meam Tulliolam, tuumque filium videam, ut mihi gratissimum fecisti, cum eum, indignum illa fortuna, nobis[6] amicum[k] quam servum esse maluisti. Mihi crede, tuis et illius literis perlectis,[7] exsilui gaudio, et tibi et ago gratias

[h] *Te libertate donabo.*

[i] *Ingenium tuum, quantum est, adhibe ad convalescendum.*

[k] *Quam mihi gratum est te, meumque filium, &c. videre, tam mihi gratum fecisti, cum Tironem, servili indignum conditione, nobis amicum, &c.*

EPIST. XV. 1 *Hermias* Dresd. 3. et sic infra.—2 Cod. ψ *mihique conservandum*, omisso *tibi*; al. ap. Græv. *mihi tibique confirmandum*.—3 *Scripsi jam epistolam* Hitt. Pal. 6.—4 Ita Dresd. 2. 3. *literis* Dresd. 4. 5. Lips.—5 *Ægyptam remisi* Lamb. Denique, *coquum quo uterere* Dresd. 2. Lips. ed. Lips. *equum quo uterere* Ascens. 1. *quoquum quo utere* ψ.

EPIST. XVI. 6 Dresd. 2. *illa fortuna hic nobis;* Amstel. Dresd. 4. Lips. ψ *illa fortuna hac nobis;* Dresd. 3. 4. Hitt. Pal. 6. Vat. alii codd. et vulgg. ante Ernesti *illa fortuna, ac nobis*.—7 Pal. 6. *literis perlatis;* ψ *literis lectis.* Actu-

NOTÆ

[i] *Hermia*] Hic quoque Ciceronis servus.

[k] *Libenter*] Ægrotis enim, aut morbo debilitatis, multitudo verborum injucunda solet esse.

[l] *Vacillantibus*] Literis nec firme, nec æqualiter scriptis: nec mirum istuc post tam gravem morbum.

et gratulor. Si enim mihi Statii[m] fidelitas[3] est tantæ voluptati; quanti esse in isto hæc eadem bona[n] debent,[l] additis literis,[o] sermonibus, humanitate, quæ sunt his ipsis commodis[p] potiora? Amo te omnibus equidem maximis de causis,[4] verum etiam propter hanc,[m] vel quod mihi[n] sic, ut debuisti, nuntiasti. Te totum[q] in literis vidi. Sabini[r] pueris[o] et promisi omnia, et faciam.

(17.) M. T. C. TIRONI S. P. D.

ARGUMENTUM.—Tironem modeste reprehendit, quod adverbio 'fideliter' non recte usus fuerat: et ut valetudini serviat, admonet.

VIDEO, quid agas:[a 1] tuas quoque[a] epistolas vis referri in volumina. Sed heus tu, qui κανὼν[b b] esse[2] meorum scrip-

[l] *Quanti in Tirone hæc eadem fidelitas æstimari debet?*
[m] *Propter libertatem Tironi datam.*
[n] *Præterea hoc etiam nomine te amo, quod mihi, &c.*
[o] *Servis.*
[a] *Quid intendas.*
[b] *Regula.*

tum *exilivi gaudio* in eodem codice. Prius *et* non agnoscunt Hitt. Amstel. *et tibi ago gratias et, &c.* quatuor Dresd. et al. ap. Græv.—3 *Statii fidelitas et frugalitas* al. ap. Græv. Mox, iidem *quanti est in isto.* Deinde, *additis literis, et sermonibus, humanitate* Pall. 1. 6. Vat. Dresd. 2. 5. Torg. Lips. *additis literis, et sermonibus, et humanitate* Dresd. 3. *additis literis, et sermonibus humanitate* Dresd. 4. quam lectionem recepit Benedict. *quæ sunt his ipsis potiora* Hitt. —4 Hitt. Peck. Pall. 1. 6. Dresd. 2. Victor. *equidem de maximis causis.* Dresd. 3. multa nova affert, *Amo te præ omnibus in maximis quidem causis, verum etiam in his, quæ mihi sic, &c.*

EPIST. XVII. 1 *Vide quid agas* Amstel. *Videto quid agas* Dresd. 3. Statim, pro *referri,* quod servant Hitt. Pal. 6. Vat. Dresd. 3. P, Victor. *referam* exhibent Dresd. 2. ψ, edd. vett. *vix referam in volumina* Dresd. 5. Lips. *me*

NOTÆ

[m] *Statii*] Quem libertate Quintus Cicero donaverat.

[n] *Hæc eadem bona*] Per emphasim plurali utitur numero, quasi in una fidelitate multa commoda contineantur.

[o] *Additis literis*] Cum non modo sit fidelis Tiro, sed etiam literatus, &c.

[p] *His ipsis commodis*] His ipsis obsequiis, quæ servi dominis præstare solent.

[q] *Te totum*] Te totum, qualis es, in literis tuis cognovi, beneficum scilicet, et liberalem.

[r] *Sabini*] Romanæ familiæ cognomen.

[a] *Tuas quoque*] Ciceroni Tiro forte significaverat, cupere se, ut epistolæ a se diligenter scriptæ colligerentur, et asservandæ referrentur in volumina, sicut et ipse Ciceronis literas servabat. Epist. ad Att. XVI. 5.

[b] Κανὼν] Non modo quia literas

torum soles, unde illud tam ἄκυρον,[c c] 'valetudini fideliter[d] inserviendo?' Unde in istum locum 'fideliter' venit?[d] cui verbo domicilium est proprium in officio; migrationes[e] in alienum multæ.[e] Nam et doctrina, et domus, et ars, et ager etiam, fidelis dici potest; ut sit (quomodo Theophrasto[f] placet) verecunda[f] tralatio.[3] Sed hæc coram. Demetrius venit ad me: quo quidem comitatu[g] ἀφωμίλησα: satis scis. Tu eum[4] videlicet non potuisti videre: cras aderit: videbis igitur: nam ego hinc[5] perendie mane cogito.[g] Valetudo tua me valde solicitat: sed inservi,[6 h] et fac omnia: tum te mecum esse, tum mihi cumula-

[c] *Improprium.*

[d] *Quanam, amabo, ratione, vocabulum illud, 'fideliter,' huic loco convenit?*

[e] *Illud quidem verbum propriam in significatione sua sedem habet, quamvis per metaphoram in alienas aliquando transeat.*

[f] *Modesta.* [g] *Post crastinum diem ego hinc discedere cogito.*

in volumina referam Dresd. 4.—2 Cod. ψ *κανὼν non esse.*—3 Dresd. 2. 3. 4. 5. ψ, Ascens. 1. *translatio.*—4 *Et tu eum* Dresd. 2. 4. 5. Lips. Amstel. ed. Lips. Ascens. 1. aliæ vett. *scilicet non potuisti* Dresd. 2. Pal. 1.—5 *Nam ego hic* Dresd. 3. ψ, Ascens. 1. *perendie manere* Hitt. Lips. Dresd. 3. Ascens. 1.—6 Lamb. *sed ei inservi.* Statim, *tum et mecum esse, tum et mihi, &c.* Hitt. Pal.

NOTÆ

Ciceronis redactas in ordinem custodiebat diligentissime; sed quod eas examinare, atque interdum corrigere solitus esset.

[c] Ἄκυρον] Alieno loco positum.

[d] *Fideliter*] Quia vocabulum istuc de hominibus duntaxat in propria significatione dicitur.

[e] *Migrationes*] Sensus est: Equidem potest hæc eadem dictio ad alia transferri; dicitur enim doctrina, domus, &c. fidelis; cavendum tamen, ut ejusmodi translationes verecundæ sint, et modestæ; vitanda est nimia in his metaphoris licentia.

[f] *Theophrasto*] Is philosophus, ex urbe Eresso in insula Lesbo oriundus, ob sermonis suavitatem, quasi divina tantum loqueretur, ab Aristotele præceptore suo Theophrasti nomen accepit, cum antea Tyrtamus diceretur. Mortuus est anno urbis conditæ 465. cum scholæ Peripateticæ annos sex et triginta præfuisset, tanto omnium plausu, ut ad eum audiendum discipuli circiter bis mille confluerent.

[g] *Quo quidem comitatu*] Nodus hic sane solvi difficilis. Ita Lambinus explicat: Sed, ut scis ipse, ab comitatu abstraxi ego me, ac removi, neque cum Demetrio, neque cum aliis, qui comites ipsi aderant, congressus sum, aut collocutus. Ὁμιλέω, *colloquor.* Quidam legunt ἀνομιλήσας, et sic interpretantur: Cujus ego Demetrii, comitumque ejus consuetudine sum usus: nosti homines. Huic declarationi, cum nulla melior occurrat, calculum facile meum adjecerim.

[h] *Sed inservi*] Valetudini tuæ.

tissime satisfacere putato.[z] Cuspio quod operam dedisti,[h] mihi gratum est. Valde enim ejus causa volo.[i] Vale.

(18.) TULLIUS TIRONI S. P. D.

ARGUMENTUM.—Liberto Tironi respondet, patroni nomina, ne invidiam ferant, deprecanti. De valetudine gratulatur, cui ut indulgeat, monet. Admiscet alia.

QUID igitur? non sic oportet?[a] Equidem censeo[b] sic: addendum etiam, 'suo:' sed, si placet,[c] invidia vitetur; quam quidem ego sæpe contemsi. Tibi διαφόρησιν[d] gaudeo profuisse: si vero etiam Tusculanum,[e] Dii boni![1] quanto mihi illud erit amabilius! Sed, si me amas, (quod quidem aut facis, aut perbelle simulas, quod tamen[f] in modum procedit[2]) sed ut est,[g] indulge[h] valetudini tuæ: cui quidem[i]

[h] *Quod auxilium præstitisti.* [i] *Illum amo.*

6. Pro *putato* al. ap. Græv. habent *putabo*, probante Benedict.
EPIST. XVIII. 1 *Dei bonei* Hitt. Actutum, *quanto illud mihi* vet. cod. Græv.—2 Mentel. *quod tamen in modum processit;* Lamb. *quod tamen mirum in modum procedit;* Gulielm. *quod tamen in modum procedit.* Pro *sed ut est,*

NOTÆ

[z] *Putato*] Si valetudini indulseris tuæ.

[a] *Non sic oportet*] Itane censes, non adhibendam in meis literis hanc inscriptionem? Inter servos et libertos id erat discriminis; quod servi, domini prænomen tantum; liberti vero, et nomen, et prænomen assumerent, cognomen nunquam; *Marcus Tullius Tiro.*

[b] *Equidem censeo*] Ego vero censeo, non modo nihil de hoc titulo detrahendum, sed addendum etiam 'Tironi suo,' quod majus est benevolentiæ signum.

[c] *Sed, si placet*] Sed quandoquidem tibi placet, omittamus hanc inscriptionem, ut vitetur invidia, quam tibi apud familiares tuos forte concitaret.

[d] Διαφόρησιν] Dissipationem, animi relaxationem; melius forte, purgationem. Διαφορέω, *dissipo.*

[e] *Tusculanum*] Si tibi etiam Tusculanum profuerit, ut profuit διαφόρησις, longe erit mihi amabilius, quam antea. Tusculanum Tiro se contulerat, et animi relaxandi, et valetudinis confirmandæ gratia.

[f] *Quod tamen*] Quæ tamen simulatio tibi satis ex sententia succedit, mihi quippe persuasum est, me sincere a te amari. Hæc per jocum Cicero, neque enim dubitabat, quin vere a Tirone suo amaretur.

[g] *Ut est*] Sive me ex animo amas, sive me amare simulas. Manutius legit, *ut ut est,* et recte, ut opinor, legit.

[h] *Indulge*] Plus etiam inservi valetudini tuæ, quam decere videatur. 'Indulgere,' est nimium obsequi.

[i] *Cui quidem*] Quam quidem nondum antea curasti satis, quia in meis

tu adhuc, dum mihi deservis, servisti non satis. Ea quid postulet, non ignoras: πέψιν,[k] ἀκοπίαν,[3] περίπατον σύμμετρον, τέρψιν, εὐλυσίαν κοιλίας. Fac bellus[1] revertare: non modo te, sed etiam Tusculanum[m] nostrum plus amem. Parhedrum[n] excita, ut hortum ipse conducat:[4] sic olitorem ipsum commovebis. Helico[5 o] nequissimus H-S CIↃ[p] dabat, nullo

Lambinus edidit *sed ut ut est*, contra codd.—3 Ita codd. Victorii; ἀλυπίαν Dresd. 2. et ψ, non improbante Benedict. ἀκείπαν al. ap. Græv. Pro τέρψιν Lamb. conj. τρίψιν.—4 *Parhedrum excitavi, hortum ipse conducat* Hitt.—5 *Heluo* Dresd. 2. *Elico* al. ap. Græv. *Salaco* Lamb. *sestertia ducenta dabat* al. ap.

NOTÆ

negotiis curandis nimium contentionem adhibuisti. Vide Epist. 4.

[k] Πέψιν] *Concoctionem; πέπτω, coquo; ἀκοπίαν, vitationem lassitudinis; κόπος, labor.* In vetustis quibusdam codicibus legitur ἀλυπίαν, *indolentiam, vacuitatem, cessationem doloris; λύπη, dolor: περίπατον σύμμετρον, ambulationem moderatam; περιπατέω, ambulo; μέτρον, mensura: τέρψιν, delectationem; τέρπω, delecto.* Quidam legunt τρίψιν, *frictionem; τρίβω, tero, tundo: εὐλυσίαν κοιλίας, facilitatem alvi; λύω, solvo.*

[1] *Bellus*] Confirmata valetudine. Epist. 15. 'Belle habere,' pro sanum esse.

[m] *Tusculanum*] In quo morbum depuleris, plus amabo.

[n] *Parhedrum*] Assessorem aliquem excita, qui hortum ipse nostrum conducat; πάρεδρος, *assessor* est, παρὰ et ἕδρα, *sedes:* nihilominus per metaphoram significare potest consiliarium, aut custodem; estque, nisi fallor, hujus loci sensus: Olitor nostrum hortum facit minimi, minimumque pro eo pretium offert, ratus affuturum neminem, qui velit eum conducere; at quære inter vicinos aliquem, qui hortum hunc vel ad tempus conducat, aut fingat velle se conducere; sic olitorem excitabis, et adduces, ut summam pecuniæ majorem mihi solvat. Vel sic explica: *Commovebis*, id est, anxietate, et molestia illum afficies; utrumque simul stare potest.

[o] *Helico* [*Helluo*] Id enimvero quis indigne non ferat? homo nequissimus non dubitat grandem summam numerare pro horto, qui nec apricus sit, nec fertilis, qui caret maceria, casa; et olitor iste noster hortum meum, in quem tot sumtus feci, deridet, et negligit. *Helluo*] Magna est codicum super hoc vocabulo varietas, nec minor loci totius obscuritas, et caligo. In quibusdam legitur *Helico;* in aliis *Heruco*, scriptura forsan ubique corrupta, nullibi certe clara. Non displicet Victorii conjectura, qui libenter, ut ait, legeret *Salaco nequissimus.* Hujus quippe vocis declaratio apte satis convenit huic Ciceronis sententiæ; sunt enim salacones, qui delicate vivunt, sumtumque faciunt, ubi minime oportet. Sic autem Cicero, ille salaco nequissimus, grandem insumebat pecuniam in conducendo, aut emendo agro non aprico, &c. noster autem olitor, &c. Vide superiorem notam.

[p] *H-S CIↃ*] Centum millia librarum Gallicarum; quanquam vix adducor, ut credam, tantum pecuniæ pro horto numerari potuisse.

aprico[q] horto, nullo emissario,[r] nulla maceria,[s] nulla casa.[t] Iste nos[6] tanta impensa[u] derideat?[x] Calface[y] hominem, ut ego Mothonem.[z] Itaque abutor coronis.[a] De Crabra[7][b] quid agatur, etsi nunc quidem[c] etiam nimium est aquæ, tamen velim scire. Horologium mittam, et libros, si erit sudum.[a] Sed tu nullosne tecum libellos? an pangis[b][8] aliquid Sophocleum?[c] fac opus appareat.[dd] A. Ligurius,[9] Cæsaris familiaris, mortuus est, bonus homo et nobis amicus. Te quando expectemus,[e] fac ut sciam. Cura te diligenter. Vale.

[a] *Si sit serenum tempus.* [b] *Scribis.*
[c] *Simile Sophoclis versibus.* [d] *Fac ut illud videam.*

Græv. Statim, *nulla causa* Hitt.—6 *Is ne nos* ψ, Dresd. 2. 4. 5. Lips. Ascens. 1. ed. Lips. Benedict. Mox, *tanta, tanta impensa* Dresd. 3. *ut ego Mamentonem* Hitt.—7 *De Cribra* P.—8 Hitt. *an plangis;* ψ *an paragis.* Statim, *fac ut opus* Hitt.—9 *Liguribus* P ψ.

NOTÆ

[q] *Aprico*] Duplex hujus vocabuli significatio: aliter enim de loco, aliter de homine, aut de volucre dicitur. Locus ille apricus est, qui soli tepido quidem, et leni, non torrido, exponitur, Virg. Ecl. IX. 'Duceret apricis in collibus uva colorem.' Apricos autem appellamus, qui locis apricis gaudent. Pers. Sat. v. 'nostra ut floralia possint, Aprici meminisse senes.'

[r] *Nullo emissario*] Qui sit sterilis, parum ferax, qui non multos fructus emittat.

[s] *Nulla maceria*] Maceria, murus est, seu lapidum simul compactorum absque cæmento congeries, *muraille sèche.*

[t] *Nulla casa*] Qui nullam habet casam, sicut habet noster.

[u] *Tanta impensa*] Quam in hortum meum feci.

[x] *Derideat*] Fingat se nolle conducere, nisi vilissimo pretio?

[y] *Calface*] Incende illum cupiditate hortum nostrum majori conducendi pretio; quod feceris, si aliquem alium excites, qui conducat, aut simulet se velle conducere.

[z] *Ut ego Mothonem* [*M. Othonem*] Seu *Mothonem,* vel *Mathonem,* calefeci, vel excitavi.

[a] *Abutor coronis*] Nihil admodum floreas ejus coronas, aut dona ejusmodi moror: malim ut majus pro horto pretium constituat.

[b] *De Crabra*] Aquæ nomen in agro Tusculano, unde etiam aqua Tusculana dicitur. Sensus est: Scribe quo sit in statu fons noster; licet enim aquis jam abundet, tamen velim scire quomodo se habeat.

[c] *Etsi nunc quidem*] Jocatur Cicero: forte enim aqua fons carebat; sed quia maximus eo tempore imber defluxerat, ideo facete addit *etsi nunc quidem, &c.*

[d] *Fac opus appareat*] Fac ut in publicum exeat, ab eruditis legatur, &c. Sophocles, patria Atheniensis, tragœdiarum auctor locuples, fabulas scripsit 123. et vicies quater victor discessit. De ejus obitu vide Epist. 8.

[e] *Expectemus*] Romæ.

(19.) M. T. C. TIRONI S. P. D.

ARGUMENTUM.—De literis, de Demetrio, de Aufidiano nomine.

[*p.* 264.] EXPECTO tuas literas de multis rebus; te ipsum multo magis. Demetrium redde nostrum,[e] et aliud, si quid potest, boni.[1] De Aufidiano nomine nihil te hortor:[f] scio tibi curæ esse: sed confice. Et, si ob eam rem moraris, accipio causam:[g] si id te non tenet,[h 2] advola. Literas tuas valde expecto. Vale.

(20.) M. T. C. TIRONI S. P. D.

ARGUMENTUM.—De cura valetudinis, et componendis libris: de olitore, de spectaculo Kalendarum.

SOLICITAT, ita vivam,[f] me tua, mi Tiro, valetudo:[i] sed confido, si diligentiam, quam instituisti, adhibueris, cito te firmum fore. Libros compone;[k] indicem,[3 g] cum Metrodoro lubebit, quando ejus arbitratu vivendum est. Cum olitore,[4 h] ut videtur.[l] Tu potes Kalendis spectare[i] gladiatores,[5] postridie redire:[k] et ita censeo. Verum, ut videbitur.[l] Cura te, si me amas, diligenter. Vale.

[e] *Fac ut Demetrius servus noster ad nos revertatur.*
[f] *Non te hortor, ut exigas ab Aufidio quod debet.*
[g] *Perfice ocyus; quod si tamen id perficere moraris, accipio excusationem tuam.*
[h] *Si res illa non te detinet.*
[i] *Moriar, si non me solicitat valetud tua.* [k] *Ordinate dispone.*
[l] *Ad olitorem quod pertinet, fac quod tibi visum fuerit.*

EPIST. XIX. 1 Ita Dresd. 2. *potes boni* Hitt. Pal. Dresd. 3. 4. 5. Lips. ψ, Victor. ed. Lips. Ascens. 1.—2 Ita codd. Grævii, et Victor. *si te id non tenet* edd. vett.

EPIST. XX. 3 Ita Vat. Pall. 1. 6. Victor. P. *videlicet* vulgg. ante Græv. *indicem* deest in ψ. Statim, *cum ejus a. v. est* edd. vett. *quomodo ejus a. v. est* Dresd. 2. 5. Lips.—4 *Cum Helicone* Dresd. 4.—5 Ita Dresd. 3. 4. *expectare gladiatores* Dresd. 2. 5. Ascens. 1.

NOTÆ

[f] *Ita vivam*] Jurandi et affirmandi formula.

[g] *Indicem*] Quod pertinet ad indicem, quia majorem labor ille contentionem exigit, eum dispones, cum medico placebit.

[h] *Cum olitore*] Epist. 18.

[i] *Spectare*] Romæ.

[k] *Redire*] In Tusculanum.

[l] *Ut videbitur*] Totum id arbitrio tuo permitto.

(21.) C. FIL.[a] TIRONI SUO DULCISS. S. P. D.

ARGUMENTUM.—Suum virtutis amorem studiumque Cicero filius significat: de prædio emto gratulatur. Antonio et Dolabella coss. aut paulo ante videtur scripta.

CUM vehementer tabellarios expectarem quotidie, aliquando venerunt post diem VI et XL,[1] quam a vobis discesserant: quorum mihi fuit adventus optatissimus. Nam cum maximam cepissem lætitiam ex humanissimi et carissimi patris epistola,[2] tum vero jucundissimæ tuæ literæ cumulum mihi gaudii attulerunt. Itaque me jam non pœnitebat, intercapedinem scribendi fecisse;[a] sed potius lætabar: fructum enim magnum humanitatis tuæ capiebam ex silentio mearum literarum.[b] Vehementer igitur gaudeo, te meam sine dubitatione accepisse excusationem. Gratos tibi optatosque esse, qui de me rumores afferuntur, non dubito, mi dulcissime Tiro: præstaboque, et enitar, ut in dies magis magisque hæc nascens de me duplicetur opinio. Quare quod polliceris[3] te buccinatorem[b] fore existimationis meæ,[c] firmo id constantique animo facias licet. Tantum enim mihi dolorem cruciatumque attulerunt errata ætatis meæ,[d] ut non solum animus a factis, sed aures quoque a commemoratione abhorreant. Cujus te[4] solicitudinis et doloris participem fuisse, notum exploratumque est mihi: nec id mirum. Nam cum omnia mea causa velles mihi successa;[c] tum etiam tua:[e] socium enim te

[a] *Distulisse literas ad te dare.*
[b] *Quod enim tibi non scriberem, idcirco plura mihi postea scripsisti.*
[c] *Præconem virtutis meæ.* [d] *Anteactæ vitæ.*
[e] *Quia, et mea, et tua causa cupiebas omnia mihi prospere evenisse.*

EPIST. XXI. 1 Ita emend. Ernesti; ante eum codd. et edd. vett. habent *post diem XL et VI.* Actutum, *quam a nobis* Hitt. Pro *optatissimus*, quod servant Gorl. Dresd. 4. 5. Ascens. 1. ed. Lips. *adoptatissimus* codd. Victor. Dresd. 2. Pall. 1. 2. 6. ψ, Amstel. Manut. *expectatissimus* Dresd. 3. *exoptatissimus* Hitt.—2 Ita Dresd. 5. *lætitiam et h. et c. p. epistolam* Dresd. 2. 3. 4. Pall. 1. 6. Hitt.—3 *Quare quod pollicetur iste* Hitt. Dresd. 3. *buccinatorem se*

NOTÆ

[a] *C. Fil.*] Cicero filius, qui tum Athenis philosophiæ studio vacabat.
[b] *Buccinatorem*] Te meas laudes divulgaturum.
[c] *Successa*] Pro *successisse.*

meorum commodorum semper esse volui. Quod[5] igitur tum ex me doluisti, nunc, ut duplicetur tuum ex me gaudium, præstabo. Cratippo[d] me,[6] scito, non ut discipulum, sed ut filium, esse conjunctissimum: nam cum audio illum libenter, tum etiam propriam ejus suavitatem vehementer amplector.[f] Sum totos dies cum eo, noctisque sæpenumero partem:[7] exoro enim, ut mecum quam sæpissime cœnet. Hac introducta consuetudine,[e] sæpe inscientibus nobis[f] et cœnantibus obrepit,[8] sublataque severitate philosophiæ, humanissime nobiscum jocatur. Quare da operam, ut hunc talem, tam jucundum, tam excellentem virum videas quamprimum. Nam quid ego de Bruttio[9] dicam? quem nullo tempore a me patior discedere: cujus cum frugi severaque est vita, tum etiam jucundissima convictio:[g] non est enim sejunctus jocus a philologia et quotidiana συζητήσει.[h g] Huic ego locum[h] in proximo conduxi; et, ut possum, ex meis angustiis illius sustento tenuitatem. [*p.* 265.] Præterea declamitare Græce apud Cassium[i] institui: Latine autem apud Bruttium exerceri volo. Utor

[f] *Suavissimo ejus colloquio libentissime utor.* [g] *Societas.*
[h] *Neque enim philosophiæ studium, aut disputatio de literis, impedit, quominus jocetur.*

fore Dresd. 3.—4 *Cujus ego te* in eodem cod.—5 Ita Pal. 1. et Victor. *Quando* edd. vett.—6 *Gratis me* Hitt. Statim, *nam cum et audio* nonnulli codd. et edd. vett. *nam et cum audio* Dresd. 2. *nam et audio* Dresd. 3. *nam cum audio* est e conj. Lambini. Deinde, *propriam ejus humanitatem* Dresd. 3. *ejus propriam suavitatem* edd. vett.—7 Dresd. 3. *noctesque s. partes.* Actutum, *exoro igitur ut mecum* Dresd. 3. *exoro enim nobis, ut mecum* Dresd. 2.—8 Al. ap. Græv. *et jocantibus obrepit.*—9 Ita Dresd. 2. 3. Victor. *de Bruto* Dresd. 4. 5. ed. Lips. Ascens. 1. *de Brutio* Hitt. Pal. 6. Mox, pro *convictio*, quod servat Medic. *conjunctio* legitur in quatuor Dresd. ed. Lips. Ascens. 1. *non est enim sejunctus locus* Dresd. 3. 4. Hitt. Pal. 6. Victor. vulgg. ante Ernesti; nostram

NOTÆ

[d] *Cratippo*] Philosophorum in Peripatetica doctrina principi.

[e] *Introducta consuetudine*] Ut mecum sæpe cœnet.

[f] *Inscientibus nobis*] Summæ familiaritatis indicium.

[g] Συζητήσει] *Mutua quæstione*, seu *disputatione*. Ζητέω, *quæro*.

[h] *Huic ego locum*] Id est ædem, sive cubiculum in vicinia nostra.

[i] *Apud Cassium*] Non dubito, quin sit ille diversus ab Cassio Cæsaris percussore, cui non tantum otii eo tempore supererat, ut apud eum Ciceronis filius pro arbitratu suo declamitare posset.

familiaribus et quotidianis convictoribus, quos secum Mitylenis[k] Cratippus adduxit, hominibus et doctis et illi probatissimis.[10] Multum etiam mecum est Epicrates, princeps Atheniensium, et Leonides, et horum ceteri similes: τὰ μὲν οὖν καθ' ἡμᾶς τάδε.[i] De Gorgia[l] autem quod mihi scribis, erat quidem ille in quotidiana declamatione utilis: sed omnia postposui, dummodo præceptis patris parerem: διαῤῥήδην[k] enim scripserat, ut eum dimitterem[m] statim. Tergiversari nolui, ne mea nimia[11] σπουδὴ[n] suspicionem ei aliquam importaret.[o] Deinde illud etiam mihi succurrebat, grave esse,[p] me de judicio patris judicare. Tuum tamen studium[q] et consilium gratum acceptumque est mihi. Excusationem[r] angustiarum tui temporis accipio: scio enim, quam soleas esse occupatus. Emisse te prædium vehementer gaudeo: feliciterque tibi rem istam evenire cupio. Hoc loco[l] me tibi gratulari, noli mirari:[s] eodem enim fere loco,[t] tu quoque, emisse te, fecisti me certiorem. Habes: deponendæ[u] tibi sunt[12] urbanitates: rusticus

[i] *Quæ igitur ad nos pertinent, hæc sunt.* [k] *Aperte.* [l] *Hac epistolæ parte.*

lect. firmant Dresd. 2. 5. Amstel. Guelf. 2. Gorl.—10 Hitt. *illis probatissimis.* —11 Al. ap. Græv. *ne mei animi.*—12 Ita codd. Gebhardi, Lambini, Dresd. 2. 4. 5. Lips. *Habes ubi deponendæ tibi sunt* codd. Græv. et edd. vett. *Habes*

NOTÆ

[k] *Mitylenis*] Epist. IV. 7.

[l] *De Gorgia*] Græco rhetore.

[m] *Ut eum dimitterem*] Quoniam, ut ait Plutarchus, ad potum, et ad voluptatem Ciceronis filium alliciebat, qui tali præceptore binos congios simul hauriri didicit.

[n] Σπουδὴ] Propensior in Gorgiam voluntas.

[o] *Importaret*] Diceretque mihi amicum esse Gorgiam, non doctrinæ, sed voluptatis gratia.

[p] *Grave esse*] Contra prudentiæ leges me peccare, si judicium patris ita examinare velim, quasi falli possit, in sua de hoc rhetore sententia.

[q] *Studium*] *Studium*, quia cupis; *consilium*, quia suades, ut a Gorgiæ convictu et societate me sejungam.

[r] *Excusationem*] Quod scribis, angustum tibi esse tempus, et rariores idcirco te mihi dare literas; excusationem hanc accipio.

[s] *Noli mirari*] Id quippe mirari potuisset: moris enim erat, ut gratulatio initio epistolæ collocaretur.

[t] *Eodem enim fere loco*] Id est, nam ferme sub epistolæ tuæ finem de emtione tua mihi scripsisti.

[u] *Habes: deponendæ*] Habes jam locum, ubi, omissis urbanis occupationibus, animum relaxes.

Romanus[x] factus es. Quomodo ego[y] mihi nunc[13] ante oculos tuum jucundissimum conspectum propono! videor enim videre ementem te rusticas res, cum villico loquentem, in lacinia[z] servantem ex mensa secunda semina. Sed quod ad rem pertinet, me tum[a] tibi defuisse, æque ac tu, doleo. Sed noli dubitare, mi Tiro, quin te sublevaturus sim, si modo fortuna me;[14] [b] præsertim cum sciam, communem nobis emtum esse istum fundum. De mandatis[c] quod tibi curæ fuit,[15] est mihi gratum. Sed peto a te, ut quam celerrime mihi librarius[m] mittatur, maxime quidem Græcus: multum mihi enim eripitur[16] operæ in exscribendis hypomnematis.[n] Tu velim inprimis cures, ut valeas, ut una συμφιλολογεῖν[o] possimus. Anterum[17] [d] tibi commendo. Vale.

(22.) TULLIUS TIRONI S. P. D.

ARGUMENTUM.—Valetudinis curandæ admonet ægrotantem: librarios tamen regere jubet: addit de variis.

SPERO ex tuis literis,[p] tibi melius esse: cupio certe.[1]

[m] *Qui libros describat.*
[n] *Multum enim et laboris et temporis consumo in describendis commentariis.*
[o] *De literis una disputare.* [p] *Ut mihi scripsisti.*

ubi sunt deponendæ al. ap. Græv.—13 *Quomodo enim ego mihi nunc* Pal. 6. *Cum ego nunc* al. ap. Græv. Mox, *videor videre ementem* edd. vett. *videor enim videre emente* Hitt.—14 Al. ap. Græv. *si fortuna me juverit.*—15 Lamb. *fuerunt.* —16 Dresd. 3. 4. 5. *enim mihi eripitur.* Actutum, *ex opere* Pal. 6.—17 *Antherum* vulgg. ante Ernesti.

EPIST. XXII. 1 Ita Pall. 1. 6. duo Gulielm. Amstel. Dresd. 2. *et cupio*

NOTÆ

[x] *Rusticus Romanus*] Jam factus es Romanis veteribus similis, qui licet triumphales erant, et consulares, vitam agrestem exercebant, et e villis in senatum arcessebantur. Id jocose dictum Tironi, qui ob impetratam libertatem Romanus aliquo modo civis evaserat; rusticus autem, ob prædium emtum.

[y] *Quomodo* [*Cum*] *ego*] Quoties ego mihi nunc, &c.

[z] *In lacinia*] Et in extrema vestimenti tui parte servantem, ut rustici solent, pomorum, quæ secunda mensa comeduntur, semina, ut ea deinde in tuo fundo feras. Secunda mensa, idem est quod vulgo dicimus *le dessert.*

[a] *Me tum*] Me tibi pecuniam commodare non potuisse.

[b] *Si modo fortuna me*] Sublevaverit, locupletiorem me fecerit.

[c] *De mandatis*] Quod tibi curæ fuerit ea exequi, quæ tibi mandaveram.

[d] *Anterum*] Servum.

Cui quidem rei omni ratione cura ut inservias:[2] et cave suspiceris, contra meam voluntatem te facere, quod non sis mecum: mecum es, si te curas. Quare malo te valetudini tuæ servire, quam meis oculis et auribus.[q] Etsi enim et audio te et video libenter,[3] tamen hoc multo erit, si valebis, jucundius. Ego hic cesso,[r] quia ipse nihil scribo: lego autem libentissime. Tu istic,[s] si quid librarii mea manu non intelligent,[t] monstrabis. Una omnino interpositio difficilior est, quam ne ipse quidem facile legere[4] soleo, de quadrimo Catone.[e] De triclinio[f] cura, ut facis. Tertia[g] aderit,[h] modo ne Publius[i] rogatus sit. Demetrius iste[k] nunquam omnino Phalereus fuit: sed nunc

[q] *Quam te a me videri, et audiri.*
[r] *Ego hic rure sum otiosus.* [s] *Romæ.*
[t] *Si illi, qui libros meos describunt, reperiunt aliquid manu mea scriptum, quod vix legere possint.*

certe Dresd. 3. *cupio equidem certe* variæ edd. ante Græv.—2 Hitt. *cura ut servias.* Actutum, *et cave ut supiceris* in eodem cod. *contra voluntatem meam* edd. vett. Deinde, *si te cures* Hitt. Dresd. 2. 4.—3 Hitt. *et video te libenter;* Pal. 6. *et video lubenter.*—4 Dresd. 2. *facete legere.* Pro *quadrimo* Dresd. 2.

NOTÆ

[e] *De quadrimo Catone*] De puero Catone, quatuor annos nato. Uticensem, opinor, significat, de quo id præter cetera Plutarchus tradit: Cum in domo M. Drusi avunculi sui, ac tribuni plebis, educandus maneret, Latini venerunt, ut de civitate obtinenda cum Druso agerent; rogantibusque puerum Catonem, ut sibi propitium hac in re avunculum redderet, seque præcipitem illum, ni postulata faceret, e fenestra daturos, jocose minantibus, quadrimus Cato constantissime recusavit. Istuc autem in Catonis laudibus Ciceronem attigisse probabile est; sed quia vel rem totam, vel aliquam partem, minutioribus exaravit literis, idcirco addit, hæc vel a seipso vix legi posse, de quadrimo Catone. Hæc est, inquam, illa interpositio ad legendum, vel Ciceroni ipsi difficilis.

[f] *De triclinio*] Perge, ut cœpisti, triclinium curare, et ornare. Triclinium locus erat, ubi discumbere consueverant, ac cœnare, dictus a tribus lectis, ibidem sterni solitis. Hinc Horat. Sat. I. 4. 'Sæpe tribus lectis videas cœnare quaternos,' &c.

[g] *Tertia*] Mulier post duas sorores nata: talis enim fuit apud Romanos consuetudo, ut si unica tantum esset filia, gentis ei imponeretur nomen, et 'Cornelia' v. g. diceretur; si duæ, una 'Cornelia major,' altera 'Cornelia minor;' si plures, 'prima,' 'secunda,' 'tertia,' 'quarta,' &c.

[h] *Aderit*] Veniet ad cœnam, quæ dabitur in illo triclinio.

[i] *Modo ne Publius*] Non sit invitatus ad cœnam. Quidnam hominis sit ille Publius conjici vix potest.

[k] *Demetrius iste*] De quo ad me scribis, nunquam fuit Demetrio Pha-

plane[l] Bilienus[5] est. Itaque[m] te do vicarium: tu eum observabis. Etsi: verumtamen[n] de illis: nosti cetera.[o] Sed tamen, si quem cum eo sermonem[6] habueris, scribes ad me, ut mihi nascatur epistolæ argumentum, et ut tuas quam longissimas literas legam. Cura, mi Tiro, ut valeas: hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale.

(23.) TULLIUS TIRONI SUO S. P. D.

ARGUMENTUM.—Hortatur, ut professionem conficiat; scribitque sibi in animo esse amicitiam Antonii conservare.

[*p.* 266.] TU vero[a] confice professionem,[b] si potes: etsi hæc pecunia[c] ex eo genere est, ut professione non egeat. Verumtamen[d] Balbus ad me scripsit, tanta se epiphora[e]

4. 5. Pall. 1. 3. Hitt. edd. pr. habent *qua primo;* Pal. 6. *quadrivio.*—5 *Billienus* Dresd. 2. 3. 5. *Billenus, Bullenus, Bellienus* codd. Manutii.—6 Hitt. *siquidem cum eo sermonem;* Dresd. 3. *si quem ad eum sermonem.*

NOTÆ

lereo similis; id est, nunquam fuit elegans, urbanus, &c. Ludit in Demetrii nomine.

[l] *Sed nunc plane*] Sed Bilieno potius, homini nequam, nunc plane similis est.

[m] *Itaque*] Meas igitur, ad Demetrium quod attinet, vices gere, illum examina, ab eo tibi cave, haud secus atque facerem ego, si præsens adessem. Vicarius ille dicitur, qui locum alterius tenet, ejusque munere, interea dum abest, fungitur.

[n] *Etsi: verumtamen*] Occultus, et involutus sermo, quem aperire sit arduum. Reticentia est. Existimat Manutius, Demetrii, de quo loquitur, concisum, perplexumque sermonem exprimi his verbis, et derideri.

[o] *Nosti cetera*] Quæ Demetrius absurde, et obscure dicere solet.

[a] *Tu vero*] Hæc dictio, in principio epistolæ apposita, vel continet ironiam, vel responsionem significat.

[b] *Confice professionem*] Palam denuntia, quicquid pecuniæ, agri, aliarumve rerum, possideo. 'Professio' est confessio palam facta. Cives omnes in sua tribu, classe, centuria, jurejurando dato, apud eum, penes quem jus censendi populi esset, nomina sua, uxorum, liberorum, libertorum, servorumque suorum profitebantur, fortunarumque suarum æstimationem deferebant. Hoc autem jus primo regum, deinde consulum, et dictatorum; denique, creato ad id proprio magistratu, censorum fuit.

[c] *Etsi hæc pecunia*] Et quamvis hæc pecunia, quæ mihi debetur, ejusmodi est, ut eam profiteri necesse non sit. Fiebat denuntiatio horum duntaxat bonorum, quæ quisque apud se habebat.

[d] *Verumtamen*] Subaudi *confice*, id est, hanc ipsam quoque pecuniam, quæ nobis debetur, denuntia, et profitere.

[e] *Epiphora*] Oculorum dolore: 'lacrymam' vulgo appellant, cum scilicet

oppressum, ut loqui non possit,[f] Antonius de lege quid egerit.[g] Liceat modo rusticari.[h] Ad Bithynicum [i] scripsi. De Servilio [k] tu videris, qui senectutem non contemnis. Etsi Atticus [l] noster, quia quondam me commoveri πανικοῖς[m] intellexit, idem semper putat, nec videt, quibus præsidiis philosophiæ [1] septus sim: et, hercle,[n] quod timidus ipse est, θορυβοποιεῖ. Ego tamen [o] Antonii inveteratam [p] sine ulla offensione amicitiam retinere [q] sane volo, scribamque ad

EPIST. XXIII. 1 Nonnulli codd. ap. Græv. omittunt *philosophiæ*. Statim, *et hercule* edd. vett. *et* omittunt Dresd. 2. 4. 5. *quod timidus est* Pall. 1. 6.

NOTÆ

humor acer decidit, et oculos vellicat. Ἐπιφορὰ est proprie *impetus*, quo quis in aliquem fertur, et irruit; a medicis autem sumitur pro humoris impetu, in partem aliquam influentis.

[f] *Ut loqui non possit*] Ut de lege Antonii loqui nolit. Jocatur Cicero; epiphora enim oculorum officium, non linguæ impedit; *non possit* autem dixit, id est, nolit: nolebat autem Balbus de Antonio rempublicam turbante loqui, quia Cæsarianus erat, amicus Antonio, dissimulandique peritissimus.

[g] *Antonius de lege quid egerit*] Sermo est, ut suspicor, de lege, quam Antonius, interfecto Cæsare, fixerat, ratamque voluerat esse, qua Siculi cives Romani facti sunt.

[h] *Liceat modo rusticari*] Quandoquidem Romæ, ob Antonii tyrannidem, esse non licet.

[i] *Bithynicum*] Epist. VI. 17.

[k] *De Servilio*] Scripsisti mihi Servilium Isauricum diem extremum obiisse: tu, qui senectutem non contemnis, vitamque longiorem amas; tu, inquam, cogita jam, et cura, ne ex hac vita, nisi ultima senectute, discedas, quod Servilio contigit; ego certe, libertate per Cæsarem et Antonium oppressa, vivere diutius non laboro.

[l] *Etsi Atticus*] Neque mortem, neque casum ullum extimesco, licet Atticus, qui me quondam vidit subitis terroribus commoveri, etiam nunc me timidum putat esse; cum tamen philosophia, cujus nunc præsidio septus sum, omni metu me liberet, doceatque nihil esse sapienti timendum, præter culpam.

[m] Πανικοῖς] Id est, *repentinis terroribus*, qui nos incautos aggrediuntur, ac feriunt: sic a Pane Deo dicti, quod ejusmodi terrores animis subito immittere crederetur.

[n] *Et, hercle*] Et certe Atticus, quia ipse timidus est, terrorem et aliis injicit, mihique præsertim ab Antonio timendum existimat.

[o] *Ego tamen*] Ego tamen, etsi nihil timeo, Antonii inveteratam, &c.

[p] *Inveteratam*] Quia jam ante multos annos, Ciceronis defensionem contra Clodium Antonius susceperat.

[q] *Retinere*] Sapienter utique fecisset; sed in eum paulo post invectus, sibi ipsi exitio fuit, nec reipublicæ consuluit saluti.

eum, sed non ante quam te videro: nec tamen[r] te avoco a syngrapha: γόνυ κνήμης.[2 s] Cras expecto[3] Leptam: etenim ad cujus rutam[t] pulegio[u] mihi tui sermonis utendum est. Vale.

(24.) TULLIUS TIRONI S. P. D.

ARGUMENTUM.—Domesticas res, deinde publicas narrat.

ETSI mane Harpalum[1] miseram;[a] tamen, cum haberem, cui recte darem literas, etsi novi nihil erat, iisdem de rebus volui ad te sæpius scribere; non quin confiderem[b] diligentiæ tuæ; sed rei me magnitudo[a] movebat. Mihi prora et puppis,[b] ut Græcorum[c] proverbium est, fuit a me tui

[a] *Etsi servum Romam ad te miseram.* [b] *Non quod diffiderem, &c.*

Victor.—2 Nonnulli codd. ap. Græv. omittunt γόνυ κνήμης.—3 *Cras excepto* Dresd. 2. 3. *etenim* omittunt unus cod. Manut. Dresd. 3. al. *et ad cujus rutam puleio* Hitt. *puleio* extat etiam in Pall. 1. 6. Dresd. 3. *pleio* Amstel. Dresd. 2. *etenim ad curam plero* Peck. Dresd. 5. *plene* Dresd. 4.

EPIST. XXIV. 1 *Harpulum* Hitt. Mox, *iisdem rebus* Peck. Dresd. 2. 4. 5. Lips. *his de rebus* Hitt. *sæpius* ante *scribere* deest in eodem codice. Tum, *non quia confiderem* Vat. *non qui diffiderem* Dresd. 3. *non quod diffiderem* al. *non quin diffiderem* Grouov. Deinde, *rei magnitudo me movebat* Dresd. 2. 4. 5.

NOTÆ

[r] *Nec tamen*] Et licet videndi tui desiderio teneor, nolo tamen te Roma proficisci, priusquam pecuniam, mihi per syngrapham debitam, exegeris. De syngrapha vide Epist. VII. 17.

[s] Γόνυ κνήμης] Subauditur ἔγγυον· genu enim tibia propius est, quo proverbio significatur, ea magis curanda esse, quæ magis ad nos pertinent. Sic Terentius: 'Proximus sum egomet mihi.'

[t] *Ad cujus rutam*] Nempe sermonis Leptæ amaritudo tui suavitate mihi condienda est. *Ruta*, herba in qua amari aliquid subest: hanc nonnulli sic dictam volunt a 'ruendo,' quod una ex omnibus herbis, ob multiplicem ejus usum, maxime eruatur; adversus venena præsens remedium.

[u] *Pulegio*] Pulegium, seu puleium, *du pouliot, ou du thym sauvage.* Pulegium sermonis, pro suavitate sermonis, hic a Cicerone usurpatur.

[a] *Rei magnitudo*] Agitur enim de rationibus meis, quas a te explicari volo.

[b] *Prora et puppis*] Eo nempe reducitur meum omne consilium, ut meas tibi rationes explicandas committam; nam prora et puppis totam navem continent.

[c] *Ut Græcorum*] Apud quos vigebat illud proverbium, πρώρα καὶ πρύμνη.

dimittendi, ut rationes nostras explicares.[c] Ofillio et Aurelio[d] utique satis fiat. A Flamma, si non potes omne,[2] partem aliquam[d] velim extorqueas; inprimisque, ut expedita sit pensio Kalendis Jan.[e] De attributione[e] conficies. De repræsentatione[f] videbis.[f] De domesticis hactenus.[3] De publicis omnia mihi certa:[g] quid Octavius,[4 g] quid Antonius;[h] quæ hominum opinio; quid futurum putes.[i] Ego vix teneor, quin accurram.[k] Sed st![5 l] literas tuas expecto: et scito Balbum tum[m] fuisse Aquini,[n] cum tibi est dictum, et postridie Hirtium.[o] Puto utrumque ad

[c] *Non nisi summa necessitate impulsus dimisi te, ut rationes meas explicares.*
[d] *A Flamma debitore, si non potes omne debitum, partem saltem aliquam, &c.*
[e] *Ut Kalendis Januariis solvat id, quod debet.*
[f] *Fac ut assignata mihi pecunia solvatur.*
[g] *Quod ad res publicas attinet, rogo te ut mihi certa perscribas.*

—2 Hitt. *omnem.*—3 Ita Dresd. 3. Hitt. Pal. 6. *De d. ejus hactenus* Pal. 1. Dresd. 2. 4. 5. Lips. ed. Lips. Ascens. 1. *De d. rebus hactenus* plurimæ edd. vett. et Bengel.—4 *Octavianus* Hitt. Mox, *quæ omnium opinio* Dresd. 4. *quæ horum opinio* Dresd. 3.—5 Ita unus codex Græv. *Sed si* alii codd. ap. Græv. Dresd. 2. 4. 5. *st* plane omittunt Dresd. 3. Lips. *Sed scilicet* codd. Lambini. *et* ante *scito* omittunt Dresd. 3. 4. *Balbum tuum fuisse* codd. Græ-

NOTÆ

[d] *Ofillio et Aurelio*] Creditoribus.

[e] *De attributione*] 'Attributio' idem est, quod nunc assignatio: hanc autem pecuniam Ciceroni Dolabella, dimissa Tulliola ejus filia, debebat.

[f] *De repræsentatione*] Videbis autem utrum hæc pecunia possit ante præfinitum diem solvi. 'Repræsentare' significat antevertere, Epist. 14. quanquam existimant alii 'repræsentare' idem esse quod præsenti pecunia solvere, seu præsentem pecuniam facere, non vero ante diem solvere; quod si verum est, erit hujus loci sensus, Videbis utrum pecunia præsens mihi numerari possit.

[g] *Quid Octavius*] Qui Apollonia, ubi studiis navabat operam, Romam venerat, ut Cæsaris hæreditatem adiret.

[h] *Quid Antonius*] Qui cum Octavio de pecunia Julii Cæsaris in contentionem venerat.

[i] *Quid futurum putes*] De hac contentione, uter auctoritate superior erit.

[k] *Quin accurram*] Romam, ut horum, quæ hic geruntur, testis ipse sim.

[l] *Sed st*] Sed hæc silebis; est enim *st* nota silentii. Ita Manutius, cujus conjectura similis vero est.

[m] *Balbum tum*] Lucium Cornelium Balbum, pro quo extat oratio.

[n] *Aquini*] Vide Indicem Geographicum.

[o] *Hirtium*] Qui cum Pansa futurus erat consul anno sequenti.

aquas.[6 p] Sed quod egerint.[q] Dolabellæ procuratores fac admoneantur:[7 r] appellabis[s] etiam Papiam. Vale.

(25.) CICERO FIL. TIRONI S. P. D.

ARGUMENTUM.—Literas a Tirone quam creberrimas requirit.

ETSI justa et idonea usus es excusatione de intermissione[1] literarum tuarum, tamen id ne sæpius facias, rogo: nam etsi de republica rumoribus et nuntiis certior fio, et de sua in me voluntate semper ad me perscribit pater; tamen de quavis minima re scripta a te ad me epistola semper fuit gratissima. Quare cum inprimis tuas desiderem literas, noli committere, ut excusatione potius expleas officium scribendi, quam assiduitate epistolarum.[2] Vale.

(26.) Q. CICERO TIRONI SUO S. P. D.

ARGUMENTUM.—Negligentiæ in mittendis epistolis accusat, quas etiam sine argumento scribi postulat. Familiariter et jocose.

VERBERAVI[a] te cogitationis tacito duntaxat convicio, quod fasciculus alter ad me jam sine tuis literis perlatus est. Non potes effugere hujus culpæ pœnam. De pa-

vii, Dresd. 3. 4. Ascens. 1. *Hirtium* deest in Hitt.—6 Ita Dresd. 3. Medic. Pal. 6. Hitt. *Puto utrimque ad aquas* Dresd. 5. ed. Lips. Ascens. 1. *Puto* omittunt Dresd. 2. 4. Pal. 1. Actutum, *Seu quod elegerint* Dresd. 2. Pal. 1. Amstel. Græv. *Seu quod elegerit* Dresd. 5. *Seu quod elligerunt* Dresd. 4. *Seu quid egerint* conj. Gronov. *Semas quod egerint* al. ap. Græv.—7 Quatuor Dresd. Lips. et al. ap. Græv. *ut admoneantur.* Denique, *etiam Appiam* cod. Græv.

EPIST. XXV. 1 Ita Vat. Hitt. Victor. *excusatione intermissionis* Ascens. 1. cum aliis vett. edd. *de* omittunt etiam quatuor Dresd. Lips. al. Statim, *de reip. rumoribus* codd. Græv.—2 Ita codd. Victorii, Grævii omnes, Dresd. 3. 4. *assiduitate literarum* Dresd. 2. 5. Ascens. 1.

NOTÆ

p *Ad aquas*] Ad aquas Baianas venisse.

q *Sed quod egerint*] Fac ut resciam.

r *Fac admoneantur*] De pecunia mihi debita ob dotem filiæ, cum qua divortium fecit.

s *Appellabis*] Citabis etiam Papiam, ut debitum mihi solvat. Mulier erat Papiæ gentis. 'Appellare' creditoris est pecuniam a debitore flagitantis.

a *Verberavi*] Negligentiæ in scribendo te accusavi, non verbis quidem, sed cogitatione duntaxat.

trono,[b] Marcus[1] est adhibendus:[c] isque, diu[d] et multis lucubrationibus commentata oratione, vide ut probare possit, te non peccasse. Plane te rogo,[e] sicut olim[2] matrem nostram[f] facere memini, quæ lagenas etiam inanes obsignabat, ne dicerentur inanes aliquæ fuisse, quæ furtim essent exsiccatæ; sic tu, etiamsi, quod scribas, non habebis, scribito tamen, ne furtum cessationis quæsivisse videaris. Valde enim mi semper[3] et vera et dulcia tuis epistolis nuntiantur. Ama nos, et vale.

(27.) Q. C. TIRONI SUO S. P. D.

ARGUMENTUM.—Invehitur in consules designatos Hirtium et Pansam. Benevolentiam suam significat.

[*p.* 267.] MIRIFICAM[a] mihi verberationem cessationis epistola dedisti. Nam, quæ parcius frater perscripserat, verecundia[b] videlicet et properatione, ea tu sine assentatione,[1] ut erant, ad me scripsisti, et maxime de consulibus

EPIST. XXVI. 1 Ita Vat. Victor. *culpæ pœnam. Tibi patronus Marcus* vet. cod. Græv. *culpæ pœnam, te patrono. Marcus, &c.* Dresd. 2. 4. 5. Lips. ed. Lips. Ascens. 1. aliæ vett. et Benedict. Mox, *vide ut probari possit* Dresd. 4. non improbante Benedict.—2 Peck. *ut sicut olim.* Statim, *etiam inanis* Hitt. —3 Ita Pall. 1. 6. Victor. *Valde e. mihi semper* vulgg. ante Græv.

EPIST. XXVII. 1 Ita Dresd. 3. *assensione*, sive *assentione*, reliqui Dresd.—

NOTÆ

[b] *Patrono*] Si tuam ipse causam solus agas, si te ipse solus defendas: neque enim unquam persuaseris te non peccasse.

[c] *Marcus est adhibendus*] Tibi est in patronum adhibendus Marcus frater, qui propter eloquentiæ vim, in judiciis regnare dicitur.

[d] *Isque diu*] Isque tamen, accurata licet oratione, probare vix poterit, te culpa vacare, quod ad me non scripseris.

[e] *Plane te rogo*] Te rogo, ut, etsi non habes quod scribas, tamen aliquid scribas.

[f] *Sicut olim matrem nostram*] Sicut olim mater mea, non modo lagenas, quæ plenæ essent, sed et vacuas etiam obsignabat, ne illæ, quas furtim servi ebibissent, dicerentur fuisse antea vacuæ, atque adeo excusationi locus aliquis relinqueretur; sic et ego velim ut etiam sine argumento mihi scribas, ne forte hac furtiva excusatione tectus scribere negligas, etiam tum, cum argumentum tibi suppetet.

[a] *Mirificam*] Epistola tua me egregie reprehendisti, quod ad te scribere cessavissem. Oppone styli hujusce duritiem eleganti et puro Ciceronis sermoni.

[b] *Verecundia*] Veritus ne meum forte animum offenderet.

designatis; quos ego penitus novi[c] libidinum et languoris effœminatissimi animi plenos: qui nisi[d] a gubernaculis recesserint, maximum ab universo naufragio periculum est. Incredibile est,[e] quæ ego illos scio,[2] oppositis Gallorum castris, in æstivis fecisse; quos ille latro,[f] nisi aliquid firmius[g] fuerit, societate vitiorum deleniet. Res est aut tribuniciis[h] aut privatis consiliis munienda. Nam isti duo[i] vix sunt digni, quibus alteri Cæsenam,[3][k] alteri Cossutianarum[l] tabernarum fundamenta credas. Te, ut dixi,[m] fero oculis.[a] Ego vos a. d. III Kalend.[4] videbo; tuosque oculos, etiamsi te veniens in medio foro videro, dissuaviabor.[b] Me ama. Vale.

[a] *Te mirifice diligo.* [b] *Singulari cum gaudio osculabor.*

2 Ita Dresd. 2. 3. 5. *quod ego illos scio* Dresd. 4. Lips. *scio* deest in Hitt.— 3 Ita Pal. 6. *Cesanam* Græv. 2. Peck. *Censenam* codd. Manutii; *Cunsanurum* vet. cod. Ursin. Actutum, *quibus alteri Cunsanarum* Mentel. *vel quibus Sutianarum* codd. Riccii.—4 Ita Dresd. 3. Hitt. Mentel. *ad IIII Kal.* Græv. 2. Amstel. Dresd. 2. 4. 5. Lips. ed. Lips. Ascens. 1. *April.* addunt alii. Denique *dissaviabor* Dresd. 2. 4. Pall. 1. 6. Amstel. Hitt. Peck. Victor. Manut. *dissaniabor* Mentel.

NOTÆ

[c] *Novi*] Cum Cæsaris in Gallia legatus essem.

[d] *Qui nisi*] Qui nisi amoveantur ab reipublicæ administratione, tota funditus respublica peribit: translatio ducta a navi, quæ gubernatoris imperiti culpa naufragium facit.

[e] *Incredibile est*] Quanta in æstivis scelera commiserint, quam fœdis indulserint libidinibus in Gallia, quando cum Cæsare militabant. Id ego vix crediderim de duobus hisce consulibus, quos ubique passim laudat Marcus Cicero; sed tale fuit Quinti Ciceronis ingenium, nemini ut parceret, modo ut furori suo faceret satis.

[f] *Quos ille latro*] Quos Marcus Antonius, contra quem illi bellum gesturi dicuntur, facile sibi, ob vitiorum similitudinem, conciliabit.

[g] *Nisi aliquid firmius*] Nisi fortiores aliqui cum illis duces eligantur, qui reipublicæ partes constanter foveant.

[h] *Res est aut tribuniciis*] Tribuni, vel privati etiam cives eligendi sunt, qui rempublicam contra Antonium tueantur. Id fecit Octavius; quanquam tantum abest ut Hirtius et Pansa ad Antonium transierint, ut etiam in Mutinensi prælio contra Antonium fortiter ambo pugnantes occubuerint.

[i] *Nam isti duo*] Hirtius, et Pansa.

[k] *Cæsenam*] Galliæ togatæ oppidum, non procul a Rubicone situm: nomen antiquum retinet.

[l] *Cossutianarum*] Nomina, ut opinor, tabernarum, quæ tum ædificabantur.

[m] *Ut dixi*] Coram, cum simul ambo loqueremur.

NOTÆ VARIORUM

IN

MARCI TULLII CICERONIS

EPISTOLAS AD DIVERSOS.

EX EDITIONE JOSEPHI OLIVETI,

PARIS. 1740. 4to.

JOSEPHUS OLIVETUS

LECTORI.

PLINIUS, de suis ipse præfatus Epistolis, 'Collegi,' inquit, 'non servato temporis ordine, neque enim historiam componebam.' Atque in eadem fuisse sententia videtur, sive Tiro,[a] ut volunt, sive quisquis demum is fuit, qui Ciceronianas edidit primus: cui multum profecto debet litterata posteritas; at paulo plus debitura tamen, si ordine alio digestas accepisset, magisque cum ad intelligentiam, tum ad memoriæ diuturnitatem accommodato. Nam si quid lectori negotium facessere interdum videtur, hinc maxime orta est difficultas, quod præpostera dispositione aliæ antecedunt, quæ subsequi alias debuerant. Et quoniam eæ non tantum in privatis Tullii rebus, sed multo etiam magis in publicis Romæ negotiis versantur; nemini est, opinor, dubium, quin majori conjunctam utilitati oblectationem habuisset apta distributio, quæ universam illorum temporum historiam exhiberet, summi artificis penicillo aut expressam, aut saltem adumbratam.

[a] Tironem patroni sui Ciceronis Epistolas, eo, quo passim leguntur, ordine collocasse proditum est. Id ego non libenter credo: libenter enim eum, quem Cicero ipse et vehementer dilexit, et laudavit sæpe ut litteratum, ac diligentem, gravi negligentiæ culpa libero. Feramus illud, atque etiam probemus consilium, quod eas Epistolas, quæ ad unum scriptæ sunt, puta ad Lentulum, Cœlium, Appium, aliosve, simul omnes voluerit conjungere, et rationem habere personarum potius, quam temporum, cum satis constet, si tempora spectentur, interponi debuisse multas; sed peccasse eum in iis ipsis, quas eidem inscriptas aggregabat, nec vidisse ordinem, quem vel adscripta cuique dies, vel argumentum ostendebat, magnopere miror. Quid, quod in iis disponendis, quas ad ipsum scripserat Cicero, item ut in aliis, peccavit? quod vitium quia non licet excusare; libenter, ut dixi, Tirone absoluto, quemvis alium condemnaverim. *Manutius*, Procemio ad Comment. in Epist. Famil. lib. XIV.

At enim negligi potuit vetus ordo, novusque ac melior describi. Primum, si ita esset, tamen fieri non oporteret. Epistolas, quæ sunt eodem tempore, de eodem scriptæ argumento ac negotio, esse alias ab aliis distractas, incommodum est, agnosco. Est in ordinis mutatione remedium: fateor; sed quale in omni mutatione, quæ si utilitate juvat aliquando, semper novitate conturbat. Et quid putamus causæ aliud fuisse, cur Familiares quæ dicuntur, cum aliquis e Germania litterator[b] jam olim vulgarit ordine chronologico digestas; tamen extiterit hactenus nemo, qui vel æmulandam ejus diligentiam, vel editionem adoptandam, censuerit? Testimonia enim ex his Epistolis adducunt scriptores innumeri, aut locos indicant, quibus inspectis sit opus. Parumne igitur magna quærendi difficultas oritur ex ordinis mutatione? Atque, ut hominum ingenia sunt, e centenis, quos legendi studium delectet, quotum speramus fore tam animosum, et cui tantum suppetat otii, ut loci alicujus inveniendi voluptatem bene credat emi diuturna investigandi molestia?

Quod si nondum illos mutationis instituendæ suasores revocare hæc ratio ab ea cogitatione potuit; velim, perpendant ipsi secum, idne postulent, cui efficiendo par sit humana vis aut sagacitas. Epistolis in multis, video equidem, impressa est certa temporis notatio: sed quid plurimis item aliis facias, in quibus vix leve quidpiam, plerumque nihil deprehendas, unde aliquam ducere vel tenuem conjecturam liceat? Tullium ergo, aut ejus custodem scriniorum, et studiorum adjutorem, excitemus Tironem ab in-

[b] Non desunt equidem speciosæ rationes, quibus inductus vir clarissimus, Adamus Theodorus Siberus, novum ordinem secundum annos et consules ut inveniret, industria non contemnenda laboravit. Justo modo etenim temporibus dispensatis, quanta lux rebus et historiis accedat, nemo est litterarum disciplinis imbutus, qui ignoret; si modo dispensari series per annos et tempestates ubique possit. Quot vero in Epistolis Ciceronis sunt, de quibus dubitant eruditi, utrum civile bellum antecesserint, an ardente illo, aut prope finito, sint conscriptæ! et quoties a doctissimis viris argumento, quod prænotarunt, adjectum est, 'Incerto anno!' et, si etiam tempus videtur deprehensum esse, fortasse tamen non distincte innotescit, ut annum definire, et consules nominare, aut partem anni, vel mensem possis exprimere. Hoc enim oportet fieri, si ad tempus Epistolæ, quo scripta unaquæque fuit, cum cura et industria sunt ordinandæ. Ex quo consequitur, Siberianum ordinem pro certo qui tradunt aliis, vel etiam accipiunt; utrosque ab eo, quod certum probatumque sit, in multis longius aberrare. *Cellarius*, Præfat. in Epist. Fam. sive, ut inscripsit, ad Diversos.

feris, ut sciscitemur de multis, quæ illi habent secum, 'servantque sepulcro.' Nam quod Sigonius, ac Manutius, Romanarum rerum apprime gnari, atque in Ciceronianis supra modum curiosi, ad hanc investigationem omne studium contulerunt; tamen, quæ fuit illorum hominum vel prudentia, vel modestia, continuerunt se, ne quid novarent in vulgatis. Quorum verecundiam hoc æmulari me decet magis, quo diligentiam minus possum.

Quanquam in hac editione provisum et illud est, ne omnis desideretur ea utilitas, quam afferret novus Epistolarum ordo, per annos et consules distributus. Tabulam enim columellis distinctam exhibebo, qua demonstretur, quo quæque sit numero ad historicam rerum notitiam legenda. Neque tamen in multiplici conjectionum copia errorem omnem præstare ausim. Id selegi, quod propius visum est ad veri speciem accedere. Ita et consequentur, quod volebant, historiarum curiosi; et manebit librorum atque editionum veterum usus.

Alterum fuit quoddam postulatum de Commentariorum situ et collocatione: in quo nimis pugnax contra monitores amicos esse nec volui, nec debui. Proinde, etsi illud semper æque comprobo, quod initio in explicanda consilii mei ratione scripsi, eam suppellectilem universam in extrema voluminis parte, ubi ab volentibus atque egentibus visatur,[c] stare melius, quam si per singulas fusa paginas, sollicitet invitos, atque a contextus perpetuitate revocet; non recusavi tamen, quin id facerem in Epistolis, quod feci jam antea in Fragmentis, hoc est, iisdem paginis Ciceronem, ejusque interpretes conjungerem. Quippe minus verendum, ne media forte in epistola, cum breviculæ sint, lectorem constantia deficiat: neque hic ea est, quæ aliis in libris, argumentorum rationumque continuatio, unde averti animum non oporteat. Sed tamen hoc monere non desinam, commentariis perinde utendum esse, ac medicamentis, parce ac sobrie, ubi necessitas jubet. Non enim horum assuetudo corpori plus officit, quam ingenio usus illorum frequentior.

His autem sexdecim libris, qui hoc volumine continentur, nullam fuisse olim communem inscriptionem colligebat Victorius ex veterum Grammaticorum instituto ac more; qui cum loca quædam hinc depromunt, librum quemque non aliter designant, quam ejus nomine, ad quem prima scribitur Epistola. Hoc etsi reducere

[c] De editione Parisiensi id quidem intelligendum est.

sategit ille salutis Tullianæ restitutor, incommodum erat satis, ut moleste nemo ferre debeat, esse mutatum. Criticis dolet mutatum esse parum feliciter. Quædam editiones titulum præferunt, *Epistolæ Familiares:* aliæ, *Epistolæ ad Familiares.* At enim neque in plerisque inest ea forma, et proprius character, qui familiare genus Epistolarum discernit a cæteris; neque plurimi eorum, ad quos sunt missæ, Ciceronis erant familiares. Propterea nonnullis recentioribus placuit inscriptio, *Ad Diversos.* Quæ melius fortasse convenit. Verum id libuit sequi, quod erat in exemplo Gruteriano, et offendi magis usitatum.

Ad extremum, ne quid prætermittam, quod lectori esse declaratum oporteat; de illa, quam promisi, et proxima statim pagina offeret, Epistolarum annali Tabula, erant tamen duo, quæ admonere debueram. Ac primo quidem, eas omitti Epistolas, de quarum anno quod affirmarent, vel ariolarentur, viri docti non habuerunt. Deinde, in putandis annis id me retinuisse, quod Franciscus Fabricius in 'Ciceronis Historia per Consules descripta' constituerat: non, quod hanc ego rationem Varroniana veriorem esse existimem; neque enim id meum est, neque hoc loco disceptandum: sed, cum tenui admodum discernantur limite, et ab altera Cicero ad alteram transisse aliquando videatur; discedere a Fabricio nolui, ne lectores conturbem, si qui volent (velle autem debent omnes) intelligendis melius Epistolis lumen ab ejus Historia mutuari.

NOTÆ VARIORUM

IN

M. TULLII CICERONIS

EPISTOLAS AD DIVERSOS.

LIBER I.

(1.) *M. T. C. P. Lentulo Procos. S. D.*
Anno U. C. 697.

Meritorum] Meritum Lentuli maximum erga Ciceronem fuit, cum eum, lege Clodia pulsum, quod cives Romanos, conjurationis in patriam convictos, capitali supplicio, contra veteres leges, moremque majorum, indicta causa affecisset, consul sextodecimo ejus exilii mense revocavit. Orat. post Redit. *Manut.*

Nisi perfecta re, de me] Lambinus et Grævius sic distinguunt: *nisi perfecta re de me, non conquiesti.*

Creditores] Qui non solum id agebant, ut rex restitueretur, quo creditas ei pecunias exigere possent; verum etiam aperte pecunias pro Pompeio contra Lentulum suppeditabant, quod regem cupere intelligebant. Vide Ep. ad Q. Fr. II. 2. *Manut.*

Religionis calumniam] Sibyllæ versus Ægypti regem cum exercitu reduci vetabant; cujus oraculi verba apud Dionem lib. XXXIX. hæc sunt: 'Si rex Ægypti, auxilio indigens aliquo, venerit, amicitiam quidem ei ne denegaveritis; ne tamen eum multitudine aliqua juveritis: sin aliter, et labores, et pericula habebitis.' Cicero, qui reductionem regis, Lentuli gratia, vehementer cuperet, *religionis calumniam* appellat, id est, malitiosam et fictam de Sibyllinis versibus orationem. *Idem.*

Malevolentia] Duas causas affert, quare præceptum Sibyllæ de non reducendo cum exercitu rege senatui placeret: malevolentiam, quia de legatis Ægyptiis, mandato regis clam interfectis, percrebuisset; regiæ largitionis invidiam, quia, cum Ammonius quorundam senatorum animos aperte pecunia corrumperet, ea largitio turpissimam infamiæ notam ordini inureret universo. *Idem.* Hic *invidiam* esse arbitror offensionem. Invidiam id habere dicitur, aut invidiosum esse, quod homines non libenter vident. *Anon.*

Liberius accusare] Levius est quam,

libere accusare. Nam interdum efficacitatis minus habent, quæ comparandi adverbia grammatici appellant, quam quæ simpliciter, sine ulla comparatione enuntiantur. 'Accusatio' autem extra judicium etiam in privatis rebus, atque adeo inter amore conjunctissimos, locum habet. Itaque Off. lib. III. 'Accusabit patrem filius nefaria de patria cogitantem:' pro, reprehendet. *Manut.*

Magnam infamiam] Triplicem: vel ingrati animi, qui Lentulo, cujus erga se officia cum in sermone quotidiano, tum in senatu palam commemoraverat, reductionem regis Alexandrini, præsertim ei jam a senatu decretam, conaretur eripere; vel immoderatæ ambitionis, qui summis jam perfunctus honoribus, triumque triumphorum gloria circumfluens, frumentaria etiam curatione, summa cum potestate, paulo ante ornatus, tamen his non contentus, honorem præterea, quicunque esset, Ægyptiæ legationis appeteret; vel etiam avaritiæ, quod regis muneribus, magnam ab ipso restituendi cupiditatem præ se ferentis, corruptus existimari posset. *Idem.*

Relinquit locum] 'Non relinquere locum precibus,' duobus modis accipitur: vel cum is, cujus gratia et auctoritas prodesse nobis potest, ita se gessit, ut eum rogare non oporteat, ut in hoc loco; vel cum ita meriti sumus, ut precibus nihil proficere posse videamur; cujus generis habemus exemplum apud Terentium in And. 'Quid causæ est, quin hinc in pistrinum recta proficiscar via? Nihil est preci loci relictum: jam perturbavi omnia.' Locum igitur precibus vel aliena humanitas, vel nostra adimit improbitas. *Idem.*

Marcellinum] Cn. Cornelium Lentulum Marcellinum, consulem hoc anno cum L. Marcio Philippo. *Idem.*

Tibi esse iratum scis] Si *regi esse iratum scis* legas, ut quidam volunt, non erit quærendum, an qui una in re sit alicui iratus, induci possit ut in cæteris se ejusdem defensorem fore ostendat. *Corrad.*

Referre] Ad senatum, de quo sententiæ dicerentur. *Manut.*

De religione] De Sibyllinis versibus, reduci regem cum multitudine vetantibus. *Idem.*

Luculli] Marci, non Lucii, qui perierat anno superiore. *Idem.*

Cedit religioni de exercitu] Antea tamen, reducendum cum exercitu regem, Cicero censuerat; habuit enim orationem pro Ptolemæo reducendo. *Idem.* Vide in Fragm. sub fin.

Illo S. C.] Quo factum est in Ciceronis sententiam, ut Pompeius annonæ procurationem susciperet, et P. Lentulus, cui provincia Cilicia obvenerat, regem reduceret. *Corrad.*

Commodo] Quod id ille maxime propter loci vicinitatem et opportunitatem commode et apte facere posset. Nam Lentulus in iis locis erat, ut ipsi prope in conspectu Ægyptus esset. *Victor.* Censet Manutius *commodo* adverbium esse, et poni pro *commode.* Quod satis redarguunt illæ locutiones, quas ipse aliique e Cicerone afferunt: 'quod tuo commodo fieri possit,' 'quod e tuo commodo facere poteris.' Hæ sunt integræ locutiones, pro quibus concise et breviter dixit, *quod commodo facere possis.* Terent. vero in Adelph. I. 2. 'Dum erit commodum.' *Græv.*

Auctorem] Ut restituti regis honor, et gloria penes te sit: quod jam senatus decreverat. Auctor is est, cujus auctoritate et sententia aliquid fit. *Manut.*

Crassus] M. Licinius Crassus, nunc quidem in Pompeium male animatus: quod indicat Epist. ad Q. Fr. II. 3. Sed anno sequenti, consules iterum creati, in gratiam redierunt. Plutarch. *Idem.*

Bibulus] M. Calpurnius Bibulus, plebeii generis, Cæsaris in ædilitate,

prætura, consulatu collega, ejusdemque inimicissimus, Pompeio etiam, ob Cæsaris affinitatem, hoc tempore infensus: ideo privatos decernebat, ut eum excluderet. *Idem.*

Servilium] P. Servilium Vaciam Isauricum, qui cum Appio Clodio Pulchro consul fuit. *Corrad.*

Volcatium] L. Volcatium Tullum, qui cum M. Æmilio Lepido consul fuit. *Idem.*

Lupo referente] P. Rutilio Lupo, qui fuit tribunus plebis. *Idem.*

Afranium] L. Afranium, qui cum Q. Cæcilio Metello Celere consul fuit. *Idem.*

Inclinata res est] Lepida translatio. Rerum status triplex est: aut enim ita se habent, ut volumus, et 'stare' tunc dicuntur; aut aliter, ac volumus, et 'inclinatæ esse;' aut prorsus contra quam volumus, et 'jacere.' *Manut.*

Libonis] L. Scribonii Libonis, cujus filiam Sext. Pompeius, Pompeii Magni filius, uxorem habebat. *Corrad.*

Hypsæi] P. Plautii Hypsæi, qui Pompeii Magni quæstor, et postea Milonis competitor fuit. *Idem.*

Ornasti] Cum ad eum consul frumentariam curationem detulisti. *Manut.*

Nos] Epistolæ clausula mirum habet artificium. Nam, quia rem inclinatam esse dixerat, veritus ne propterea Lentulo, cui omnia debebat, in aliquam negligentiæ, aut etiam ingrati animi suscipionem veniret, avertit a se omnem culpam, excusatione quinquepartita: quod auctoritatis in regia causa minus habeat, quia pro bene de se merito contendat: quod gratiam suam Pompeii gratia major extinguat: quod multi ad Pompeium, ab ejus domesticis, et a rege ipso corrupti, rem deferri velint: quod consulares, ob regiam præcipue largitionem, totum consilium de restituendo rege improbent: postremo, quod nonnulli, quorum Lentulus auctoritatem, dignitatem, voluntatemque defenderat, non tam virtutis ejus memores essent, quam laudis inimici. Quod perfidiæ vitium et hic perspicue notat, et in seqq. Epist. 7. 8. 9. *Idem.*

Præsentes] Huic lectioni favet id quod est in Epist. 6. hujus libri: 'Tantum habeo polliceri, me tibi absenti præsentibusque tuis satisfacturum.' Alii legunt, *tui absentis, præsentisque tuis, &c.*

(2.) *M. T. C. S. D. P. Lentulo Procos.*

Anno U. C. 697.

Altercatione] De rege reducendo: cum Caninius Pompeio rem deferri vellet; consul regem neque cum exercitu reduci, neque ab iis, qui cum imperio essent. Ita Pompeium excludebat, qui cum imperio erat. *Manut.*

Divideretur] Qui de religione, et de tribus legatis simul deliberandum censebat: quod si esset factum, utrumque simul rejici, aut utrumque simul probari necesse erat. Quam consuetudinem egregie Pedianus expressit his verbis: 'Cum aliquis in dicenda sententia duas pluresve res complectitur, eæ si non omnes probantur, postulatur, ut dividatur, id est, de rebus singulis referatur.' *Idem.*

Cuique rei jam obsisti non poterat] Satis implicata sententia videtur, sed, ut arbitror, explicabitur hoc modo. Quatenus de religione loquebatur, et in quo jam obsisti non poterat; Bibulo assensum est. Obsisti autem ideo non poterat, quia factum jam erat S.C. regem cum multitudine reduci, periculosum reip. videri. *Idem.*

Ierunt in alia omnia] 'Ire in alia omnia,' et 'discedere,' et 'transire,' pro dissentire, veteres dicebant. De quo Festus his verbis: 'Qui hoc censetis, illuc transite; qui alia omnia, in hanc partem.' *Idem.*

Lupus] Obscurus hic locus est; ne-

que enim apparet causa hæc, an occasio tantum fuerit postulati tribunitii; et si causa, quæ causa hujus causæ. Suspicor autem rem invidiose magis (ut oratorum mos est in iis, quibus adversantur) quam simpliciter a Cicerone propositam. Et accipiendum, non quasi omnino tribunus pleb. jus vindicet ante consules, quod absurdum verba sonant; sed quia quam consules tertiam fecerant sententiam (satis ostendentes eo se non valde inclinare, et sperantes ex duabus prioribus utique alteram victuram, ita ut ad tertiam non perveniretur); quia igitur, quam illi tertiam fecerant sententiam, eadem erat relatio tribuni plebis Lupi, hic contendisse videtur, quoniam de prima sententia concessisset ipse consulibus, et ea irrita esset; nunc oportere se discessionem facere, et præponi relationem tribuni, qui esset magistratus populi Romani: sententia Hortensii nihil aliud tum, quam consularis viri. *J. F. Gronov.*

Intendere] Sic antiqui libri, quos viderim, omnes, non *contendere*. Manut. Omnino *contendere* malim, quam *intercedere*, atque adeo quam *intendere*. Lamb.

Discessionem facere] Perrogatis omnibus sententiis, cum tres aut quatuor controversiæ invenirentur, oportuit in aliquam earum S. C. fieri. Fiebat vero in eam, quam plures laudassent. Pronuntiatis igitur differentibus opinionibus senatorum, in singulas discedebatur, ut quam plures probarent, cognosceretur. Hinc apud Festum: ‘Pedarius senator appellatur, quod nunquam diceret, sed, cum discederetur, transeundo tantum ad eum, cujus sententiam probabat, quid videretur indicaret.’ *Zamoscius* de Senatu Rom.

Iniqua et nova] Quia semper consulum jus fuit sententiam primam, postremam pronuntiare, quamcunque libuisset; atque hæc eorum præcipua vis et potestas in senatu. *J. F. Gronov.*

Concedebant] Scilicet, sui juris suæque dignitatis causa. *Idem.*

Repugnabant] Libidinis ergo, et voluntatis suæ, et in præsenti causa, ne statim Hortensianam sententiam, a qua abhorrebant, pronuntiandam haberent. *Idem.*

Multis partibus plures] Qui sic explanant, vidisse consules in Hortensii sententiam plures ituros a multis partibus, id est, hinc illinc, parum omnino agnoscunt purissimam et ornatissimam locutionem, qua elegantissimi ejus ætatis viri suis in scriptis eleganter usi sunt. *Multis partibus plures*, id est, multo plures. Eodem modo Cælius Ep. VIII. 9. ‘Turpe tibi erit, Patischum Curioni decem pantheras misisse, te non multis partibus plures.’ In Academicis: ‘Quibus efficitur, solem multis partibus majorem esse quam terram.’ De Fin. lib. III. ‘Multis partibus malit,’ pro ‘multo malit.’ *Manut.*

Aperte] Simulabant Pompeii causa: sed consules, oratione Ciceronis reconciliatam Lentulo senatus voluntatem intelligentes, diem consumi passi sunt, ne discessio fieret. *Idem.*

Rogabantur] A tribuno Lupo scilicet de discessione facienda. *J. F. Gronov.*

Invitis] Quod credibile est et ipsos et factionem illorum demonstrasse, Lupo et Lupinæ factioni obstrependo. *Idem.*

Honestissimus] Id est, auditus fueram ab applaudentibus, assurgentibus, acclamantibus, mirificas dantibus significationes favoris. *Idem.*

Aut denique sine vi] Cur hoc tertium addit? Ut ostendat, si tribunos pleb. nec auspicia, nec intercessio deterreat, populum tamen ipsum novas leges non esse probaturum. Itaque præter vim, qua tribuni plebis nonnunquam in ferendis legibus utebantur, nihil timendum. De hac ipsa

vi sic in Epist. Q. Fratr. II. 2. 'Suspicor Caninium per vim rogationem perlaturum.' De eadem, et simul de populi studio erga Lentulum, Ep. 4. 'Ego tibi a vi, hac præsertim imbecillitate magistratuum, præstare nihil possum: vi excepta, possum confirmare, te, et senatus, et populi Romani summo studio amplitudinem tuam retenturum.' Vis autem illa significatur, cum seditiosi tribuni pleb. ut suas rogationes perferrent, eam populi partem, quæ bene de republica sentire videbatur, armis foro excluderent, operas autem ad suffragia ferenda inducerent. Describitur hæc vis cum in aliis orationibus, tum in Phil. I. his verbis: 'Forum sepietur,' &c. *Manut.*

Auctoritas] Cum senatus legitimus, id est, quo loco, quo die, quo numero, a quo magistratu oporteret, habitus, aliquid vel de publica, vel de privata re decreverat; tum si ex collegio tribunorum plebis nemo intercedebat, rata senatus voluntas erat, et S. C. dicebatur; eoque nomine inscriptum publicis tabulis consignabatur: sin autem vel senatus non legitimus aliquid decreverat, vel tribunus plebis intercesserat; infirmum ac prorsus irritum decretum illud erat, nec S. C. sed 'senatus auctoritas' vocabatur; propterea quod auctoritatem quandam publicis tabulis testata senatus voluntas habere videbatur. *Idem.*

Intercessit] 'Intercedere,' modo est impedire, ut infra: 'Cui cum Cato et Caninius intercessissent,' &c. modo intervenire, ut hic. *Idem.*

Cato] Cato hic Marcellino et Philippo coss. tribunus plebis, diversus fuit a Catone Uticense, cum ille M. prænomine, hic noster C. diceretur, adolescens audax, nec imparatus ad dicendum. Periit paulo post per tumultum occisus, cum Pompeium privatus dictatorem appellasset. Vide Cic. ad Q. Frat. lib. I. Liv. Epit. lib. CV. Fenestellam apud Nonium Marcellum in voce 'rumor.' *Glandorp.*

(3.) *M. T. C. P. Lentulo S. D.*

Anno U. C. 697.

Expedita] Impedita enim, ne tibi molestiam afferrem, haud libenter tibi commendarem. *Manut.*

T. Ampius] Qui ante Lentulum Ciliciæ præfuerat, prætorius, non consularis. *Idem.*

(4.) *M. T. C. P. Lentulo Procos. S. D.*

Anno U. C. 697.

Variis calumniis] 'Varias calumnias' vocat Cicero varias causas ficte inductas, varia figmenta, cum nihil verum, nihil ex animo loquerentur, sed tantum ut rem ducerent, diemque dicendo extraherent. Sic ad Q. Fr. II. 1. 'Per obtrectatores Lentuli res calumnia extracta est.' *Manut.*

In magna varietate] Varietatem sententiarum dicit. Sententias autem quinque varie decernentium exposuit in prima Epistola: Hortensii, de reductione regis uni Lentulo mandanda; Crassi, de tribus legatis, etiam ex iis qui cum imperio essent; Bibuli, de tribus item legatis, sed ex iis tantum, qui privati essent; Servilii, ne rex reduceretur; Volcatii, ut reduceretur a Pompeio. *Idem.*

Curionem] C. Scribonium Curionem, consularem, et triumphalem, patrem ejus, ad quem Epistolæ mittuntur lib. II. *Idem.*

Justiorem] Hujus mutationis illa Bibulo causa fuit, quod, cum ipse de tribus legatis obtinere non potuisset, malebat Lentulo rem deferri, quam Pompeio, quem Cæsaris, inimicissimi sui, generum, fautoremque et amplificatorem dignitatis, ornari non libenter videbat. *Idem.*

Per legem Pupiam] Quæ comitialibus diebus haberi senatum vetabat. Ad Q. Fr. II. 2. et 12. *Idem.*

Rejectis] In aliud tempus dilatis. Mense autem Februario postulata et legationes provinciarum audiri soli-

tas confirmat Cic. in Verr. I. 35. II. 31. Item ad Att. I. 14. *J. F. Gron.*

Fictæ religionis] Non enim eos religio movebat: sed specie religionis malevolentiam suam tegebant. 'Religionis calumnia' vocatur in Epist. 1. *Manut.*

Ab senatu] Non enim senatus, sed adversariorum tuorum culpa, ne discessio fieret, commissum est. *Idem.*

(5.) *M. T. C. P. Lentulo Procos. S. D.*

Anno U. C. 697.

Fidem et benevolentiam] Cum referuntur ad *meam*, retinent suam nativam significationem: si ad *cæterorum*, notat perfidiam et malignitatem. *J. F. Gronov.*

In tua dignitate] De qua agitur in regia causa. *Manut.*

In mea salute] Cum ab amicis proditus in exilium abii. *Idem.*

Exorta est] Præter expectationem: quia Cato et Caninius negaverant se ullam legem ante comitia esse laturos. *Idem.*

Promulgatio] Ut Lentulus e Cilicia revocaretur. Vide ad Q. Fr. I. 3. *Idem.*

Minore cura] De reducendo rege.

Timorem] Ne imperium tibi abrogetur. *Corrad.*

Perfidiam] Si enim in officio manserint amici, qui suam nobis operam ad impediendas tribunorum plebis rogationes polliciti sunt, nihil timemus. *Manut.*

Causa regia] Facile et ipse crediderim *causa regia* esse glossema, ut Lambinus et Manutius recte viderunt; verum ejicere illa verba, et eradicare invitis omnibus, quotquot visi adhuc sunt, codicibus antiquis, non ausim, et id sane temerarium est. Fecerunt tamen illi duumviri. Sed ego sequor libros exaratos manu, Victorium et Gruterum. *Græv.*

Quiddam tertium] Quid hoc sit, plane non exponit: sed videtur significare, si Lentulus regem non reducat, neque sibi, neque Selicio displicere, ut a quovis alio potius, quam a Pompeio, reducatur. *Manut.*

Jacere] A nemine restitui. *Idem.*

Repulsi] Pertinet ad illud tertium, quod sibi non displicere dixit: rege enim ad Pompeium delato, Lentulus repulsam tulisse videretur; sin, utroque rejecto, alia quapiam ratione reduceretur, jacturam existimationis suæ Lentulus in eo nullam faceret. *Idem.*

Hic quæ agantur] Disjungendum a superioribus, ut sit alia Epistola; quod ex ipso cognoscitur argumento: dixit enim in superiore, prope delatum esse regem ad Pompeium; in hac, Alexandrinam causam ab eo depositam, significat. Præterea, cur de Catone eadem iterentur? cur ita concludat Epistolam: 'Tu fac animo forti, magnoque sis,' cum eum jam ad animi magnitudinem cohortatus in eo loco sit: 'Tuæ sapientiæ, magnitudinisque animi est?' Et omnino cum tota res alia videtur, tum agnoscitur Epistolæ principium in his verbis: *Hic quæ agantur, quæque acta sint, ea te, &c.* Aut hoc est alterius Epistolæ initium: aut quæ sequuntur, non eodem die scripta sunt, quo superior Epistolæ pars: sæpe autem accidit, ut litteras non continua, sed crebro repetita scriptione conficiamus, singulis diebus novi aliquid appingentes: id quod in Epistolis ad Atticum scriptis sæpissime factum videmus. *Idem.*

Convicio] Cum enim Clodius de loco superiore, ut ait Plutarchus, interrogaret suos in concione stantes, quis esset, qui plebem fame necaret? respondebant operæ, Pompeius; quis Alexandriam ire cuperet? Pompeius. Ad convicium impetus accessit: nam in Oratione pro Milone, 'Reo,' inquit, 'Milone ad populum, accusante P. Clodio, cum in Cn. Pompeium pro Milone dicentem impetus factus esset, quæ tum non modo occasio, sed

etiam causa illius opprimendi fuit?' *Idem.* Vide ad Q. Fr. II. 3.

Catone] Caio Catone, tribuno plebis, de quo supra. *Idem.*

Perturbatus] Non tam, quod aspere et acerbe accusatus esset a Catone, quam quod senatorum omnium magno silentio. *Idem.*

Nihil enim tibi detraxit senatus] Dederat tibi, ut regem reduceres: id postea non detraxit, sed exercitum; quem non tam tibi, quam omnino omnibus ademptum existimare debes. *Idem.*

Levissimi] Ideo dixit Epist. ad Q. Fr. I. 2. 'Cato adolescens, nullius consilii.' Et Fenestella: 'Cato adolescens, turbulentus, et audax.' *Idem.*

(6.) *M. T. C. P. Lentulo Procos. S. D.*

Anno U. C. 697.

Si ea non timuerim] Forte, ut nos victi perpetuo jaceremus. *Corrad.*

(7.) *M. T. C. P. Lentulo Procos. S. D.*

Anno U. C. 698.

Ex magistratibus L. Racilium] Loquitur de magistratibus anni superioris: dixit enim, 'Quo quidem tempore;' et infra, 'Temporibus illis,' id est, Marcellino et Philippo consulibus. Racilius autem eodem anno, quo Lupus, tribunus plebis fuit, ut constat ex Epistola prima lib. II. ad Q. Fratrem. Lupum vero tribunum plebis fuisse, Marcellino et Philippo consulibus, plane cognoscitur ex Epist. 1. et 2. Non potest igitur hoc anno Racilius tribunatum plebis gerere: cum Epistola scripta sit Pompeio et Crasso II coss. post decretum Cæsari stipendium, et auctum legatorum numerum: quæ facta esse Pompeii et Crassi secundo consulatu, Appianus et Dio docent. *Manut.*

Officii] Favere me tibi, fortasse homines arbitrantur, non quod ita sentiam, sed quod beneficio tuo vinctus, ingratus esse non possim. *Manut.*

Non sæpe in senatu fuisse] Postquam a C. Catone accusatus fuerat, et a Clodio conviciis agitatus. Vide sup. Epist. 5. *Cellar.*

Liberalitate] Liberalis in Pompeium Lentulus fuerat, cum de frumentaria curatione ad eum deferenda et egerat consul, et obtinuerat. Epistola prima Cicero dixit 'Quod eum ornasti.' *Manut.*

Opinionem suæ cupiditatis] Ortam ex eo, quod ejus familiares omnes de re Alexandrina ei mandanda vehementer contenderant. Epist. 1. et 2. *Idem.*

Suspiciosissimo] Quo suspicio maxima fuit, Caninium tribunum plebis, inductum a Pompeio, rogationem ferre voluisse, ut Ptolemæus ab eo, cum duobus tantum lictoribus, reduceretur. *Idem.*

Adempta sit] Quæ tibi data est eo S. C. quod, te consule referente, factum est. *Idem.*

Intercessum] A tribunis plebis, ex quo fieri non potuit S. C. sed remansit senatus auctoritas. *Idem.*

Redeat in regnum] Non a te reducatur, ne contra senatus voluntatem committas; sed Alexandria prius a te pace, præsidiisque firmata, ipse redeat. *Idem.*

Si cecidisset ut volumus] Infra idem aliis verbis: 'Si rem istam ex sententia gesseris.' Translatum videtur a talis, modo ut volumus, modo contra quam volumus cadentibus. *Idem.*

Esset offensum] Si difficultatem res habuisset, et Alexandrinis regem recusantibus, ventum esset ad arma. *Idem.*

Periculosa tibi videbitur] Visa est. Non enim consilium illud Ciceronis et Pompeii secutus est Lentulus. *Idem.*

Fidem suam præstitisset] Non opinor hoc dici, pecuniam persolvisset; non enim solvendo rex erat, prius quam in regnum reduceretur: sed cavisset de fide sua: effecisset aliquo modo, ut ejus fides in dubium illis venire non posset. Ep. 9. 'Ut fidem fratris mei præstarem.' Ep. II. 5.

'Quamcunque ei fidem dederis, præstabo.' De Divin. lib. II. 'Spectare vetat fortunam virtus, dum præstetur fides.' *Idem.*

Adjuvares] Non, ut ipse cum classe, atque exercitu Alexandriam proficiscaris, ut eam pace, præsidiisque firmes, quæ ratio rei gerendæ periculosa videri potest; sed ut ipsum Ptolemæum, in regnum redeuntem, auxiliis tuis, et copiis adjuves. *Idem.*

De nostro statu] Quod pristina fruar et dignitate, et gratia. *Manut.*

Quanquam] Excusatio, quod se in tuenda republica ad Pompeii maxime voluntatem conformet, temporibus admonitus, et quorundam invidia, qui tamen eum in reditu juverant, compulsus. Erant enim factiones in repub. duæ: in una Cæsar, Pompeius, Crassus, de sua potentia laborantes; a quibus dissentire, periculosum Cicero videbat: in altera optimates; qui licet de rep. optime sentirent, Ciceroni tamen, novo homini, tantam gloriam ac dignitatem adepto, invidebant, atque etiam obtrectabant. Quos in Epist. 9. significat bis verbis: 'Certorum hominum sermones referebantur ad me: qui, cum illa sentirent in rep. quæ ego agebam, semperque sensissent; me tamen non satisfacere Pompeio, Cæsaremque mihi inimicissimum futurum gaudere se aiebant.' Notat autem maxime Bibulum, Catonem, Domitium Ahenobarbum, Marcellinum, Cæsari Pompeioque infensos. *Idem.*

Consularibus] Quos sæpe carpit epist. ad Att. lib. IV. *Idem.*

Præfuisti] Alii *favisti.* Victorius, quia neutrum extat in Mss. neutrum agnoscit, locumque ut mutilum notavit.

Utrum laus imminuatur] Tantum enim de tua dignitate agitur, mea vero salus afflicta est. Epist. 6. 'Minore in re violatur tua dignitas, quam mea salus afflicta sit.' *Manut.*

Liberalitatis] Quod officia libenter in omnes conferas; ut supra: 'Tua præstanti in eum liberalitate tibi devinctum.' Vel ad ædilitatem respexit, in qua Lentulus summam liberalitatem ostenderat: quam Cicero effert laudibus Off. lib. I. *Idem.*

Ex imperio] Hoc addit, quia multis imperium, quod vel augendæ, vel tuendæ reip. causa dabatur, et ipsis, et reip. dedecori, damnoque fuit. *Idem.*

Quod scribis] Hic ellipsis est. Integrum foret: ut respondeam ad id, *quod scribis.* Nihil frequentius Ciceroni, inquit Jac. Perizonius in Sanctii Minerv. IV. 5. quam progredi respondendo per voculam 'quod' ad alteram partem Epistolæ illius, cui respondet. *Oliv.*

Qui plus opibus, armis, potentia valent] Cæsar, qui Galliam cum exercitu administrabat; Pompeius, et Crassus, cum Cæsare sentientes, qui consulatum gerebant. *Manut.*

Stultitia] Stulti enim, qui a senatu et ordinem equestrem, et Pompeium abalienaverint. Epist. 8. *Idem.*

Inconstantia] Quod in gratiam redierint cum P. Clodio, quem oderant antea. Ex quo dum Clodium ad suas partes adjungunt propter Cæsarem, Ciceronem a publica causa propter Clodium removerunt. *Idem.*

Stipendium] Et stipendium, et legatorum numerum, et supplicationes senatus decernebat sine populi suffragio. *Idem.*

Decem legati] Quorum opera in bello uteretur, quique singulis legionibus, singuli præessent. Vide Orat. de Prov. Cons.

Lege Sempronia] C. Gracchus, Tiberii frater, in ea lege, quam de provinciis tulit, tria comprehendit; unum, ut senatus consulares provincias decerneret, id est, eas, in quas consules, magistratu functi, sorte proficiscerentur; alterum, ut quotannis; tertium, ut, cum decerneretur, intercedere nemini liceret. *Idem.*

De filia, et de Crassipede] Cui Tul-

liam post reditum ab exilio pridie nonas Aprilis despondit, mortuo jam, ut in quæstura ostendimus, C. Pisone. *Corrad.*

(8.) *M. T. C. P. Lentulo Procos. S. D.*

Anno U. C. 698.

Amicorum] Pompeii et Cæsaris: addo etiam Crassum; cum quo, rogatus a Pompeio et Cæsare, a Publio præterea, ipsius Crassi filio, redierat in gratiam. Epist. sequenti, et epist. 8. lib. v. et apud Plutarchum in Crasso. *Manut.*

Pietas, utilitasque] *Pietas* erga optime de me meritum; *utilitas* cum habendam mihi rationem aliquando etiam salutis intelligam. *Idem.*

Ad ejus rationes] Ad ea, quæ illi utilia sunt, quæque ille vult. Pompeium significari, satis constat. *Idem.*

Putasti] Cum de me ageres. *Idem.*

Honeste dissentire non possum] Cum is auctor fuerit salutis meæ. *Idem.*

Paucis] Si pauci, quomodo ab iis frustra dissentitur? quia pauci quidem principes, Cæsar, Pompeius, Crassus; sed factio eorum maxima. *Idem.*

Culpa eorum] Catonem significat, qui publicanis, questis in senatu, se cupiditate prolapsos, nimis magno publica conduxisse, ut locatio inducerentur, postularant, adversatus est, et ita equites a senatu alienavit, et concordiam ordinum a Cicerone in consulatu constitutam, opinione falsus, dissolvit. Qua de re plura Epistolarum ad Attic. lib. I. *Lamb.*

Hominem clarissimum] Pompeium, quem abalienaverant a senatu, qui ea, quæ ille, devicto Mithridate, regibus, dynastis, et civitatibus in Asia concesserat, confirmari a senatu non permiserant: quorum princeps fuit L. Lucullus, qui sororem M. Catonis Serviliam in matrimonio habebat, adjuvantibus Catone, et Metello Celere consule: ex quo Pompeius, uxore ducta Cæsaris filia, facile impetravit, ut is consul acta sua confirmaret. Appian. Bell. Civ. lib. II. Dio lib. XXXVII. Suetonius. *Manut.*

Affixum] Ab eo non discedam.

(9.) *M. T. C. P. Lentulo Imperatori S. D.*

Anno U. C. 699.

Lentulo imp.] Re bene gesta, qui ab exercitu imperator erat appellatus, litteras suas imperatoris nomine inscribebat: quod Cicero fecit Epist. II. 10. Similiter, qui ad eum scribebant, imperatorem appellabant: propterea superiores litteræ inscribuntur *Lentulo proconsuli*, victoria nondum certa; hæ vero *imperatori*, cum plane cognita res esset. *Manut.*

Hoc tempore omni] Triennium. Nam ante biennium Lentulus, consulatu functus, iverat in Ciliciam, mansitque ad Calvinum et Messalam consules: quo anno successit ei App. Clodius. *Idem.*

Ostendis] Verbis significas. Sic Epist. 2. 'Cæteris in rebus se acerrimum tui defensorem fore ostendit.' *Idem.*

Inimicus] C. Cato, qui vim suam in Lentulum potissimum contulit, cum de abrogando illi imperio legem promulgavit. *Corrad.*

Nostram vicem] Quod ad nos pertinuit, quod ipsi facere debuimus. Sic 'doleo tuam vicem,' veteres dicebant, pro, quod ad te pertinet: et Plautus in Captiv. 'Neque ullum pol de hac re negotium est, Quin male occidam, oppetamque pestem, heri vicem mei.' *Manut.*

Ultus est ipse sese] Se ipse punivit, pœnas ipse sibi eas intulit, quas inferre nos debuimus. *Idem.*

Ne libertatis quidem] Ut ei ne liberum quidem sit in publico versari; vel quod scelus aliquod insigne committere voluerit, vel quod revocatus in judicium sit; cum defendente

Scauro, hoc ipso anno, ut Pedianus docet, Quintili mense absolutus esset. Certe cum propter alia flagitia, tum eo nomine invisum esse optimatibus oportuit, quod tribunus pleb. intercesserat, ne consules Marcellinus et Philippus comitia consularia habere possent. Ex quo senatus, ad mœrorem indicandum, vestem mutavit. Liv. Epit. lib. cv. *Idem.*

In molestia gaudeo] Figura quædam ex mistione contrariorum orationi venustatem concilians: quæ nisi pluribus ostendatur exemplis, fortasse non facile dabitur imitandi facultas. Nobis autem, hunc interpretandi laborem suscipientibus, id maxime propositum fuit, ut adolescentes, pro viribus ingenii nostri, commodiore quadam quasi via ad aliquam eloquentiæ laudem perduceremus. Duplex igitur hæc figura est. Aut enim cum significatione doloris, et molestiæ, conjungitur gaudium, et consolatio; aut contra, gaudii consolationisque significationem dolor, et molestia sequitur. Primum genus hoc exemplo declaratur *in molestia gaudeo.* Et ad Q. Fr. II. 14. 'Se effecturum, ut ego in medio dolore, ac desiderio tui; te, cum a me abesses, potissimum secum esse lætarer.' Nec dissimile illud Epist. 6. 'Me in summo dolore, quem in tuis rebus capio, maxime scilicet consolatur spes, quod valde suspicor fore, ut infringatur hominum improbitas.' Aut illud Epist. ad Att. I. 15. 'In ista incommoditate alienati illius animi, et offensi, illud inest tamen commodi.' Aut Epist. XI. 26. 'In maximo meo dolore, hoc solatio utor.' Alterum genus agnoscitur Epist. XV. 21. 'Sed tamen in ea voluptate, hunc accepi dolorem.' Epist. XVI. 8. 'In magna consolatione, ingens inest sollicitudo.' Epist. ad Q. Fr. II. 9. 'Nunc mihi jucunditatis plena epistola hoc aspersit molestiæ.' Pertinere videtur ad hoc genus et illud Epist. II. 16. 'Hæc aspersi, ut scires, me tamen in stomacho solere ridere.' *Idem.*

Non ita magna mercede] Quod explanavit Epist. 6. 'Minore in re violatur tua dignitas, quam mea salus afflicta sit.' Et Epist. 7. 'Multum interest, utrum laus imminuatur, an salus deseratur.' *Idem.*

Maximo dolore] Afflicta salute, cum ejectus patria sum. *Idem.*

Initio actionum tuarum] Pro, initio reditus mei; qui actio tua fuit. *Idem.*

Quendam] Hoc verbo amoris magnitudo tanta declaratur, quantam verbis exprimere non licet. Sic enim loquimur, ubi conceptam animo sententiam enunciare, atque ostendere pro voluntate non possumus. Epist. II. 1. 'Incredibilis quædam exspectatio.' In hac, infra, 'Commemoranda quædam, et divina Cæsaris liberalitas.' *Idem.*

Audivit] Cum sententiam dicerem: non enim reputans, quid Pompeius vellet, aut socer ejus Cæsar, in omnibus meis sententiis de rep. pristinis permanebam. *Idem.*

De reliqua nostra dignitate] Ut dejecto P. Clodii monimento in meis ædibus collocarer. *Corrad.*

De monumentis] Domo, porticu Catuli, et forte etiam monimento, de quo ad Q. Fr. lib. I. mentionem facit. *Idem.*

Resarciendis] Quod enim Clodius everterat, id cum senatus publico sumptu ædificandum censuisset, æstimarunt consules de consilii sententia, quanti fuisset ædium superficies: neque hoc solum, sed quanti etiam fuissent villæ, Tusculana, et Formiana, eversæ ab eodem Clodio. Quam Cicero æstimationem in domo non improbat, in villis accusat Epist. ad Attic. IV. 2. *Manut.*

Quæ fecerant] Pro salute mea. *Idem.*

Sedente Cn. Pompeio] In judicio, cum defenderet Sextium Cicero. *Id.*

Laudaret] Laudatione judiciali.

Introisset] Quod ut ei salvis legibus liceret, a senatu impetraverat. Alioqui, cum esset cum imperio frumentariæ curationis causa, urbem introire non poterat. *Manut.*

Bibuli] Quem Vatinius tribunus pleb. et Cæsar consul exire domo prohibuerant, ne Cæsaris acta impediret. *Idem.*

Eodem teste] Pompeio. *Idem.* Vel, cum iterum alio in judicio testis Vatinius adversus clientem meum esset. *J. F. Gron.*

Eosdem esse] His verbis nec ipsi Pompeio pepercit. Is enim pro Cæsare consule contra Bibulum, ejus collegam, omni non solum studio, sed etiam contentione dimicavit. Plutarchus, et alii. *Manut.*

In quo] Ita Victorius, Grævius, Cellarius, et referunt ad Vatinii tribunatum. Alii vero *in qua*, et ad Ciceronis interrogationem referunt. *Olivet.*

De vi] Qua Bibulum obnunciantem foro expulit, atque etiam in vincula ducere conatus est. *Manut.*

De auspiciis] Quibus neglectis, leges pro Cæsare Vatinius tulit. *Idem.*

De donatione regnorum] Vide Interrogat. in Vatinium cap. 12.

Idibus Maii] Quod tamen die relatum non esse, scribit ipse ad fratrem Epist. II. 7. 'Quod,' inquit, 'Idibus, et postridie fuerat dictum, de agro Campano actum iri; non est actum.' Ideo autem eo die, ut senatus decreverat, de agro Campano non est actum, quia sententiam Cicero mutavit: quod indicant ea, quæ sequuntur. *Manut.*

Magis in arcem] Magis adversari Cæsaris, ac Pompeii voluntati. Translatione usus est, ad indicandam animi sui fortitudinem accommodata. Nemo enim, nisi fortis et constans, in arcem invadit. *Idem.*

Temporum] Calamitatum, quas modo pertuli. *Actionum*, quas olim gessi.

In Sardiniam] Ut frumentum ad urbem convehendum curaret. *Manut.*

Lucam] Extremum oppidum Galliæ Cisalpinæ, quæ Cæsaris imperio cum Transalpina, et Illyrico regebatur. *Idem.*

Cum in Sardinia] Ubi, nisi fallimur, Q. Cicero pro M. fratre erat Pompeii legatus. *Corrad.*

Vibullium] Q. Vibullium, præfectum fabrum Pompeii civili bello, ejusdemque copiarum ductorem. Epist. ad Att. VIII. 2. et Epist. Pompeii ad Ciceronem eodem libro, et Epist. Cæsaris ad Att. lib. IX. idemque Bell. Civ. lib. I. *Manut.*

Integrum] Sunt qui scripturam sollicitent, malintque *integram rem servarem*. Sed ita etiam scripsit Cælius Epist. VIII. 6. 'De Dolabella integrum tibi reserves, suadeo.' *Cellar.*

Bonum virum] Bonum civem a bono viro distinguit, quia patriæ simul et amicitiæ satisfacere non possit. Verum, duobus propositis honestis, minori majus præferendum esse quis dubitet? Major igitur patriæ, quam amicitiæ, habenda ratio est, quod ipse Off. lib. III. declarat. Quanquam, cum dicat, *Bonum virum esse pateretur*, quasi gratiæ loco postulat ab ipsa rep. quod ab ejus rationibus alienum esse, id est, quod officio boni civis adversari, non ignorat. Eandem sententiam in Oratione pro Plancio posuit cap. 38. 'Res vero ipsa publica si loqui posset,' &c. *Manut.*

Certorum hominum] Catonis inprimis, Bibuli, L. Domitii. *Idem.*

Litteris et officiis] Litteris ad M. Ciceronem missis, officiis in Quintum collatis, qui tunc erat Cæsaris legatus in Gallia. Infra, et ad Att. IV. 18. *Idem.*

In hac mente] Hoc est, in hoc proposito: cum ita sentirem. Atque hæc est Victoriana lectio, quam Camerarius sic interpretatur. Man. et

Lamb. *in hanc mentem;* non ita bene. *Oliv.*

Apud Platonem] De Leg. IV.

Ex Kal. Jan.] Dicta in senatu oratione contra Rullum. *Corrad.*

Nonis Dec.] Quo die senatus sumendum de conjuratis supplicium censuit.

Quasi certaminis causa] Speravit Clodius, si Ciceronem vexaret, eam fore causam bonos cum improbis committendi. *Idem.*

Non defenderunt] Hortensium et Catonem videtur significare. *Idem.*

Reliquerunt] Ut Pompeius. *Idem.*

Tres sorores] Clodiam, Terentiam, et alteram cognomine Quadrantem, quas Clodius frater constuprasse dicitur. *Idem.*

Impunitatem] Ne quis putet hoc dici, Clodium absolutum esse judicum sententiis, in eo judicio, quod de violatis Bonæ Deæ sacris factum est, quod ante Ciceronis exilium factum erat; sed quorundam optimatum, quorum hic Cicero inconstantiam, et perfidiam accusat, sententiis, in senatu dictis, factum esse, ut judicium illud, quod Milo tribunus pl. Clodio de vi accusato intendebat, omitteretur; ex quo non absolutus Clodius, (non enim absolutus dicitur, de quo latæ sententiæ non sunt) sed *impunitatem* consecutus, quia punitus non est, vere, ac proprie dicitur. Tota vero res ita se habet. Restituto Cicerone, cum ejus domus ex S. C. reficeretur, expulsi a Clodio fabri de area sunt: disturbata porticus Catuli, quæ ipsa quoque ex S. C. reficiebatur, et ad tectum pene pervenerat: Q. Ciceronis domus primo fracta conjectu lapidum, deinde inflammata. Neque hac una vi contentus quievit Clodius, sed, sexto post die, cum lapidibus, fustibus, gladiis M. Ciceronem insecutus est: sequenti autem die Milonis domum expugnare, et incendere ita conatus est, ut palam cum scutis homines eductis gladiis, alios cum accensis facibus adduxerit. Propterea Milo tribunus pl. eum de vi accusavit. Sed judicium, opera Clodii, ejusque amicorum, usque eo perductum est, donec habitis ædilitiis comitiis, Clodius ædilis creatus in judicium vocari non potuit. Non enim vocare in judicium eos licuit, qui magistratum gerebant. Hoc igitur queritur Cicero, et jure queritur, quod, cum ageretur in senatu, utrum ante comitia judicium fieret, quod Milo, Cicero, nec pauci præterea, bene de rep. sentientes, exoptabant, an quod Clodius, ejusque factio postulabat, ut comitia ante judicium haberentur, quo posset, magistratum adeptus, pœnam effugere; S. C. factum sit, ut post comitia judicium fieret: in quibus positam esse Clodii, nocentissimi hominis, salutem, licebat intelligere. Hac de re sic in oratione pro Sextio: 'Volitat ædilis, accusat eum, qui aliqua ex parte ejus furorem exsultantem repressit: hic accusare eum moderate, a quo ipse nefarie accusatur, per senatus auctoritatem non est situs.' Non licuisse Miloni per senatus auctoritatem Clodium accusare, demonstrat. In Oratione autem de Provinciis, 'Qui meum,' inquit, 'inimicum, repugnante vestra auctoritate, texerunt.' Præterea Epist. ad Att. IV. 3. et ad Q. Fr. lib. II. 'Impunitatem igitur Clodius assecutus est, quia judicium fieri de eo, ædile creato, non licuit. Optimatum vero sententiis, quia comitia fieri ante judicium voluerunt.' Nec tamen omnes notat optimates, sed tantum eos, qui judicium de Clodio a Milone accusato fieri noluerunt. Nam bonos aliquot in senatu pro Milone, id est, pro rep. sensisse, satis ostendit iis verbis, quæ jam recitavimus ex Oratione de Proviuciis. Cum enim dixit, 'Qui meum inimicum, repugnante vestra auctoritate, texerunt,' optimatum duo genera signifi-

cat; eos, qui Clodium texerunt, et eos, qui repugnarunt. *Corrad.*

Hostili nomine] Clodii nomine. *Idem.*

Veneris caput] Apelles inchoavit et aliam Venerem Cois, superaturus etiam illam suam priorem. Invidit mors, peracta parte; nec, qui succederet operi ad præscripta lineamenta, inventus est. Plin. XXXV. 10.

Constantia] Cum in L. Saturnini legem de agro Gallico dividendo, per vim latam, jurare noluit, et in exilium abire, quam de sua sententia decedere, maluit. Plutarchus in Mario. *Manut.*

Est vero probandum] Ironia, quæ negandi vim habet, cum affirmare verba tamen ipsa videantur. Sic Virgil. Æneid. lib. IV. 'Egregiam vero laudem,' &c. *Idem.*

Scaurum] Patrem ejus, pro quo extat mutilata Ciceronis oratio. *Idem.*

Hominibus] Vocem hanc delendam esse, conjicit Grævius ex Mss.

Sollicitudinem, et laborem] Quibus eum splendorem, eamque speciem tueor. *Græv.*

Cœperam exponere] Cum enim sententiam Platonis posuisset de corruptis principum exemplo civibus, eam ut probaret, ita longe digressus est, inducta commemoratione sui consulatus, ut a proposito nonnihil aberrasse videatur. Itaque narrationem interruptam, ab alio tanqnam orsus principio, retexit. *Manut.*

Tabella] In judiciis: cum absolverunt, quos damnari oportuit. Nec dubito, quin hic Cicero Sex. Clodii, nocentissimi hominis, absolutionem significet, quem senatorum urna copiose absolvit, ad quos dirigitur hæc tota narratio. Vide Epist. ad Q. Fr. II. 6. *Idem.*

Plato] In Critone.

Neque integra re] Integra Platoni res fuit ad consulendum; quia nunquam attigit rempubl. Quod mihi non contigit; qui cum remp. antea tractassem, propterea implicatus tenebar. *Manut.*

Discesserim] Vobis exceptis, nemo est, cui perinde ac Cæsari debeam. *Idem.*

Reditus intercesserat in gratiam] Reconciliatio intervenerat. *Cellar.*

Pompeium] Quo consule comitia habente, superiore proximo anno prætor Vatinius creatus est, M. Catone rejecto: qui cum ante Vatinium populi suffragiis prætor fieret, consul Pompeius, auspicia mentitus, comitia dissolvit. Quod ei, augur cum esset, jure sacerdotii licebat. Plutarchus in Pompeio, Dio lib. XXXIX. *Manut.*

Defenderem] Accusatus est Vatinius, ut ait Pedianus in commentarii procemio orationis pro Scauro, Appio et Domitio coss. id est, quo anno scripsit Cicero hanc Epistolam: accusatus autem a C. Licinio Calvo de ambitu, quia prætoria comitia corrupisset. *Idem.*

Ultimis terris] Hispaniæ duæ fuerunt, citerior, et ulterior: hic de citeriore accipiendum; cui præfuisse cum imperio Lentulum, supra demonstratum est iis verbis; 'Cum tu Hispaniam citeriorem cum imperio obtineres.' *Manut.*

Stimulus] Quod enim P. Clodium quidam optimates, Ciceronis inimicum, ipso præsente amplexarentur, in manibus haberent, foverent, oscularentur, ut ei stomachum facerent; propterea, ut eorum consuetudinem imitaretur, et quasi par pari referret, ipse quoque hominem optimatibus invisum Vatinium defendit. *Idem.*

Eunucho] Act. III. Sc. 1.

Severe] Quasi de gravibus, seriisque rebus cum eo deliberaturi. *Manut.*

Magna jam gratia] Vetus inter eos fuerat simultas, vel exorta Cicerone consule, cum Crassus Catilinæ consiliorum particeps esse putaretur, ut historiæ declarant; vel, ut ego arbi-

tror, multo ante, cum Cicero ab adolescentia sua, ut in hac Epistola jam dixit, Pompeii fautor extitisset, Crassumque sæpe, ut Epist. ad Att. I. 12. scripsit, in Pompeiana laude perstrinxisset: in suasione quidem legis Maniliæ, laudem servilis belli, Crassi virtute confecti, magna ex parte ad Pompeium transfert. Primus dies eos in gratiam reduxit, cum Crassus in senatu, præsente Pompeio, a Mithridatico bello proxime reverso, de rebus a Cicerone consule in urbe gestis ornatissime locutus est. Cujus orationis illustrem sententiam cum Cicero ad Atticum scripsisset, subjunxit, 'Hic dies me valde Crasso adjunxit.' Rursus odium inter eos emersit, quo anno lege Clodia Cicero pulsus est, Crasso Clodium adjuvante, ut in Plutarcho legimus. Iterum autem reconciliati, restituto in patriam Cicerone, intercedente Publio Crassi filio, Ciceronis amantissimo, ut idem Plutarchus. Tertiæ tum dissensionis, tum etiam reconciliationis causa hic exponitur. *Manut.*

Disputaniem] In senatu. *Idem.*

Foris] Vulgo, apud omnes homines, *fructum tulisset*, bonam de me hominum opinionem auxisset. *Idem.*

Temporum meorum] Earum calamitatum, quas olim pertuli, quia nimium in repub. libere sensissem. *Idem.*

Naturæ] Quæ me ab omni contentione revocabat. *Idem.*

Gratia] Hic est reconciliatio. *Græv.*

Condixisset] In diem certum denunciasset. Sic enim Festus interpretatur. *Manut.*

Defendi] Vide Epist. v. 8.

Solutissima] Soluta, et libera Ciceronis voluntas non erat, cum et alliceretur Pompeii, Cæsarisque beneficiis, et compelleretur optimatum quorundam injuriis. *Manut.*

Facile patior] Ita loquebantur, cum aliquid se nec admodum libenter, nec moleste tamen facere significabant. Ep. v. 7. 'Si quando non mutuo respondetur officiis meis; plus apud me officii residere facillime patior.' *Idem.*

Menocrito] Lentuli liberto. *Idem.*

In disputatione ac dialogo] Hoc totum alienum videtur et subditicium. *Lamb.*

Tres libros de temporibus meis] Dio lib. XXXIX. Βιβλίον μέν τοι τὶ ἀπόῤῥητον, κ. τ. λ. Vertit Lennclavius, *Librum quendam occultum conscripsit, cujus erat inscriptio, 'De Suorum Consiliorum Rationibus.' In eum multa acerba contra Cæsarem, Crassumque, aliosque nonnullos dicta congessit: metuensque ne se vivo emanaret, obsignatum filio tradidit, cum mandato, ne eum se superstite aut legeret, aut ederet.* H. Valesius.

Sed, quia verebar] Ἔλλειψις, figura aliquid detrahens; nam hic sententia desiderat, *Non misi*, ut sit: Ideo non misi eos libros ad te, quia verebar eos, quos erat infinitum bene de me meritos omnes nominare. *Manut.* Ego deleńdum puto τὸ *quia*, nec rationem reddi quare non miserit, sed quare non putarit edendos. *Sed verebar non eos*, id est, non edendos putavi, qui verebar. *J. F. Gron.*

Appius] Appius Pulcher consul cum L. Domitio Ænobarbo. *Corrad.*

Si licitum] Per tribunos plebis. *Idem.*

Se paraturum cum collega] 'Parare,' hic est pacisci, constituere. Mos enim fuit, ut S. C. de provinciis consularibus ita fieret, ut eas consules aut sortirentur, aut compararent inter se. *Manut.*

Opus esse] Convenire. *Necesse non esse*, scilicet consuli. *Corrad.*

Provinciam haberet] Non Ciliciam nominatim; quod si esset, quorsum de sortitione, aut comparatione loqueretur? sed provinciam ideo habebat, quia senatus decreverat, ut ex duabus consularibus provinciis unam Appius, alteram Domitius, vel sortientes, vel inter se comparantes, obti-

nerent. *Manut.*

Lege Cornelia] Quæ imperium, sed sine armis, dabat. Alia ejus legis sunt Epist. III. 6. *Cellar.*

Ne id quidem valde dubium est] Ne de jure quidem dubitari valde potest, quin Appio, vel si tibi sine curiata lege succedat, provinciam debeas concedere. Argumento sunt hæc verba, falli eos, qui legem curiatam rectoribus provinciarum omnino necessariam putarent; cum sine ea jus dicere, et provinciæ præesse possent, imperio lege Cornelia dato, quoad in urbem introissent. Cum hæc scripsissem; disputationes ad me suas adversus Nicolaum Gruchium misit Carolus Sigonius: in quibus de curiata lege, duplicique provinciarum imperio, probari idem utrique nostrum, animadverti. Sane sum lætatus, ut animo, et voluntate, itidem nos opinione, et judicio congruere. *Manut.*

Liberalitatem] Sic Lambinus, sic H. Stephani editio 1577. Alii *libertatem.*

De publicanis] Contra quos decretum ex voluntate provincialium fecerat. *Manut.*

Non potui non probare] Videtur alterum *non* delendum esse. *J. F. Gron.*

Felicitate quidem, vellem, consequi potuisses] Vellem, ita felix esse potuisses, nihil ut omnino contra ejus ordinis, quem semper ornasti, aut rem, aut voluntatem ageres. Quidam veteres libri *felicitatem;* alii *facilitate autem quod vellem consequi potuisses.* Sed facilitas est voluntatis; quam si Cicero requirit in Lentulo, hominem carpit amicissimum, optimeque de se meritum. *Idem.* Lego *felicitate quadam, vellem consequi, &c.* Vellem sic favisset tibi Fortuna, ut necesse non fuisset aliquid abs te statui, quo illi aut vectigalia sua deteriora, aut gratiam contemptam putarent. *J. F. Gron.*

Q. Scævolæ] Auguri, P. F. Lælii Sapientis genero, Crassi oratoris socero. Fuit alter Q. Scævola, Q. F. pont. max. multis annis junior. *Manut.*

Ordinem] Equestrem.

(10.) *M. T. C. S. D. L. Valerio, Jurisconsulto.*

Anno U. C. 699.

Cur enim tibi hoc non gratificer] Cum inscripsisset, *Valerio, Jurisconsulto*, subjunxit jocans: Nam, jurisconsultum cur te non appellem, nescio, etiam si jurisconsultus valde non sis. Et sane Valerius hic non videtur jus civile, quantum opus esset, cognovisse: cum de eo sic ad Appium scripserit: 'Valerium jurisconsultum valde tibi commendo, sed ita etiam, si non est jurisconsultus.' Verum ita familiariter eum Cicero diligebat, ut ei, quod omnino falsum non erat, id per jocum objiceret. *Manut.*

Audacia pro sapientia] Vivimus eo seculo, quo sapiens habetur, qui plurimum audet. Ludit in vocabulo *sapientiæ.* Nam JC. κατ' ἐξοχὴν 'sapientes.' De Amicit. c. 1. et 2. de Off. II. 11. Sic 'Lælius sapiens,' 'M. Cato sapiens,' Verr. II. 2. Pro Mur. 11. 'Et ab ipsis cautis JC. eorum sapientiam compilavit.' *J. F. Gron.*

Desinas literis nostris uti] Commendatitiis. Desinas abesse et procul vagari meis commendationibus. *Idem.*

Ubi aliquo numero sis] Ludit rursum in verbis; nam 'aliquo numero esse' est in dignatione esse, et esse ubi plures sint similes tibi. *Idem.*

Solus sapere] Significat eum ibi esse, ubi nulli sunt alii jurisconsulti; nam jurisconsulti, ut dictum, sapientes. *Idem.*

Quod nihil respondeas] Jocus est in his verbis et abstrusus, et elegans. Vult enim innuere, ideo nihil eum quandoque respondere, non quod superbus sit, sed quod eum nemo consulat, cum homines bonum juriscon-

sultum non putent: ideo autem male respondere, non quod contumeliosus, sed quod imperitus, et indoctus. Proprium vero jurisconsultorum fuit, hodieque est, de jure consulentibus respondere. Similis jocus est in Trebatium Epist. VII. 16. 'Qui istinc veniunt, superbiam tuam accusant, quod negent te percunctantibus respondere.' *Manut.*

Ut possimus salvum venisse, gaudere] Quod si Romam inquit, venies; erit, qui, te salvum venisse, gaudeat: habes enim hic, qui te norint, et diligant: in Apuliam vero tuam si accesseris; quis erit, qui gaudeat? Hanc sententiam, illata figura παρὰ προσδοκίαν, confirmat sequentibus verbis: 'Tanquam Ulysses, cognosces tuorum neminem.' Quod etsi discrepat ab Ulyssis fabula, qui suos quidem domesticos omnes, Ithacam reversus, cognovit, sed ab iis cognitus non est; tamen Cicero, nactus jocandi locum, lepide sermonem convertit ab Ulysse ad ipsius Valerii humilitatem, ac solitudinem. Quod ideo ostendendum putavi, ne quis Ciceronem in Ulyssis fabula memoriæ vitio labi putet: cum in eo ipso jocus appareat, quod, cum, inducta Ulyssis mentione, dicturus videretur, Cognosceris a tuorum nemine, traduxit sententiam, ut dixi, ad id, quo Valerii notabatur ignobilitas. Possit etiam hoc aliquis referre ad illud tempus, cum Ulysses dormiens, a Phæacibus in litore Ithacensi expositus, mox experrectus, patriam non agnovit. Odyss. lib. XIII. *Idem.* 'Cognosces tuorum neminem,' quasi significet omnes periisse. *J. F. Gron.*

LIBER II.

(1.) *M. T. C. C. Curioni S. D.*
Anno U. C. 700.

De litteris hactenus] Dixi jam nihil esse in Latina lingua contemnendum, si modo ea proprie, recteque uti cogitamus. Quare subjungam, quæ nonnullis fortasse levia videantur; sed, quo turpius in minimis labimur, eo diligentior esse debet animadversio. *Hactenus*, et *adhuc*, æque continuationem significant; sed hoc differunt, quod *hactenus* de re semper usurpatur, *adhuc* de tempore. Non enim recte dixeris 'hactenus ita sensi;' sed 'adhuc ita sensi:' contraque proprie non dicitur 'de litteris adhuc;' sed 'de litteris hactenus.' Etiam illud observavimus, non eandem utroque continuationem significari. Nam *hactenus* absolutæ rei continuationem semper indicat, *adhuc* interdum etiam non absolutæ; ut Epist. ad Attic. II. 20. 'Clodius adhuc mihi denunciat periculum.' Exemplorum refertus est Cicero. *Manut.*

Abfuisse] Erat Curio in Asia. *Idem.*

Memoriam ulla nunquam delebit oblivio] Pusillum hoc; sed ita tamen edendum, ut præeunt meliores libri; nempe Victorii, Vatic. Pall. quart. quintus. Vulgo *nulla unquam.* Gebhard.

(2.) *M. T. C. C. Curioni S. D.*
Anno U. C. 700.

Clarissimo viro] Consulatu, quem cum Cn. Octavio gessit: eloquentia, et rebus gestis in Macedonia, de qua etiam triumphavit. *Corrad.*

Fortunent] Epist. XI. 8. 'Eum ho-

norem tibi Deos fortunare volo;' id est, ne quid adversi contingat. *Manut.*

(3.) *M. T. C. C. Curioni S. D.*

Anno U. C. 700.

Declarandorum] Ostendendorum, promittendorum: ut Epist. IX. 8. 'Munus flagitare, quamvis quis ostenderit, ne populus quidem solet, nisi concitatus.' *Manut.*

Munerum] Munera populo dabant, gratiam ejus aucupantes, cum vel gladiatorum certamina præberent, vel nummos dividerent, vel epulum darent, aut aliquid ejusmodi. Curio in funebri patris munere, præter cætera, ludos dedit, et in iis pantheras; ut scripsit Cœlius Epist. VIII. 6. 7. Dedit etiam admirandam illam, quæ amphitheatri formam faceret, ligneam machinam, de qua Plin. XXXVI. 15. *Idem.*

Non esset integrum] Ut, si consilium nostrum probares, mutare sententiam posses. Verebatur Cicero, ne, muneribus dandis, æris alieni plurimum Curio contraheret, eoque coactus, omissa reip. causa, cum improbis civibus, maximeque cum Cæsare, societatem, bonis exitiosam, coiret. Quod ita contigit. *Idem.*

Ne ad eam] Legendum *ne ad ea*, scilicet plura, quæ scribere poteram. Aut etiam non scribam quid de istis muneribus sentiam, ut venias ad me non præmeditatus, non commentatus; nec habeas quicquam cogitati, quo sententiam meam oppugnes. *J. F. Gron.*

Contra istam rationem] Istud genus ambitionis, plebem muneribus demulcendi. *Idem.* Et sane de Offic. II. 16. pecuniarum effusiones ad multitudinem deleniendam, nec iis, quorum causa fiunt, nec iis, a quibus fiunt, bonorificas, multis verbis ostendit. *Manut.*

Displicere] Nec aliter cecidit; nam, cum, præstituta die, creditoribus suis Curio satisfacere non posset, intercalationem, id est, prorogationem temporis, a pontificibus petiit: quam cum non obtinuisset, addixit se, suamque sententiam Cæsari, deserto reip. patrocinio. Epist. VIII. 9. *Idem.*

(4.) *M. T. C. C. Curioni S. D.*

Anno U. C. 700.

Domesticarum] *Domesticos* habet antiquus liber, pro *domesticarum;* et ita opinor ex loco simili legendum esse. *F. Ursin.*

Quæ nunc] Manutio et Grutero probatur *quæ non*, et reperitur in omnibus quatuor Mss. quibus usus est Grævius.

Gravis adversaria] Sic enim nobis, ut cum acerrimo inimico, cum expectatione pugnandum est: iis autem, qui nulla in expectatione sunt, licet esse otiosis. *Manut.*

(5.) *M. T. C. C. Curioni S. P. D.*

Anno U. C. 700.

(6.) *M. T. C. C. Curioni S. P. D.*

Anno U. C. 700.

Sex Villium] Manut. *Sex Julium;* Corradus, et Græv. *Servilium.*

Eorum ventorum] Ventis comparat plebem, gratiosos in suffragiis, &c. Nam cum secundi sint, reguntur tamen arte quadam ab eo, qui navem gubernat. *Manut.*

(7.) *M. T. C. Proconsul C. Curioni, Tribuno Plebis, S. D.*

Anno U. C. 702.

Aliorum] Ut M. Antonii. *Corrad.*

Incerti exitus] Nihil igitur novi cogitandum, exitu rerum incerto. Timet Curionis multiplex ingenium: ne quid in repub. novi moliretur, spe alicujus boni proposita: quod et facere solebant tribuni pl. et fecit ipse Curio, cujus turbulentus inprimis, ac seditiosus tribunatus fuit. *Manut.*

Remp. gessimus] In Amano monte,

ut Epist. x. Capto etiam Pindenisso, ut Epist. ad Attic. v. 20. *Idem.*

Totius æstatis] Pindenissum tamen non æstate, sed Saturnalibus, id est, XIV Kal. Jan. in suam potestatem redegit: quod Attico scripsit Epist. v. 23. Verum res æstate gestas appellat, quod 'æstiva' vocarentur, quæcumque æstate cœpta essent, licet ante hiemem non perfecta. Sic Epist. III. 9. 'æstiva confecta, non nisi Pindenisso capto,' significat, cum tamen deditio Pindenissi Decembri mense facta sit. *Idem.*

Ad senatum] Eæ litteræ non exstant; nam quæ leguntur libro decimo quinto res gestas non exponunt. Ad senatum autem scripsisse videtur Januarii mensis initio, ad novos consules: quod ex Epist. ad Att. v. 20. licet intelligere. Quod cum ita sit; potuit hanc Epistolam scribere mense Dec. nam, cum Pindenissum XIV Kal. Jan. captum ostenderim, et hic rem feliciter esse gestam, scribatur, necesse est, Curionem jam tribunatum pleb. iniisse; nam tribunis pleb. primus magistratus dies fuit, non Kalendæ Jan. ut aliis magistratibus, sed quarto Idus Dec. ut Livius, Dionysiusque docuerunt. *Idem.*

De sacerdotio tuo] De pontificatu, quem petiit, et obtinuit, patre mortuo, ut in ejus locum surrogaretur. De patre mentio fit in Orat. de Harusp. Resp. cap. 6. de filio apud Dionem lib. XL. *Idem.*

Senati-consultum] Frementibus magistellis produxi hanc lectionem ex editione Victor. ac Pal. prim. Vatic. ut sæpe Livius. Vulgo *senatusconsultum.* Gebhard.

Leges] Quibus erat annua provincia. Et ad M. Marcellum consulem, his verbis, Epist. XVII. 7. 'Ne quid accedat temporis ad id, quod tu mihi et S. C. et lege finisti.' *Manut. Leges,* forte Sempronia, curiata, et Cornelia. *Corrad.*

(8.) *M. T. C. Proconsul M. Cælio S. D.*

Anno U. C. 702.

Compositiones] Quis cum aliquo pugnasset. Inde 'par gladiatorum' dicebatur, cum duo comparabantur, et componebantur ad certamen. Recitat Lucilii versus Cicero in libro de Optimo Genere Oratorum, cap. 6. 'Cum Pacidiano hic componitur,' &c. Quintil. II. 17. 'Gladiatores ... inter se componuntur.' *Manut.*

Vadimonia dilata] 'Differre vadimonium,' est prorogare diem, de quo inter litigantes convenerat, ut in judicio adessent: nam 'vadari,' est diem judicio ex compacto constituere. *Idem.*

Chresti] Vel, ut Chrestum compilaverint, id est, fraudaverint fures; vel, ut Chrestus fur alios compilaverit. *J. F. Gron.*

Πολιτικώτερον] Peritiorem administrandæ reipub. *Manut.*

Complures dies] Triduum. Vide ad Att. v. 7. Tarenti. Vide ibid. Epist. 6. Quod si quærat aliquis, quid agebat eo tempore Pompeius Tarenti; crediderim, eo se contulisse valetudinis causa post gravem illum morbum, quo eum prope urbem Neapolim laborasse, Plutarchus, et Cicero Tusc. I. demonstrat. Ægrotavit enim post tertium consulatum; eoque tempore Cicero in provinciam ivit. *Idem.*

Sermonibus ... quæ] Generis mutatio, per intellectum τοῦ *de negotiis, quæ.* J. F. Gronov.

Nobis] Mihi, et tibi. Nam ante profectionem Ciceronis in provinciam, recte Cælius de rep. sensit: postea, vel Curionis amore, vel Ap. Claudii odio, ab optimatibus ad Cæsarem descivit: quod ipse in ultima Epist. lib. VIII. confessus est; idque confirmant in libro de Claris Orat. hæc verba Ciceronis: 'Cum ædilis curulis factus esset, nescio quo modo discessu meo discessit a sese, cecidit-

que postea, cum eos imitari cœpit, quos ipse perverterat.' *Manut.*

Ipsos] Neque plures, neque pauciores, plane decem. *Idem.*

Gallus Caninius] Quem reum defenderat, Pompeii rogatu, iterum consulis. Epist. I. 7. Vide quæ Valerius IV. 2. de hoc, ut arbitror, Caninio scripsit. *Idem.*

(9.) *M. T. C. Cælio Rufo, Ædili Curuli Designato, S. D.*

Anno U. C. 702.

Cum præsenti, tum etiam sperata tua dignitate] Tum ædilitate, quam adeptus es, tum etiam reliquis honoribus, qui ædilitatem consequuntur. Prætura enim biennio post ædilitatem dabatur, consulatus biennio post præturam. *Manut.*

Quemadmodum scripseras] Epist. VIII. 3. cum scripsisti, 'si fio, tota vita risus nobis deesse non poterit.' *Corrad.*

Audivi] Te ædilem designatum, Hirrum dejectum. *Manut.*

Factus sum] Suscepi personam Hirri; quia, quæ tu mihi de illo scripsisti, omnia cogitavi. *Idem.*

Egi] Repræsentavi, cogitatione ipsa mihi ante oculos posui. *Idem.*

Jactitat] Jactare solitus est: quod fecit, ædilitatem petens, cum diceret, se gratiosorum in suffragiis adolescentum opera ædilem futurum. Epist. 6. juventutem ostendit in suffragiis plurimum posse. Proprie enim adolescentum gratia est, virorum auctoritas. *Idem.*

Difficile est loqui] Quæ de illo cogitavi, exponere non facile possum. *Id.*

Te autem contemplans absentem] Hoc totum usque ad illud, 'quod quia,' videtur a vetere poëta sumptum. Ideo *contemplans*, non est, quo referatur; deest enim verbum poëtæ: cum Cicero locum non expleverit, ut interdum solet. *Idem.*

Ad illud] Ejusdem poëtæ. *Idem.*

Omnibus lætitiis] Eundem locum Cicero significat de Fin. lib. II. cum ait: 'Ille Cæcilianus, qui sese omnibus lætitiis lætum esse narrat.' *Idem.*

Ego voluptatem] Est versiculus non totus Trabeæ, poëtæ comici: in Tuscul. lib. IV. integer est: sententia certe ejus non desideratur: 'Ut ille, qui voluptatem animi nimiam summum errorem esse arbitratur.' *Victor.*

Quid quæris] Ubi satis verborum effluxit, nec tamen omnino videmur, quod volumus, explicasse; ad hanc interrogationem confugimus, *quid quæris?* et ad exitum statim sententia perducitur. *Manut.*

Ille] Tam stultus, quam ille est.

(10.) *M. T. C. Imp. M. Cælio Rufo, Æd. Cur. Design. S. D.*

Anno U. C. 702.

De te, quia quod sperabam; de Hillo, (balbus enim sum) quod non putaram] In Epist. VIII. 4. Cælius de Hirro competitore suo loquens ita scripserat: 'Spero te celeriter auditurum et de nobis, quod sperasti, et de illo, quod vix sperare ausus es.' Quibus verbis Cicero respondens, eadem pene repetit. Et quia scripserat Cælius 'de illo;' facete et salse adspirationem Cicero addidit, ut Hirri nomen, more balborum, qui *r* litteram exprimere non possunt, enunciaret. *Manut.*

Sed balbi non sumus] Sic ludit, quia sequitur 'rem' et 'redire:' quasi balbi ad rem redire metuant, quod pronunciare non possunt. *J. F. Gronov.*

Ais] Epist. VIII. 5.

Auxiliis] Sociorum populorum, id est, Galatarum, Pisidarum, Lyciorum, quos nominat Epist. ad Attic. VI. 5. Nam Deiotarum cum omnibus suis copiis ad eum venientem, certiorem Cicero fecit, non videri esse causam, cur abesset a regno. Quod ad Catonem Ep. XV. 4. scripsit. *Manut.*

Qui urbem] Servavit ab insidiis Catilinæ, &c. *Idem.*

Quem senatus] Decreto laudavit honorificentissimo, &c. *Idem.*

Cætera] Quæ in nos, ob res in consulatu præclare gestas, conferri solent. *Idem.*

Communis est] Cum ejus pars ad Syriam, Bibuli provinciam, altera ad Ciliciam, cui Cicero præerat, pertineret. Strabo, et alii. *Idem.*

Dirimus aquarum divortiis] Ut ad Syriam ab una parte, ad Ciliciam ab altera pertineret, defluentibus aquis distributus. Cum enim aquæ dividuntur, divortium earum fit. Sic Epist. ad Attic. v. 20. 'Ad Amanum contendi, qui Syriam a Cilicia aquarum divortio dividit.' Flaccus etiam Siculus in libro de Limitibus, 'divergia aquarum' dixit, eadem significatione; quod in diversas partes 'vergant,' et vertantur aquæ; unde 'divergium,' et 'divortium.' *Idem.*

Cassius noster] C. Cassius, qui postea Cæsarem occidit. Is M. Crassi quæstor in Syria fuerat: quo interfecto reliquias copiarum Antiochiam deduxit. *Idem.*

Rejecerat] Vide ad Att. v. 20.

Victoria justa] Certum hostium numerum esse oportuit, quo cæso imperatoris nomen consequerentur. *Manut.*

Cliarchus] Historicus, Alexandri comes in Persica expeditione, ut ait Plin. vi. 31. Ejus probatum esse ingenium, fidem vituperatam, ostendit Quintil. x. 1. *Idem.*

Narravit] Argute pro 'legisti apud Clitarchum.' *Idem.*

Infestissimam] Latrociniis. *Idem.*

Vineis] Instrumentum bellicum fuit, quo tecti milites audacius ad mœnia subibant. *Idem.*

Spissius] Hæc meliores libri: alii *serius* habent, eadem sententia; nam 'spisso,' præter densitatis notionem, etiam tarditatis est, ut multis exemplis probavit Nonius Marcellus. *Cellar.* Et quoniam 'spissis' liquida opponuntur, factum est, ut 'liquido' pro 'facile' usurpetur. *Manut.*

(11.) *M. T. C. Imp. M. Cælio, Ædili Curuli, S. D.*

Anno U. C. 702.

Vestra oratoria] Jocatur; quia Cælius quoque locum inter oratores obtinebat. *Manut.* Vide infra, ad Epistolam primam libri octavi.

De pantheris] Quas Cælius petierat, ut ludis suis, id est, Romanis, daret. Epist. viii. 2. 4. 6. 7. 9. *Id.*

Insidiarum] Ludit eleganter, et suæ laudis aliquid admiscet, quasi hæ feræ doleant se non sentire solas felicitatem provinciæ præside Cicerone, et cum latronem aut insidiatorem nemo ibi metuat ob vigilantiam et justitiam proconsulis, sibi tranquillis esse non licere, sed insidiis patere venantium. *J. F. Gronov.*

In Cariam] Quæ extra Ciceronis jurisdictionem esset. *Cellar.*

Ipsis Megalensibus] Et Megalenses et Romani ludi ad ædiles curules pertinebant; ut in Dione legimus, lib. xxxix. Dies igitur Megalensium, qui dabantur Aprili mense, Ciceronem admonebat ludorum Romanorum, quos Cælius Septembri mense daturus erat. *Manut.* De ludis Megalensibus, sive Megalesiis, Livius xxix. 14. Ovid. Fast. iv. 179. &c.

(12.) *M. T. C. Imp. M. Cælio, Ædili Curuli, S. D.*

Anno U. C. 703.

Quinquatrus] Dictum fortasse nominandi potius, quam, ut alii putarunt, generandi casu. Mallem tamen *Quinquatribus:* ut intelligatur dies, quo gestæ sunt res, non quo allatæ, cum inferat, 'citeriora nondum audiebamus.' *Quinquatrus* autem, quinque dies festi fuerunt, Minervæ dicati. Ovid. Fast. iii. 'Una dies

media est, et fiunt sacra Minervæ, Nomina quæ a junctis quinque diebus habent.' Varro 'Quinquatrem diem' ait appellatum, quod erat post diem quintum Id. Mart. id est, XIV Kal. Apr. et quanquam ex Ovidio constet, *Quinquatrus* fuisse quinque dies; tamen, cum Cicero *Quinquatrus* nominat, non semper eos omnes dies, sed interdum primum duntaxat eorum significat, ut Fam. XII. 25. et ad Att. IX. 9. *Manut.*

Diogenes tuus, cum Philone] Diogenes Græcus, amicus Cælii, non libertus; Philo autem libertus. Epist. VIII. 7. *Idem.*

Pessinunte] Pessinus, oppidum Phrygiæ, clarum templo Matris Magnæ Deum, cujus ad urbem Romam translata statua est, ad Ciceronis provinciam pertinuit; qui duas in majore Phrygia διοικήσεις habuit, unam ultra Mæandrum flumen, alteram citra. *Idem.*

Satis] Pro omni triumpho duco, non tamdiu abesse a meis. *J. F. Gronov.*

(13.) *M. T. C. Imp. M. Cælio, Ædili Curuli, S. D.*

Anno U. C. 703.

Simultatem] Susceptam ex eo, quod frater ejus P. Clodius capitali odio a Cicerone dissideret. *Manut.*

Phania] Appii libertus, de quo Fam. III. 1. Hunc autem vocat *comicum testem*, κωμικὸν μάρτυρα, nullam aliam ob causam, quam ob nomen personis scenicis imponi solitum. *Gronov.* Obs. Eccl. cap. 2.

Pompeii] Cujus filius filiam Appii habebat uxorem. *Corrad.*

Brutum] M. Brutum, Appii item generum. *Idem.*

Collegam meum] In auguratu. *Idem.*

Collegii laude] Cum scripsit Appius de jure augurali; quos libros ad Ciceronem misit. Itaque hic subjungit, 'studiosum mei.' Vide Epist. III. 9. et 11. *Manut.*

Te audisse aliquid] Quasi acta ejus in provincia successor rescidissem, et sic ei me parum æquum et benevolum demonstrassem. *J. F. Gronov.*

Genus institutorum] Est quædam diversitas inter meum et illius propositum atque institutum in regenda provincia. *Idem.* Hæc de re scripsit ipse ad Appium III. 8. et ad Att. I. 6.

Dolabellæ] Qui Appium reum fecerat. Vide Epist. VIII. 6.

Veternus] Nimium quoddam otium, et negotiorum intermissio. Epist. VIII. 6. *Corrad.*

Congelasse] Curionem tribunum pl. adeo nihil movere, ut videatur defixus vel immobilis factus, instar aquæ congelatæ. *J. F. Gronov.*

Chirographo] Cum in reliqua Epistola amanuensis opera usus esset. *Manut.*

Locupletaram] Qua ratione civitates locupletaverit, ostendit Epist. ad Attic. VI. 2. *Idem.*

Superioris lustri] Provinciales homines vectigalia publicanis debebant superioris etiam lustri; quæ ut libenter solverent, Ciceronis opera et auctoritate factum est. Qua de re in eadem ad Att. Epist. *Idem.*

In Ciliciam] Ut ibi reliquam jurisdictionem absolveret. *Idem.*

Militaremque rem collocassem] Erat enim præsidium relinquendum, si quid Parthi conarentur. *Idem.*

(14.) *M. T. C. Imp. M. Cælio, Ædili Curuli, S. D.*

Anno U. C. 703.

Ejus negotium] De Herculanensi fundo, quem proscriptum a fratre Q. Fabio esse, cum quo communem habebat, in Asia audivit. Epist. IX. 25. *Cellar.*

Magnos patronos] Jocatur, Cælium in magnis causidicis ponens, qui leviores causas, ut Fabii erat, non suscipiunt, sed homicidii, majestatis,

magnorumque criminum reos tueantur. *Idem.* Ut Epist. 11. cum dixit, 'ista vestra oratoria.'

(15.) *M. T. C. Imp. M. Cælio, Ædili Curuli, S. P. D.*

Anno U. C. 703.

Supplicatione] Diis decernenda, Ciceronis nomine, pro victoria.

Is] Hirrus, Ciceronis competitor in auguratu, et Cælii in tribunatu.

Ei] M. Catoni. *Manut.*

Quæ sequuntur] Triumphum significat, qui plerisque post supplicationem dabatur. *Idem.*

Ea] Vitia quædam Dolabellæ, quibus illum sibi antea parum utilem fuisse, et emendatum iri pudore Tulliæ, scripserat Cælius. *Idem.*

Cui tuæ epistolæ respondeant] 'Respondere' valet hic, consentire, convenire. Scio, cum qua congruat hæc epistola. Est autem ordo: Scio, cui tuæ epistolæ respondeant ea, quæ scribis Tulliæ meæ prudentia temperari posse. Ut dandi casu *tuæ epistolæ* dictum sit, non nominandi, ut acceperunt ii, qui elegantissimum loquendi genus non agnoverunt: unde temeritas, mutandique libido nata est. *Idem.*

Ex tuis litteris] Sensus est: Cujus argumentum petii et hausi ex tuis litteris.

Honestum] Hoc est: Volo Cæsaris dignitatem salvam et inviolatam manere. *Grav.*

In qua tu non valde te jactas] In qua tu non multum laboras et contendis, non multum ejus rebus et negotiis te immisces, sed quiescis quasi. Cælius ad Ciceronem ad Fam. VIII. 10. 'Curionem video dupliciter se jactaturum: primum ut aliquid Cæsari adimat, deinde ut aliquid Pompeio tribuat.' *Idem.*

Cælium] C. Cælium, ad quem scribit Epistolam ultimam hujus libri. *Manut.*

Omnium fere exemplo] Plerique enim, de provincia decedentes, præponere quæstorem solebant. Epist. 18. *Idem.*

Pontinius] Qui legatus fuerat Ciceronis, et Cælium honore superabat, non quod legatus, sed quod prætura gesserat, atque etiam de Allobrogibus triumphaverat. *Idem.* Alias *Pontinus.*

Duorum] Pompeii, et Cæsaris.

Omnes Cassios Antoniosque] Q. Cassium Longinum, Pompeii in Hispania quæstorem, intelligit, et M. Antonium, in Hispania Cæsaris quæstorem, auctore Dione lib. XLV. *Corrad.*

Complexi sunt] Sunt qui in sensu horum verborum tradendo non parum decepti sint; non enim narrat Cicero, se idcirco Cælium præposuisse provinciæ, quod vellet sibi gratiam reliquorum ejusdem familiæ conciliare, neque arbitratur Pompeium et Cæsarem id consilium in præficiendis quæstoribus sequutos fuisse: sed inquit, se id pene fecisse coactum exemplo potentissimorum virorum, qui quæstores suos omni ratione qua potuerunt, ornarunt, et illorum gratiam omni benevolentiæ genere iniverunt; id enim est *complexi sunt.* Nisi enim quæstorem et ipse præposuisset, timebat illum iratum, qui iniquo animo tulisset se honorem illum a Cicerone impetrare non potuisse, quem antea quæstores Cassius et Antonius a suis procoss. et impp. accepissent. *Victor.*

De Ocella] Vide Epist. VIII. 7.

In actis] Quibus urbanæ res singulorum dierum scribebantur. *Manut.*

Matrinio] Qua de re agatur, interpretes non docent; sed volunt hunc fuisse ædilitium Cælii scribam.

(16.) *M. T. C. Imp. M. Cælio, Ædili Curuli, S. P. D.*

Anno U. C. 704.

Tuæ litteræ] Epist. VIII. 16.

Ab excitata fortuna ad inclinatam]

Excitata Cæsaris, *inclinatam* Pompeii, cum Cæsar Italiam, ejecto Pompeio, teneret. *Manut.*

Florentissimi hominis] Cæsaris.

Nomenque imperii] Nomen imperatoris, quod victoria meruerat: lictoresque et fasces laureati. *Cellar.*

De profectione] Ad Pompeium, in Græciam. Jam enim mare transierat. *Manut.*

Prædiola] Propinqua mari: de quibus vide Epist. XIV. 14. et 28. *Idem.*

Quod ...facillime] Id est, quod in maritimis prædiis libenter maneo, quod valde delector villis meis, quæ mari propinquæ sunt; non existimantes me id facere inductione animi, suspicantur me id facere quod navigationem expectem, et hinc avolare cupiam. *Corrad.*

Contra eum] Cæsarem. *Manut.*

Satisfecisse] Quod adhuc me cum Pompeio non conjunxerim, nec interesse bello voluerim. *Idem.*

Ab eo] Et in quo standum mihi esset ab eo, vel ab ejus partibus, nempe Pompeio. *J. F. Gronov.* Fortasse *ad eum*, scilicet Pompeium, cui satisfacere nunc non possum, quia nimis sero venio. *Græv.*

T. Ampii] Balbi, ad quem scribit Epist. VI. 12. Cujus sermo haud dubie minax et immoderatus de bello utique gerendo. Unde Cæsariani hunc T. Ampium 'tubam belli civilis' post victoriam appellabant. *J. F. Gronov.*

Libertate] Accusatione Appii Pulchri, qua Pompeium, Brutum, aliosque offenderat. Sic legunt et interpretantur Lambinus, Grævius, Cellarius. Alii vero legunt *liberalitate.* Erit liber Dolabella, inquit J. F. Gronovius, ab iis molestiis, hoc est, a vexantibus creditoribus, propter æs alienum, cui eum immodici sumptus illigarant. Cessabant enim judicia bello civili. Sic Manutius quoque.

Hispaniensem casum] Eventum belli Cæsaris contra Pompeii in Hispania legatos, Afranium et Petreium. *Cellar.*

Astute] Astute agerem, si exitum Hispaniensis belli expectarem, ut ex eo vel manendi, vel discedendi consilium caperem; manendi, si Cæsar vinceret; discedendi, si duriore fortuna idem uteretur. *Manut.*

Togam prætextam] Vestem consularem. Parari consulatum Oppio, uni comitum Cæsaris, quem salva rep. non erat habiturus. *J. F. Gronov.*

Dibaphum] Auguratum arbitror. *Manut.*

Infector] Vel de Cæsare dicitur, vel de ipso populo, cujus suffragiis hoc tempore auguratus dabatur lege, quam tulerat T. Atius Labienus. *Idem.*

Suadeo videas] Velim cures.

(17.) *M. T. C. Imp. Caninio Sallustio Proquæstori S. D.*

Anno U. C. 703.

De rationibus referendis] Lex Julia, quam C. Julius Cæsar consul tulerat, provinciarum rationes referri jubebat. Eam legem, quia contra auspicia lata esset, Bibulus, Cæsaris inimicus, servare nolebat: quem Sallustius decreverat imitari. Epist. V. 20. et Orat. in Pisonem. *Manut.*

Minus commodos] Cum aliqua contumelia, parum gratos. *Idem.*

Quæstores urbanos] Ad quos, Romam reversus, prædam in bello factam deferre cogitabat. Hoc modo conjungendum: Præter quæstores urbanos, ne teruncium quidem tacturus est quisquam. *Manut.*

Misericordia] Bibulo duobus filiis orbato. De quibus Val. Max. IV. 1. *Idem.*

Permutaretur] Alibi solvatur.

Alariis] Erant in exercitu duo genera equitum, legionarii, et auxiliares. 'Alarii' dicebantur auxiliares, quod iis, tanquam alis, pedites tege-

rentur. Cincius apud Gellium: 'Alæ dictæ exercitus, equitum ordines; quod circum legiones dextra sinistraque, tanquam alæ avium corporibus, locabantur.' Et Servius in illud Virg. Æn. IV. 'Dum trepidant alæ,' subjunxit hæc: 'Alæ, equites, ob hoc 'alæ' dicti, quia pedites tegunt alarum vice.' *Manut.*

Transpadanis] Trans Padum lectis, ut contra Parthos mitterentur. *Idem.*

(18.) *M. T. C. Imperator Q. Thermo Proprætori S. D.*

Anno U. C. 703.

Ignominia] Si provinciæ non præponatur, cum decedes. Nam quæstor legatos honoris gradu superabat. *Manut.*

Neminem] Legatorum. *Cellar.*

In Ciliciam] Erat igitur in Asia; cujus tres diœceses provinciæ suæ attributas esse, scribit Epist. XIII. 67. Erat autem Laodiceæ, ubi mansit ad Idus Maii: quod significat Epist. ad Att. V. ult. et VI. 2. ad eundem. Ergo scripta est epistola non quibus consulibus Cicero ivit in provinciam, Sulpicio et Marcello, sed quibus decessit, Paulo et Marcello. *Manut.*

Posteritatis otio] Posteri temporis otio. *Posteritas* enim non solum posteros, verum etiam posterum tempus ostendit: ut Orat. I. in Catilinam: 'Si mea voce perterritus ire in exilium animum induxeris; video, quanta tempestas invidiæ nobis, si minus in præsens tempus, recenti memoria scelerum tuorum, at in posteritatem impendeat.' Et infra ibidem: 'An invidiam posteritatis times?' *Idem.*

(19.) *M. T. C. Imp. C. Cœlio L. F. C. N. Caldo, Quæst. Des. S. D.*

Anno U. C. 703.

Quæcunque] Alibi ponitur pro 'omnia quæ,' subsequentibus duobus verbis, ut, 'Quæcunque facis, mihi grata sunt;' hic pro 'omnia,' simpliciter, unico subjuncto verbo, quidquid garriat inepta grammaticorum turba. Ubi enim eorum auctoritate, qui Latini sermonis usu et scientia floruerunt, probari aliquid posse video, quisquilias contemno. Sic ad Att. III. 21. 'Te oro, ut, si quid erit, quod perspicias, quamcunque in partem, quam planissime ad me scribas.' Et in Catil. II. 'Quæ sanari poterunt, quacunque ratione sanabo.' De Oratore: 'Permultos excellentes in quocunque genere videbis.' *Manut.*

Maxime tua] Quia cogitabat eum decedens provinciæ præponere, (Epist. 15. et ad Att. VI. 4.) cum de quæstore Mesciuio bene non existimaret, ut ibidem ostendit; et Epist. 3. ejusdem libri. *Idem.*

LIBER III.

(1.) *M. T. C. Appio Pulchro Imp. S. D.*

Anno U. C. 702.

Appio] Ejus App. Clodii filio, qui cum P. Servilio Isaurico consul fuerat, anno urbis 674. *Manut.*

Pulchro] Gentis Claudiæ fuere Pulchri, Nerones, Marcelli; patricii Pulchri et Nerones, plebeii Marcelli. Quod Asconius aliique tradiderunt. Nobilitatam hanc gentem duobus de triginta consulatibus, dictaturis quinque, censuris septem, triumphis sex,

duabus ovationibus, in Tiberii Vita Suetonius dixit. *Idem.*

Providentius] Dixit, pro, majoris cautionis. Possunt enim in alienas manus litteræ pervenire. *Idem.*

Caruimus] Ob inimicitias P. Clodii, Appii fratris, qui anno proximo perierat, a Milone interfectus. *Idem.*

Non invita Minerva] Haud imperite, cum benevolentibus Diis, atque adeo non infeliciter. Simul alludit ad vulgare proverbium, quo et utitur Off. I. 31. et Fam. XII. 21. et quod ipse Minervæ, ut patronæ ac peculiaris Deæ, consilio Catilinariam conjurationem extinxisse videri volebat, dedicaveratque in Capitolio signum, ΑΘΗΝΑι ΡΩΜΗΣ ΦΥΛΑΚΙ. Vide Plutarch. in Cic. Vit. Unde et inimici objiciebant, quasi gloriaretur Minervam omnes eum artes docuisse, ut apparet ex Declam. sub nomine Sallustii. Sed latet ἀλληγορικόν τι. Nam si priora inspicias, *non invita Minerva* est approbante ipsa rep. quasi adderet, quod prius non poteram, cum tu hostem reip. et bonorum fratrem tuum foveres. Ille autem tum, cum hæc scribebantur, jam perierat, quippe A. U. C. 701. Pompeio III sine collega, a Milone occisus. Sed hoc ne nimium pateret, offenderetque Appium, subjungit quæ sequuntur: ad quæ si referas τὸ *non invita Minerva*, explicari potest, non sine litteris nostris; et tacite promittit, se eum honoraturum dedicatione alicujus scripti, perinde ut Appius ad Ciceronem de auguratu scripserat. *J. F. Gronov.*

De tuis sumpsero] Ambiguum relinquit, monumentis intelligi, velit, an litteris vel scriptis. Erat monumentum Clodiorum in foro, in quo essent statuæ Dearum, et ut videtur, inter illas Minervæ, quæ *Appiades* dicebantur. Ovidius de Arte III. 452. 'Appiadesque Deæ;' et de Arte I. 81. de Remedio vs. 660. Convenit etiam intelligere *litteris*. Quasi enim sibi domi non esset Minerva, sed contra curta scribendi supellex, dicit se ab Appio Minervam mutuam sumpturum, hoc est, ex illius scriptis animum, et facultatem scribendi (ut poëtæ ex Homero, quasi quodam Helicone) accepturum, et deinde Deam, quæ subministraverit ingenium sibi, non Pallada, sed Appiada vocaturum, quippe quam Appio deberet. *Idem.*

Melius enim ei cavere] Hoc dicit: Ego volo ei cavere, ne si non jurisconsultus esse appareat, hoc ei sit fraudi apud te, et dedecori. Notissimum enim est proprie jurisconsultos dici 'cavere alicui,' cum provident consilio, scriptove, sollemnibusque formulis instruendo, ne quis in contrahendo decipiatur. Ovid. de Arte Am. 'Illo sæpe loco capitur consultus amore, Quique aliis cavit, non cavet ipse sibi.' *Græv.*

(2.) *M. T. C. Proconsul Appio Pulchro Imp. S. D.*

Anno U. C. 702.

Contra voluntatem meam] Deposuit enim provinciam consul, qua de re in Epist. V. 2. Ad Catonem vero Epist. XV. 4. 'Provinciam ornatam, et spem triumphi non dubiam neglexi.' *Manut.* Vide Orat. in Catil. IV. initio.

Voluptatem] Cum officii me tui memorem, gratumque cognosces. *Idem.*

(3.) *M. T. C. Appio Pulchro S. D.*

Anno U. C. 702.

Præsidio] Ob metum Parthici belli. *Manut.*

Bibuli] Cui Syria obtigerat, post Crassum a Parthis interfectum. *Idem.*

Legionibus] Plutarchus cum Cicerone in Ciliciam ivisse narrat duodecim millia peditum, duo millia, et sexcentos equites. Quanquam in equitum numero suspicor esse men-

dum. Non enim cum duabus legionibus tantus videtur equitatus esse potuisse. Nisi si sexcenti Romani, reliqui omnes auxiliarii, extra ordinem, metu scilicet Parthici equitatus, qui post Crassi necem imminere Romanis provinciis videbatur. *Idem.*

Integrum] Vide infra, Epist. VI. Aberant tres cohortes. *Idem.*

C. Pontinium legatum] Prætorium, ac triumphalem. Hunc Πομπίνον, et Πομπτίνον Græci libri nominant: ex Latinis alii *Pomptinum*, alii *Pomtinum;* nonnulli, quos secutus sum, *Pontinium*, ut inter Romanas gentes, quæ in *ius* desinebant, agnoscatur. Ciceronis Ciliciæ proconsulis quæstores fuere L. Mescinius, Cn. Volusius, C. Cælius; legati, Q. Cicero ejus frater, C. Pontinius, M. Anneius, L. Tullius; tribunus mil. Q. Fufidius; præfectus evocatorum, Antonius; præfectus fabrum, Q. Lepta; scriba, M. Tullius; accensus, Pausanias; interpres, M. Marcilius. De quæstore Mescinio, Epist. V. 19. et 20. lib. XIII. 26. XVI. 6. De Volusio, ad Att. V. 11. De Cælio, qui paucis diebus ante, quam Cicero decederet, in provinciam venit, Epist. lib. II. 19. et ad Att. VI. 5. De legatis, Epist. XV. 4. De tribuno mil. Epist. XIII. 12. De præfecto evocatorum, Epist. III. 6. De præfecto fabrum, Epist. III. 7. De scriba, Epist. V. 20. De accenso, Epist. III. 7. De interprete, Epist. XIII. 54. *Manut.*

(4.) *M. T. C. Appio Pulchro S. D.*

Anno U. C. 702.

Tuam mihi existimationem] Merito hoc promittit: erat enim in potestate successoris, si vellet, decessorem graviter onerare ac lædere, acta ejus rescindendo, quod et fecit Cicero, dum justitiæ studet, sed quam lenissime poterat. *J. F. Gronov.*

Libro augurali] De augurum disciplina scripto: de quo fit mentio Epist. IX. et XI. et apud Festum. *Munut.*

Duarum ætatum] Senescente jam Pompeio, Bruto juvene. *Idem.*

Tam honorifice a te approbata] Cui præsertim tuum honorificum et luculentum testimonium dederis, libro de Augurali Disciplina mihi dicato. *J. F. Gronov.*

(5.) *M. T. C. Appio Pulchro S. D.*

Anno U. C. 702.

Tralles] Urbem Lydiæ. *Manut.*

Neque enim obscuris personis] Proprie *obscuris personis.* In theatrum enim veniunt histriones larvas induti, quæ quos significent, ignorant spectatores. Ubi occasio erit demonstrandi, quis tibi vere faveat, quis simulet; partes geremus, quas omnes facile intelligent esse amici. *J. F. Gronov.*

Quod classe tu velles] Id est, quoniam classe tu velis decedere; nam 'dixit quod velles,' pro 'dixit te velle,' Latinum non est. Sensus est: Dixit me serviturum commodo tuo, si accessissem ad maritimam provinciæ partem, quoniam tibi constitutum esset mare transire. *Per fore accommodatum tibi* elegantissime, pro 'peraccommodatum,' ut Orat. I. 47. 'nobis vero ista pergratà sunt perque jucunda.' *Idem.*

Tua ratio] *Ratio* non est voluntas, non negotium, non consuetudo, non consilium: quid igitur? unico verbo non satis videtur explicari posse: hic quidem, *Tua ratio postea est commutata*, valet, mutasti quod te facturum ostenderas; non eadem fuit sententia tua. *Manut.*

Ad Iconium] Lycaoniæ urbem, ubi erant castra. *Corrad.*

(6.) *M. T. C. Appio Pulchro S. D.*

Anno U. C. 702.

Ad Sidam] Side, vel Sida, Pamphyliæ urbs maritima cum portu.

In prima provincia] Hoc est, in prima regione provinciæ. Sic 'ultima provincia' est extrema regio provin-

ciæ. Cic. ad Att. v. 16. 'Appius ut audivit nos venire, in ultimam provinciam se conjecit.' *Græv.*

Ad decedendum] Lex Cornelia, L. Syllæ dictatoris, concedebat rectoribus provinciarum, ut per triginta dies post successoris adventum in provincia morari possent. *Manut.*

Et est in multis] Abest hoc a meo vetere libro; et sane glossema esse potuit antecedentium verborum. *Idem.*

Forum Tarsi agere] *Forum agere* est conventum in provincia juris dicundi gratia habere. 'Fora' enim fuerunt loca in quibus jus dicebatur, teste Nonio. *Græv.*

Evocatorum] 'Evocati' erant emeriti maximam partem, qui expletis stipendiis, in gratiam ducum aut consulum militiam sumebant, et, ut auctor est Dio, vices instar centurionum gerebant. Erant immunes operum et munium. Iis præerat præfectus, ut ex hoc loco apparet. Vide Lips. de Milit. Rom. Dial. I. 8. *Græv.*

Cohortes] Quas secum Appius habebat. Nam exercitus universus erat in Lycaonia, unde abesse dixit tres cohortes. Vide Epist. xv. 4. *Manut.*

Ego in provinciam veni prid. Kal. Sex.] Laodiceam, quæ non erat in Appii provincia, sed inter τρεῖς διοικήσεις Asiaticas Ciceroni attributas: et ideo Ciceronem Appius salva lege Cornelia poterat convenire. *Corrad.*

Per Cappadociam] Nam et alia erat, eaque brevior, in Ciliciam via: quam cur omiserit, exponit Epist. xv. 4. *Manut.*

Castra movi ab Iconio] 'Movere castra' dicuntur imperatores, cum locum mutant, alioque proficiscuntur. Hinc sumpta metaphora Virgil. Æn. III. 519. 'Dat clarum e puppi signum: nos castra movemus, Tentamusque viam.' *Glandorp.*

(7.) *M. T. C. Imp. S. D. Appio Pulchro.*

Anno U. C. 703.

Imp.] Sic est inscribendum, non *Procos.* Scripsit enim, ut ipse ait, hanc Epistolam Laodiceæ, quo se contulit æstivis confectis, id est, Amaniensibus victis, qua victoria imperator appellatus est, et Pindenisso capto. Fuit autem Laodiceæ a III Id. Febr. usque ad non. Maii: quod Epist. ad Att. VI. 2. ostendit. *Manut.*

Legati Appiani] Magna semper varietate scriptus est hic locus, cum nonnulli *Apamæani* pro *Appiani* legerent; sed falso, ut puto: nam et *Appiani* ubique habent veteres codices, et hos populos esse provinciæ, cui Cicero præerat, docet Plin. v. 29. his verbis: 'Alter conventus a Synnada accipit nomen: conveniunt Lycaones, Appiani, Cercopeni, Dorylæi, Midæi, Julienses, et reliqui ignobiles populi xv.' Cum igitur vetustissimorum codicum lectio, ratione, et optimorum auctorum testimonio confirmetur, non video cur temere mutanda sit. *Victor.* Harduinus non *Cercopeni*, sed *Eucarpeni.*

Ædificationem] Monumenti, vel templi in honorem Appii, quasi Appius quidam servator et Deus provinciæ fuisset: ut fieri solebat. Ad Att. v. 21. 'Nullos honores mihi, nisi verborum, decerni sino: statuas, fana, τεθριππα prohibeo.' Suet. Oct. 52. Tib. 26. *J. F. Gronov.*

Accenso meo] Apparitorum multa genera, inter quos accensi quoque erant, dicti, quod sæpius ad necessarias res accirentur, ut ait Varro. *Manut.*

Ambitiosius] Studiosius: cum nullum officii genus soleam prætermittere. *Manut.*

Quidni] Ciceronis, non Appii verba ideo parenthesi includenda. *Id*

Appius Lentulo] Appius succedens Lentulo decedenti. *Idem.*

Urbanitate, quæ est virtus] Multum huic nomini tribuisse Stoicos ostendit etiam Plutarchus in commentario, quo declaravit, quomodo deceat adolescentes legere poëtas: diversam enim et penitus contrariam vim apud illos habere ἀστεῖον nomen alteri quod est ἀμαθὴς, intelligitur ab eo qui locum eum Plutarchi accurate animadvertit: disserit autem quemadmodum Stoici nihil commune esse judicarent virtuti ac vitio: et quemadmodum Urbanus apud illos (ita autem vocabant virtute præditum) omni culpa vacaret, et omnes res recte facere posset. Imperitus autem (id erat apud illos vitiosus) omnibus criminibus obnoxius esset, et in omni semper negotio laberetur. Verba ipsius hæc sunt: Πολλὰ πάνυ τοῖς Στωικοῖς, κ. τ. λ. Hæc adnotasse mirifice utile esse credo ad hujus loci perspicuitatem. *Victor.*

Appietatem] Productione nominis fit sonitus auribus ingratus; et simul ipsa res, nomini subjecta, deformatur. Appius autem novum Ciceronis nomen, præ suo Lentulique contempserat. Quam superbiam irridet Cicero, Claudiæ familiæ insitam, ut ex omni patet historia, et his maxime Taciti verbis lib. I. 'Tiberium Neronem, maturum annis, spectatum bello, sed vetere atque insita Claudiæ familiæ superbia.' *Manut.*

Ut, quid sit εὐγένεια, quid sit nobilitas, intelligas] Ut intelligas, utrum idem sint, an inter se differant εὐγένεια, et *nobilitas.* Quasi dicat: Falleris, cum vel te putas, quia sis εὐγενὴς, hoc est, *claro genere natus,* ideo nobilem esse; vel me, quia non sum εὐγενὴς, propterea nobilem esse non posse. Potest enim εὐγένεια esse, ubi non sit *nobilitas;* et *nobilitas,* ubi non sit εὐγένεια. *Nobilitas* enim a majoribus non accipitur, sed virtute, magnisque in rempub. meritis comparatur. Hæc fuit Athenodori sententia, quam homo novus Cicero libenter probat. Aristoteles autem in Politicis libris nobilitatem in majorum claritate, et in opibus ponit. *Manut.*

Sandonis filius] Patris nomen adjunxit, ut eum distingueret ab altero Athenodoro, ejus æquali. Nam, ut ait Strabo lib. IV. Athenodori duo fuere: quorum alter, qui Cordilio vocatus est, cum M. Catone vixit, et apud eum obiit: alter vero, Sandonis filius, quem et Cananitam a quodam vico appellant, Cæsaris Augusti præceptor fuit. De hoc ipso Athenodoro Suidas mentionem facit: et idem Sandonem philosophum nominat, hujus, opinor, Athenodori patrem. *Idem.*

Laborarim] Cum aliis in rebus, de quibus Epist. IX. tum in supplicatione tibi decernenda, de qua Epistola ultima. *Idem.*

Certo judicio susceptam] Eo susceptam animo, ut perpetuo conservarem. Hoc dicit, ne videatur ficte in gratiam rediisse; quod suspicari Appius videbatur, cum in malam partem acciperet ea, quæ minime contra ejus existimationem a se fieri Cicero voluerat. *Manut.*

(8.) *M. T. C. Proconsul S. D. Appio Pulchro.*

Anno U. C. 702.

Cum ad urbem esses] *Esse ad urbem* dicebantur, qui cum potestate provinciali aut nuper e provincia revertissent, aut nondum in provinciam profecti essent. Sic enim scripsit Asconius: eoque modo Cicero, Sallustius, et alii ejusdem ætatis locuti. Solebant autem, qui ob res in provincia gestas triumphum peterent, extra urbem exspectare, donec, lege lata, triumphantes urbem introire posseut. Et de triumpho Appium cogitasse, ex Epist. 10. cognoscitur; ne triumpharet, accusatione Dolabellæ factum est. Epist. VIII. 6. *Manut.*

Hominum provincialium] Quibus de meo in te animo falsa narrantibus credidisti. Phryges et Lycaones nominat Epist. 10. *Idem.*

Ex superiore, et ex æquo loco] Et pro tribunali, et privatis in locis, sive ut supra, 'in conviviis.' *Idem.*

Ad legatos] Questus erat Appius, quod legatos civitatum Romam ire, ut Appium in senatu laudarent, prohibuisset. *Idem.*

Totum genus legationum] Hanc unam ob causam legatos Romam ire, ut te laudarent, nesciebam. *Idem.*

Ut nunc loquimur] Non quod 'urbanus' novum esset verbum, cum eo Plautus quoque non semel usus esset; sed quod nova significatio. Quod enim peregrini homines ab urbanis morum elegantia et lepore vincebantur; inde cœptum Ciceronis ætate, 'urbanus homo' dici, pro eo, cujus in factis aut dictis nihil odiosum, nihil inconditum, nihil turpe notaretur. Epistola etiam proxima urbanitatem in Appio laudavit. *Manut.*

Synnadis] Oppido Phrygiæ.

In ea enim civitate] Ex his verbis, proxime legendum *Synnadensium*, non *Myndensium*, conjicio: cum dixerit jam, *idque me arbitror Synnadis pro tribunali multis verbis disputavisse.* Manut.

Legitimo] Quantum lex Cornelia concedebat. Epist. 10. *Idem.*

Edictum] Ex quo in provincia jus dicerem. *Idem.*

Translatitium est] Usitatum, quod ad omnes consuetudine transfertur. Hæc igitur est sententia Ciceronis: Quod edixi, ne legati Romam injussu meo proficiscerentur; ex quo suspicatus es, me exquisivisse aliquid, in quo te offenderem; novi nihil feci, aut a me exquisitum, ut minuerem dignitatem tuam: translatitium id fuit, usitatum antea. Cum enim nec privatæ rei causa, nec ut homini privato, nec ut in privato loco, sed ut in senatu gratias tibi agerent, mitti legatos intelligerem; cur in eo me de tua privata contumelia cogitasse putas? Quod si tua privata res, non publica, ageretur; querendi fortasse de me si non veram, speciosam tamen causam haberes. Nunc, si privatæ rei causa legari credidissem, plane desipiens fuissem. *Manut.*

Nisi forte postea cœperunt legare] Cicero sic argumentatur: Nullam habuerunt causam me sequendi in castra magistratus urbium et diœcesium, qui tibi legationem decreverunt, cum ego per illorum fines iter fecerim, in iisque tam diu sim commoratus, ut possent me omnes commodissime convenire, et de illis legationibus mecum agere, quippe quas jam ante adventum meum constituerant. Ergo non necesse fuit quenquam hoc nomine me sequi in castra et trans Taurum, et nec ego quenquam edicto meo exclusi legatione, quod tu scribebas. *Græv.*

Commoratus] 'Biduum Laodiceæ, quatriduum Apameæ, triduum Synnadis, totidem Philomeli.' Sic enim scripsit ad Catonem xv. 4. Aliter tamen ad Att. v. 16. et 20. Commoratus autem, quia jus in iis oppidis dixit. 'Qua jurisdictione nihil æquabilius, nihil lenius, nihil gravius esse potuisse,' scripsit ad Att. v. 20. *Manut.*

Venditionem tributorum] Est, locationem et redemptionem, cum universa summa tributi præsens sumitur a publicanis ad hastam invitatis. *J. F. Gron.*

Capitum, atque ostiorum] Cum per singula capita atque ostia exiguntur tributa per eos, quibus vendita sunt. *Manut.*

Inducerentur sumptus] Ne propter sumptus minime necessarios, illæ per se satis graves exactiones onerarentur. Ne in eas sumptus inutiles imputarentur. Agrar. II. 26. 'Hic ager omnis, quoquo pretio emptus erit, tamen ingens pecunia vobis inducetur.' Verr. I. 14. 'Pecuniam grandem,

quemadmodum in rationem inducerent.' Infra, Epist. 10. *J. F. Gron.*

Per magistratus suos] Hoc adjunxit, ne perditas ab Appio civitates videatur dicere. Perditas tamen per Appium maxime, significat in Epistolis ad Att. atque hæc ipsa tributa memorat Epist. v. 16. *Manut.*

Negligens] Non potui esse facilis ac liberalis in decernendo hoc sumptu, sive permittendo, ut hunc, qui minime necessarius est, sumptum facerent. *Negligens* hic rara et exquisita significatione accipitur pro prodigus, effusus in sumptus, cui oppouitur *diligens*, hoc est, frugalis, parcus. Suet. Galb. 14. 'His diverso vitiorum genere grassantibus adeo se abutendum permisit et tradidit, ut vix sibi ipse constaret; modo acerbior parciorque, modo remissior ac negligentior, quam conveniret principi electo, atque illius ætatis.' Sicut 'acerbior' hic opponitur 'remissior,' sic 'parcior' opponitur 'negligentior.' Horum vitiorum sibi contrariorum exempla statim subjicit; negligentiæ quidem, quod a comitibus donari gratias, vectigalia, et immunitates passus sit. Ibid. cap. præcedenti: 'Ordinario dispensatori breviarium rationum offerenti paropsidem leguminis pro sedulitate ac diligentia porrexisse.' Diligentia hic est frugalitas, parsimonia, propria patrisfamilias virtus, qui 'diligentes' dicuntur, hoc est frugi. Cicero in Verr. iv. 'Diodorus homo frugi ac diligens, qui sua servare vellet.' Plaut. Amphit. iii. 3. 'Recte loquere, et proinde ut diligentem decet uxorem.' *Græv.*

Ad generum tuum Lentulum] Pompeius filius, et M. Brutus, generi hujus Appii, laudantur Epist. 4. Lentuli autem nusquam mentio, neque id nomen codices Græviani habent, estque suspectum Manutio; glossema Ursino, cui Grævius ad subscribendum pronus est. *Cellar.*

Quod iisdem diebus meus conventus erat Apameæ] Hoc est, quod iisdem diebus ego jus dicerem Apameæ. *Id.*

Callidius] Cum ironia. Potius enim stultitia quam calliditas est. *Manut.*

Quod te putem nolle dici] Legendum esse *quod te putem non nolle dici*, declarat id quod sequitur non longe admodum. Ibi, 'Hos ego sermones, quod et multi sunt, et tuam existimationem, ut ego sentio, non offendunt, lacessivi nunquam,' &c. Nam hæc verba, *quod te putem non nolle dici*, hanc vim habent, de quo te putem non laborare, si dicatur, quia scilicet existimationem tuam non lædat. Quod si liceret libris consentientibus reponere *quod te putem non valde nolle dici*, vel sic, *quod te putem non nimium nolle dici*, *&c.* multo magis probarem. *Lamb.*

Lædi se putat] Notat homines provinciales, qui non eosdem e Ciceronis institutis fructus caperent, quos ex Appii administratione capere consueverant. Huc spectat id, quod sequitur, *liberalitas tua latius in provincia*, *&c.* Alii legendum arbitrantur *lædi te putat*, discedentes primum ab antiquis libris, deinde etiam, ut mihi videor ostendisse, a mente Ciceronis. *Manut.*

Limavit] Μεταφορικῶς· minuit omnes inutiles sumptus quasi conferendo. *Victor.*

Ut sim dulcis mihi] Ut meæ laudi consulam. Aperta translatio, contrariis expressa, ut in Lælio: 'Scitum est illud Catonis, multo melius de quibusdam acerbos inimicos mereri, quam eos amicos, qui dulces videntur.' *Manut.* Hæc Gronovius charactere distinxit, tanquam ex veteri auctore desumpta verba. *Cellar.*

Sententia bima] Ut provinciæ per biennium ab iisdem obtinerentur. *Manut.*

Amanum] Quo in monte quæ gesserit, scripsit ad Cælium Epist. ii. 10. sed copiosius ad Catonem Epist. xv. 4. *Idem.*

Parthico ornatu] Quo plus terroris inferrent. Finitimi Syriis Arabes sunt: ideo facilis irruptio est. Epist. VIII. 8. *Idem.*

Hispaniam] Quam per legatos absens administrabat, acceptam lege Trebonia in quinquennium. *Idem.*

(9.) *M. T. C. Appio Pulchro S. D.*

Anno U. C. 703.

Appianorum] Vide Epist. 7.

Ἐπικούρειον] Esse hoc ejus hominis, qui Epicuri sententiam sequeretur, id est, qui ad se ipsum omnia referret, et in sua utilitate cuncta poneret. Vide Epist. VII. 12. *Manut.*

Si quid velis] Te rogant quæsitum num quid velis, num quid habeas ibi quod nunciari conficive velis. Erat propria et solemnis formula qua utebantur abituri, offerentes suam operam et ministerium ad quævis officia. Nihil frequentius apud comicos. *Græv.*

Longi subsellii judicatio] Est res, ad quam decernendam multi requiruntur qui judices sedeant, quæ a magno judicum consessu definienda est, ut hic senatus qui de triumphis judicabat. *Græv.*

Reliquum quod est promissi ac muneris] De libris auguralibus. *Corrad.*

Supplicatio] Pro rebus in Amano monte gestis, ex qua victoria imperator appellatus est. *Manut.*

Discessum senatus] Discedebat senatus Aprili mense, cujus fere dies omnes vel ludis dabantur, vel festi erant, vel comitiales, quibus haberi senatum non licebat. *Idem.*

Aliis rebus additis] Capto Pindenisso die quinquagesimo septimo, postquam oppugnari cœptum erat. *Idem.*

Æstivisque confectis] Cum in hiberna milites dimittuntur; nec jam bellum geri per anni tempus licet. *Idem.*

(10.) *M. T. C. Appio Pulchro S. D.*

Anno U. C. 703.

Ereptum] Dolabellæ accusatione factum, ut triumphi spem abjiceres, urbem ingressus ad defensionem. Vide Epist. VIII. 6. *Cellar.*

Suscepturum officia] Ne quis ex provincia Romam iret, ut adversus Appium testimonium diceret. Hinc illud Epistola sequenti: 'De mercenariis testibus, a suis civitatibus notandis . . . fiet a me, cum per Asiam decedam.' *Manut.*

Qui a te tractatus est] Cum tu cos. illi in petitione triumphi ex Allobrogibus victis, contra Catonem et Servilium prætores favisti. *Corrad.*

Laodiceam] Ut in provincia operam daret, ne testes in Appium Romam irent, ex quo patet, accusatum Appium de rebus in provincia gestis, quibus majestatem populi Romani læsisse videretur. *Manut.*

Amplitudo] Sic omnes Mss. quod cum durum nonnullis, sed perperam, videretur, *amplitudini* substituerunt. *Cellar.* Sensum facilius perspiciet, qui voces sic ordinabit: *Quin sollicitudo ista sit futura tibi amplitudo.* Quin ista sollicitudo incrementum tibi allatura sit amplitudinis ac dignitatis. Hoc ipsum est, quod ante dixit, putare se, Appio hunc laborem etiam honori fore. *Olivet.*

Si vero efficis, ut censores creentur] Quod si accidat, fore non dubitat, ut censor ipse Appius creetur. Itaque subjungit, *et si ita gesseris censuram.* Creatus autem est cum L. Pisone, in quem exstat Ciceronis oratio. *Manut.*

Una] Una inprimis. Habet enim non tam definiendi, quam augendi vim. *Idem.*

Adolescente] Dolabella. *Idem.*

Duobus capitis judiciis] Epist. II. 6. scripsit se Dolabellæ periculis non defuisse. *Capitis* autem judicium fuit, quo libertas aut civitas amitte-

batur. *Idem.*

Sermo stultus] Dictitabat fortasse, probari a Cicerone accusationem illam, hoc argumento, quod sibi tunc filiam suam collocasset. *Idem.*

Novam] Nuptiis filiæ conciliatam. *Idem.*

Non tam imperavi, quam censui] Non tam hoc imperii, quam judicii fuit. Non hoc pro imperio feci, sed quod ita faciendum censui. *Idem.*

Ad legem Corneliam] Sumptum videtur lex Cornelia definiisse, cum ad eorum laudem, qui provinciis præfuissent, legationes Romam mitterentur. Huc illud spectat, quod scriptum est Epist. 8. ' Laudaturum me, si quis suo sumptu functus esset officio; concessurum, si legitimo; non permissurum, si infinito.' *Idem.*

Rationes] Tabulæ publicæ, in quas accepti expensique ratio refertur. *Idem.*

Induxit] Usurpari solitum est hoc verbum in expensis perscribendis. Eodem modo locutus Orat. 2. in Rullum: ' Ut agros,' inquit, ' a vobismet ipsis emptos, quanti velletis populo Romano induceretis.' *Idem.*

Prope necesse esset] Quia frater tuus, P. Clodius, me oppugnaret. *Manut.*

Te Puteolis prosequerer] In provinciam proficiscentem: quod in more fuit. Epist. XIII. 6. ' Cum te prosequerer paludatum.' *Idem.*

Interiores] Secretiores, reconditæ, quæ ad minus multos pertinent.

Ne per imprudentiam quidem] In oratione pro Gabinio: ' Ego cum omnes amicitias tuendas semper putavi summa religione et fide, tum eas maxime, quæ essent ex inimicitiis revocatæ in gratiam: propterea quod integris amicitiis officium prætermissum, imprudentiæ, vel, ut gravius interpretemur, negligentiæ excusatione defenditur: post reditum in gratiam si quid est commissum, id non neglectum, sed violatum putatur; nec imprudentiæ, sed perfidiæ assignari solet.' *Manut.* Vide Epist. VIII. 9.

Sacerdotii] Auguratus. *Idem.*

Pro Milone] Reo ob necem P. Clodii. *Idem.*

Invidia] Quia suspicio fuit, consilio Ciceronis Clodium a Milone interfectum; idque Plancus et Q. Pompeius tribuni pleb. seditiosis concionibus persuadere populo conati sunt. *Idem.*

Armis denique texit suis] Exercitum eo tempore Pompeius in urbe habuit, ne quid respublica, ei commissa, detrimenti caperet. *Idem.*

Quæ a me profecta, quæque instituta sunt, cognosce. Atque hæc agimus] Ante hæc verba, *Atque hæc agimus*, multa desunt; quis enim non videat hunc locum esse mutilatum et decurtatum, desiderarique explicationem eorum omnium beneficiorum, quæ Cicero in Appium contulerit, quæque conferre instituisset? Non erimus in hoc longiores, satis enim rem signasse fuit: si quis nobis felicior locum hunc et antiquiore et minus lacero exemplari restituere potuerit, is a me et studiosis omnibus magnam gratiam inierit. *Victor.* *Cognosce* dixit, quia cum litteris commentarium mittebat de rebus a se pro Appio actis et agendis. Partem quidem ipsius Epistolæ desiderari nullam puto. *Manut.* Animadversionem suam pluribus confirmat Victorius in Posterior.

(11.) *M. T. C. Appio Pulchro (ut spero) Censori, S. D.*

Anno U. C. 703.

Pyramum] Fluvium Ciliciæ, qui ex Tauro monte in mare Pamphylium profluit, Issum versus. Strabo, lib. XII.

Permultum ante] Respuunt hoc aures meæ, cum Latini sermonis consuetudo *permulto ante* requirere videatur. Quanquam, Valla quid scrip-

serit, non me fugit. Sed in antiquis fere omnia, (quanquam, mendosa non esse, quis præstat?) non omnia tamen imitor. *Manut.* Unus Manutio Lambinus obtemperavit.

De ambitu vero] Dices forsan, Majestatis absolutus sum, sed adhuc de ambitu periclitor: quid interest, in ambitu hæream, an in majestatis crimine? Respondet Cic. *παρὰ προσδοκίαν.* Ad summam rei nihil interest; nam utrinsque idem erit exitus: absolveris ambitus perinde, ut absolutus es majestatis. *J. F. Gron.*

Alteram auxisti] Majestatem vero P. R. adeo non minuisti, ut etiam auxeris; vel, Tuam ipsius majestatem auxisti, postquam judicio majestatis absolutus es. *Idem.*

Veruntamen est majestas] Videat adversarius tuus, ne ipse majestatis reus sit; nam hujus legis caput est, ne viros honestos liceat contumeliose compellare. In ea re Augustus discipulus Syllæ fuit. Tac. Ann. I. 72. 'Primus Augustus cognitionem de famosis libellis specie legis ejus tractavit,' &c. *Idem.*

Voluit] Lege Cornelia.

Improbe] Improbus est, vel qui ambitum accusat, vel qui defendit. Cum enim largitio facta, aut non facta ignorari non possit; nemo vir bonus ejus delicti nomine quenquam accusabit, quo eum vacare satis liqueat. Rursus nocens reus improbe defendet, quod multorum testimonio probetur. Improbus igitur Dolabella, qui te de ambitu accuset, cujus honorum cursus nemini suspectus unquam fuit. Hoc totum pro Appio contra Dolabellam, generum suum, tempori serviens Cicero collegit: quod factum excusat in Epist. ad Cælium lib. II. his verbis: 'Quid, si meam legas, quam ego tum ex tuis litteris misi ad Appium? quid agas? sic vivitur.' *Manut.*

Ab ipsa rep.] Ab omnibus magistratibus et bonis. Hi enim resp.

Pompeii et Bruti] Unam ex duabus Appii filiis uxorem duxerat Cn. Pompeii filius, alteram M. Brutus. Epist. 4. Brutus vero et laudavit reum Appium, et defendit. Illud ex Diomede, hoc ex libro de Claris Orat. constat. *Manut.*

Notandis] Psephismate, vel senatusconsulto, aut decreto civitatum. Vide me ad Liv. XXVII. 25. *J. F. Gronov.*

Ad urbem] Eorum more, qui ex provincia cum imperio reversi ad urbem expectant, ut eis triumphus decernatur. *Manut.*

Tullius] Non videtur hic esse L. Tullius legatus, de quo Epist. XV. 3. et ad Att. V. 4. 11. 21. sed potius ex familiaribus Appii, quod Ciceronis verba demonstrant. Fuere igitur quinque Tullii. Præter Ciceronem nostrum, hic familiaris Appii, et L. Tullius legatus, et M. Tullius scriba, de quo Epist. V. 20. et L. Tullius Montanus, de quo Epist. ad Att. XII. 50. *Idem.*

Præter omnes meos] Contubernales, vel de cohorte mea. *J. F. Gronov.*

De proavo] Appio Claudio Cæco, qui solus toto quinquennio censor fuit. *Corrad.*

(12.) *M. T. C. Appio Pulchro S. D.*

Anno U. C. 703.

Tabellæ] Tabellis aut judices absolvebant, aut condemnabant, aut ampliabant. Hæc pluribus verbis Asconius.

De me autem] Quod autem ad filiam meam, accusatori tuo collocatam, pertinet; suscipe meam personam, ut putes te esse, qui ego sum: tum intelliges, mihi ignoscendum esse, nunc hæsitanti. Quia nec tu facile inveneris, quod dicas. Hæsito autem, quia neque possum dicere probari a me novam affinitatem, quæ cum accusatore tuo contracta sit; nec improbare debeo, ne malis ominibus

prosequar eam rem, quam tu quoque mihi prospere cupis evenire. *Manut.*

Sed ita cecidisse] Scribendum censeo *et ita cecidisse*. Sic enim cohæret oratio: prospero et opto. Ubi adversativa particula locum non habet. *J. F. Gronov.*

Agerentur eo tempore] Quo tu cum illo collisus es, ita ut viceris, quo facilius fore spero, ut me medio et interprete redeatis in gratiam. *Idem.*

Cum aliqua felicitate] Ex spe, te et Dolabellam reconciliandi. *Corrad.* Non hoc solum Cicero dicit, sed latius felicitatem vult patere. Spero felix futurum hoc conjugium cum in aliis rebus, tum in hoc etiam ut in gratiam redeas cum Dolabella. *Grævius.*

Opportunitas] Quæ sit, ut ego alterius amicus, alterius socer, hoc tuo tempore sim inter vos quasi interpres. *Corrad.*

Ea de re] De nuptiis. *Manut.*

Unum non vereor, ne tu parum] Una res leviorem curam meam facit, quod non dubito, quin satis intelligas, Tulliam esse desponsatam Dolabellæ me absente et ignorante, cum ut id fieret reperto commodo genero, Terentiæ et amicis Romæ relictis permisissem. *J. F. Gronov.* Veterum librorum, quos ego vidi, consensus movet me, ut de manuscripta lectione non dubitem, quæ *modo vereor* habet, pro eo, quod est in vulgatis, *non vereor.* F. Ursin.

(13.) *M. T. C. Appio Pulchro S. P. D.*
Anno U. C. 703.

Quam his artibus studiisque colimus] Sic Mss. quos inspexi. Et videtur multo elegantius. Quis enim nescit, bonis artibus et studiis vitam coli et ornari? *Græv.*

Nihil ad te] Habet rationem Appii dignitatis, quia pluris facere adolescens Dolabella Appii amicitiam, viri inprimis honorati, quam contra Appius Dolabellæ, debebat: accedebat æquitas; utrum enim decet, eum, qui injuriam intulit, an eum, qui accepit, de reconciliatione laborare? *Manut.*

Nostrum est onus] Ego efficiam, ut reconciliationis initia a genero meo proficiscantur. *Idem.*

Hac re novata] Quod mihi Dolabellam affinitate devinxerim. *Idem.*

LIBER IV.

(1.) *M. T. C. Ser. Sulpicio S. D.*
Anno U. C. 704.

Ad urbem] Ubi expectaret donec triumphus decerneretur. Vide Epist. III. 8. ubi de hac locutione dictum est.

Defensorem pacis] Nam, cum M. Marcellus consul et provincias Gallias ante legitimum tempus, et privilegium Cæsari, quod ei populus concesserat, ut absens consulatum petere posset, eripere conaretur; Sulpicius collega restitit; quod iniquum putaret ea rescindi, quæ populus jusserat; eamque fore civilis belli causam intelligeret. Ita Suetonius. *Manut.*

Post consulatum] Cum C. Marcellus, M. Marcelli frater patruelis, consul eadem in Cæsarem tentavit, ut scripsit Suetonius. Is enim consulatum ex Marci fratris auctoritate gessit, ut legitur in Epist. 9. cui succes-

sit L. Lentulus, et ipse Cæsaris causæ acerrimus adversarius. *Idem.*

Veneram] Ex provincia. Venit autem pridie non. Jan. L. Lentulo, C. Marcello coss. Abfuit igitur toto anno, quo C. Marcellus, Marci frater, cum L. Paulo consul fuit. *Idem.*

Ejus] Cæsaris. *Idem.*

Ut te imitarer] Ut irem in senatum; id enim Cæsar cupiebat. *Idem.*

Cum rogaret] Formiis: quod ex Epist. ad Att. IX. 17. et 18. intelligitur. *Idem.*

De pace] Ut ageretur de concordia Cæsaris et Pompeii. *Idem.*

De Hispaniis] Senatui non placere, Cæsarem in Hispanias contra Pompeii legatos proficisci. *Idem.*

Res videas] Vulgati plerique *rem vides quo modo se habeat.* Antiptosis.

Tamen propius accedam] E Campania et maritima ora, quæ me, ut voluit Pompeius, habet ἐπίσκοπον. *Corrad.* Vide Fam. XVI. 11. et 13. et ad Att. VII. 11.

Fortasse arrogo] Fortasse enim mihi assentor, cum mihi tantundem, quantum tibi, tribuo. 'Arrogare' dicimur nobis ea, quæ nostra non sunt. *Manut.*

(2.) *M. T. C. Ser. Sulpicio S. D.*

Anno U. C. 704.

Philotimum] Libertum Terentiæ Ciceronis. Epist. VIII. 3. *Manut.*

Postumia,... Servius] Illa uxor Servii Sulpicii, hic ejusdem filius.

Quod] Ordo est, *Quod etiam ut ad te scriberem mecum egerunt.* Græv.

Nihil esset utilius] Ut quidem ipse Cicero putabat, cui, quod honestum, id unum utile videbatur. Cæsar autem nihil melius, quam regnare existimabat. *Manut.*

Nos fefellerit] Non Cæsar, sed id quod arbitrabamur. Dicimus enim simpliciter interdum, 'non me fallit.' Fefellit autem in eo Ciceronem opinio, quod Cæsar, cum ei nihil esset utilius concordia, rem tamen ad arma deducere maluerat. *Idem.*

Geruntur] A Cæsare in Hispania contra Pompeii legatos; pulso enim Italia Pompeio, ad urbem Cæsar excurrit, inde in Hispaniam. Quo autem tempore cum Sulpicio collocutus est Cicero, bellum in Hispania gerebatur. Id cognoscitur ex Epist. ad Att. X. 11. 12. *Idem.*

Quorum altera] Sic in decem antiquis libris; in duobus *quarum.* Antiquitatem magis redolet *quorum;* et vereor, ne quis ob verbum *altera,* scribendum putaverit *quarum. Idem.*

(3.) *M. T. C. Ser. Sulpicio S. D.*

Anno U. C. 707.

Et meum quodammodo agnosco] Accipio non masculino genere, ut intelligatur 'dolorem,' quod vult Manutius, sed neutro, ut sit aliquid mei moris. Plaut. Trin. III. 2. 5. 'Neque meum est, neque facere didici.' Bacch. V. 2. 34. 'Tu tuum facito, ego quod dixi, haud mutabo.' *J. F. Gronov.*

Et prædicendo] *Prædicendo* hic locum habere non posse, facile assentiaris, animum si recte advertas. Non vereor, ne errem, si rescribam *præcidendo.* 'Præcidere bellum' eadem elegantia dicitur, qua 'præcidere amicitiam' Cicero noster de Off. I. 33. 'Amicitias, quæ minus delectent, et minus probentur, magis decere censent sapientes sensim dissuere, quam repente præcidere.' Plin. IX. 1. 'Cujus cunctationem nec res ipsa desiderat, et ratio præcidit.' Sæpius Cicero hoc verbo eadem potestate usus est. *Heuman.* Parerg. Crit.

Consilium tuum] Ne Cæsari ante concessum lege Trebonia tempus succederetur, et ut absenti consulatum petere liceret. In quo dissentiebat a M. Marcello collega. Liv. Epit. CVIII. Contentiones inter consules de successore C. Cæsari mittendo, agente in senatu M. Marcello con-

sule, ut Cæsar ad petitionem consulatus veniret, &c. Sueton. Plutarch. Dio, alii. *Manut.*

Occidisse] Consulares, Pompeium Magnum, L. Lentulum, Bibulum, Domitium Ahenobarbum, Scipionem Pompeii socerum, prætorium M. Catonem, &c. qui bellum paci prætulerant. *Idem.*

Parietinis] 'Parietinæ' parietum ruinæ. Cic. ad rempubl. transtulit, et *quasi* præposuit, veritus ne paulo durior translatio videretur. Quod præcipit Crassus de Orat. lib. III. 'Mollienda,' inquit, 'translatio est præposito sæpe verbo.' *Idem.*

(4.) *M. T. C. Ser. Sulpicio S. D.*

Anno U. C. 707.

Litteras uno exemplo dedisses] Iisdem verbis scriptas. Exemplum veteribus est quod nos 'copiam' dicimus. Cic. in Epistolis sæpe dixit, 'Ex litteris cognosces, quarum exemplum ad te misi.' *Græv.*

Εἰρωνεύεσθαι] *Dissimulare*, quod Socrati usitatum, cum iis, quos refellere volebat, plus tribuere videretur. *Manut.*

Εἰρωνεύομενος] *Simulans;* est enim ironia modo dissimulatio, ut proxime; modo simulatio, ut hic. Dissimulamus enim vera; cum occultamus ea, quæ sunt: simulamus falsa; cum ea fingimus esse, quæ non sunt. Late igitur patet ironia; et est omnino, ut ait Aquila, cum aliud verbis significamus, aliud re sentimus. Addit Beda, gravitate pronunciationis adjuvandam. Alioqui confiteri videbitur, quod negare contendit. *Idem.*

Subtilitati et elegantiæ] 'Subtilitas' in sententiis, 'elegantia' in verbis. 'Subtilitas' autem a dialectica maxime sumitur, quam Sulpicius egregie cognovit. Alibi 'subtilitas' non idem valet, sed venustas potius quædam est orationis, et naturalis quasi color, nullo adhibito artis pigmento: qualis apud nos est Cæsaris sermo, apud Græcos Lysiæ. Itaque de Orat. lib. III. 'subtilitatem quidem illi Cicero tribuit, acumen autem Hyperidi.' Et in Bruto illud: 'Lysias egregie subtilis scriptor atque elegans:' sic accipio, non ut acutum scriptorem Lysiam dici putem, sed ut purum, ut venustum, ut politum, ut plane Atticum. Attica enim subtilitas ipsa per se laudatur, iis carens ornamentis, quæ ab arte sumuntur. Qua laude Catonem Censorium afficit Cicero in eodem libro infra: 'Qui in Græcis,' inquit, 'antiquitate delectantur, eaque subtilitate, quam Atticam appellant, hanc in Catone non noverunt quidem. Hyperidæ volunt esse et Lysiæ. Laudo: sed cur nolunt Catonis?' Atticum igitur dicendi genus illud, in quo Lysias excelluit, (nam plura genera, ut ait Cicero, fuerunt) non ornatum, copiosum, illustre, ut Demosthenis et Æschinis; non acutum, ut Hyperidis; sed exile, jejunum, siccum, politum tamen et venustum fuit: idque tum indicant eæ, quæ extant, illius orationes; tum ipse Cicero, si Lysiæ orationes non haberemus, clarissime tamen ostenderet. Nam in eodem libro aliquanto post, 'Atticum,' ait, 'se Calvus noster dici oratorem volebat. Inde erat ista exilitas, quam ille de industria consequebatur.' Et paulo post: 'Si quis jejunitatem, et siccitatem, et inopiam, dummodo sit polita, dum urbana, dum elegans, in Attico genere ponit; hoc recte dumtaxat; sed quia sunt in Atticis alia meliora, videat ne ignoret, et gradus, et dissimilitudines, et vim, et varietatem Atticorum.' Et infra: 'Si acutum, prudens, et idem sincerum, et solidum, et exsiccatum genus orationis probant; nec ullo graviore ornatu oratorio utuntur; et hoc primum esse Atticorum volunt; recte laudant. Est enim in arte tanta, tamque varia etiam huic minutæ subtilitati locus.' Nam, quod non ita multo post dicitur, 'Ly-

sia pictius esse nihil posse,' id affertur ex Attici persona, nimium in Græcos ambitiosi, et a Cicerone dissentientis, qui Catonem Lysiæ comparaverat. Cicero autem ipse de Lysia quid sentiat, declarat in Oratore his verbis: 'Dicat igitur Attice venustissimus ille scriptor ac politissimus Lysias, (quis enim id possit negare?) dum intelligamus hoc esse Atticum in Lysia, non quod tenuis sit atque inornatus, sed quod nihil habeat insolens aut ineptum.' Et paucis interjectis, 'Qui Lysiam,' inquit, 'sequuntur, non illum quidem amplum atque grandem, subtilem et elegantem tamen.' Hinc 'agere causas subtiliter,' pro, simplici quodam et puro, et ad docendum, non ad promovendum, aut delectandum, apto dicendi genere in causis uti, dixit Cicero Epist. IX. 21. 'Privatas,' inquit, 'causas, et eas tenues agimus subtilius.' Et in Oratore: 'Tenues, acuti, omnia docentes, et diluciliora, non ampliora facientes, subtili quadam et pressa oratione limati.' Et infra: 'Orationis subtilitas imitabilis illa quidem videtur esse existimanti, sed nihil est experienti minus.' Elegantiam autem differre ab ornatu, ostendit Cicero in Epistola ad Cornelium Nepotem: 'Quis,' ait, 'sententiis aut acutior, aut crebrior? quis verbis aut ornatior, aut elegantior?' *Manut.*

Achaicum] Achaiæ administrandæ curam, a Cæsare mandatam. *Idem.*

Aliter] Putasti te, cum ab urbe abesses, a molestiis etiam abfuturum. *Idem.*

Collegæ] In consulatu. *Idem.*

Ne hominis quidem causa] Ne ipsius quidem Marcelli causa, a quo graviter esset offensus. Quanquam, aiebat, in me fuerit acerbior; tamen, ne hac quidem causa, senatui deprecanti ejus reditum negabo. Non tanti apud me erit Marcelli ipsius injuria, quanti senatus universi consensus et deprecatio. Ep. VI. 6. 'Marcellum, cui maxime succensebat,' &c. *Idem.*

Noli quærere] Cum res ejusmodi est, ut eam ne longa quidem oratione pro voluntate nostra satis exprimere videamur posse; confugimus ad hoc loquendi genus, et ad illud, 'Quid quæris?' et similia quædam. *Idem.*

Præter Volcatium] L. Volcatium Tullum, qui cum M. Æmilio Lepido consul fuerat, triennio ante Ciceronem. *Idem.*

Si eo loco esset] Puto hoc dici: negavit se in patriam fuisse rediturum, si Marcellus fuisset; id est, si eadem, quæ Marcellus consul, contra Cæsarem fecisset; et si cum Pompeio postea adversus eundem Cæsarem pugnasset, nec se, post victum Pompeium, victori credidisset: quæ cum Marcellus fecisset, inconstantiæ videbatur esse, nec satis honorificum, beneficio ejusdem in patriam redire. *Idem.*

Metuo] Metuo, ne, cum in senatu loqui cœperim, idem posthac sæpe cogar facere, ut Cæsaris voluntati serviam. *Idem.*

Me hanc remp. non putare] Me hanc remp. quæ nunc est in illius manibus, non habere pro rep. me præsentem statum adversari et abominari. *J. F. Gronov.*

Intra modum] Hoc est, etiam minus, quam modus permittit. Tria momenta sic exprimuntur, ut 'intra modum,' vel 'legem,' sit, minus, quam vult jubetque, aut saltem concedit lex, aut modus: 'ad modum,' vel 'legem,' ipsum terminum modi finesque describat: 'ultra modum,' excessum, transgressionemque indicet. *Idem.*

Ingravescit] Hoc est, crescit et augetur: non, ut putant nonnulli, fit molestius. *Facciolat.*

(5.) *Ser. Sulpicius M. T. Ciceroni S. D.*

Anno U. C. 708.

Callere] Quasi callo ex consuetu-

dine facto sic obdurnisse, ut novum dolorem jam non sentiat. Proprie Plautus in Pseud. 'Plagis costæ callent.' *Manut.*

An illius] Nullum mihi dubium, est, quin legendum sit, *At illius, credo, vicem doles. Quoties, &c.* non vero, *An illius, credo, vicem doles?* ut pessime editum est. *Wopkens.* Lect. Tullian. II. 2.

Cum aliquo adolescente primario conjuncta] Divortium cum Tullia fecerat Dolabella antequam pareret. Quod cum ex hoc loco, tum ex Epist. VI. 18. in qua sunt hæc: 'Me Romæ tenuit omnino Tulliæ meæ partus: sed cum ea, quemadmodum spero, satis firma sit, teneor tamen, dum a Dolabellæ procuratoribus exigam primam pensionem.' Scripsit tamen ad Dolabellam Epist. IX. 11. de filiæ morte cum amoris in eum significatione non vulgari, ob eam causam opinor, quod temporis causa, Cæsare dominante, apud quem gratiosus erat Dolabella, simulandum fuit. Notanda Pediani indiligentia, qui Tulliolam scripsit apud virum suum P. Lentulum ex partu decessisse: cum neque Lentulus inter Ciceronis generos quisquam fuerit; ut et illa Sulpicii verba ostendunt, et ut ipso teste Cicerone probavimus, post divortium perierit. *Manut.*

Credo] Ironia; quasi credendum minime sit, ob ea quæ sequuntur. *Idem.*

Pareret] Pepererat; sed infans obiit: de quo Cicero ad Att. X. 16. *Idem.*

Liberalitate] Quo nomine non largitio tantum, sed officium quodlibet, omnisque benignitas indicatur. Quanquam ex *libertate* aliquid etiam elicio sententiæ; ut ostendat Sulpicius, neminem amicis jam navare operam aut studium posse, cum libertas omnibus adempta sit. *Idem.*

Hæc] Quæ cum patimur, jucunda esse vita non potest. *Idem.*

Adolescentibus primariis] Tribus. Nupsit enim primum C. Calpurnio Pisoni Frugi, ut est in Epist. ad Attic. I. 2. deinde Furio Crassipedi, de quo Epist. ad Lentulum, I. 7. et Epist. ad Q. Fr. II. 4. quo mortuo, vel relicto, (nam neque de obitu ejus, neque de divortio constat) P. Cornelio Dolabellæ collocata est. A Dolabella, ut diximus, dimissa, periit ex partu. In quo notanda Plutarchi et Asconii indiligentia, qui duos tantum Ciceronis generos nominarunt, Pisonem et Lentulum, in Lentuli etiam nomine peccantes; nam inter Ciceronis generos Lentulus nemo fuit. *Idem.*

Apisci] Sunt nonnulla in hac Epistola aliquanto antiquiora, ut 'confieri,' etsi Virgilius etiam ea voce usus est; et 'oppidum,' pro oppidorum, quod item ab antiquo codice acceptum est: et 'apisci,' pro adipisci, quam vocem sæpe et Lucretius, et Tacitus usurpant. *Victor.*

(6.) *M. T. C. Ser. Sulpicio S. D.*

Anno U. C. 708.

Vester] Ex vestra gente Sulpicia. C. Sulpicius Gallus, qui cum M. Claudio Marcello consul fuit. *Corrad.*

Consanuisse] Manutius legit *consenuisse.* Metaphora est, inquit, ab iis morbis, qui licet vetustate non omnino tollantur, quotidie tamen ex consuetudine leviores fieri videntur. Non enim sublata ea mala Cicero significat, sed animum suum diuturnitate tanquam occalluisse, ut aliquanto minus ea sentiret; nunc autem veterem sibi acerbitatem novo esse vulnere renovatam. Gruteriani codices Manutio favent: sed Victorium sequimur.

Unius] Cæsaris. *Corrad.*

(7.) *M. T. C. M. Marcello S. D.*

Anno U. C. 707.

Ita gerendi] Quod urbem Pom-

peius primum, deinde Italiam, stulto consilio deseruit. Hoc in Epist. ad Att. sæpe accusat Cicero, atque etiam Epist. XVI. 11. ad Tironem. *Manut.*

Copias] Militum numerum: quem cum, ante Cæsaris adventum, maximum promisisset, Cæsaris adventu nunciato, paratum exercitum non habuit: ex quo Favonii vox illa, 'Nunc, Pompei, terram pede percute;' quia promiserat, ubi terram pede percussisset, illico futurum, ut adessent ingentes peditum equitumque copiæ. Quod postea non præstitit. *Idem.*

Genus exercitus] Ex tironibus magna ex parte collectum. *Idem.*

In Africam] Ad Jubam regem, qui, Curione Cæsarianarum partium duce interfecto, equitatum firmissimum, et elephantos plurimos habebat. Ideo stultitiam eorum qui ad bestiarum auxilium confugerant, carpit Cic. Epist. IX. 6. *Idem.*

Cujusmodi res esset] Qualiscunque status esset reip. Censeo autem Ciceronem scripsisse *cuicuimodi res esset.* Ut pro Sex. Rosc. 34. 'Vereor enim cuicuimodi es, T. Rosci, ne ita hunc videar voluisse servare, ut tibi omnino non pepercerim.' Sic advocat Priscian. I. 13. de Finib. III. 9. 'His tamen omnibus eos antepono, cuicuimodi sunt, qui summum bonum in animo atque in virtute posuerunt.' Nam in membranis *cuimodi.* Vulgo *cujusmodi.* J. F. Gron.

Deprecantur] Tuam salutem a Cæsare precibus petunt. *Deprecamur*, vel cum expetimus aliquid, vel cum recusamus. Prior significatio patet hic, et in oratione pro Marcello: 'Cum,' inquit, 'M. Marcellum deprecantibus vobis, conservavit.' Et ad Cornificium Epist. XII. 24. 'Senatus legatos non ad pacem deprecandam, sed ad bellum denunciandum miserat, nisi legatorum nuncio paruisset.' Alterius exemplum significationis unum illud pro Balbo, cum suppetant multa, recitabimus: 'Quiddam de communi conditione omnium nostrum, deprecandæ malevolentiæ causa, deprecandum videtur.' *Manut.*

Non adhibemur] Nisi a fratre, ad consilium de tuo reditu capiendum. *Idem.*

(8.) *M. T. C. M. Marcello S. D.*

Anno U. C. 707.

Unumque fortissimum] Sic Epist. XV. 16. 'Quanquam quicum loquor? cum uno fortissimo viro.' Philip. II. 3. 'Tanquam mihi cum M. Crasso contentio esset, non cum uno gladiatore nequissimo.' *J. F. Gronov.*

Putent] Pro *putent*, quod habent vulgati, leges *etiam putem.* Corrad.

Si modo erunt tui] Quis non intelligit, carum suis Marcellum non fuisse? licet in obscuro causa sit. Ideo in epistola superiore: 'A tuis reliquis non adhibemur.' Idque Marcellus ipse in suis litteris significavit, in eo loco: 'In summa paucitate amicorum, propinquorum, ac necessariorum, qui vere meæ saluti faverent, te cupidissimum mei, singularemque benevolentiam mihi præstitisse cognovi.' *Manut.* Marcelli Epistolam a Manutio laudatam hoc libro habes, num. 11.

(9.) *M. T. C. M. Marcello S. D.*

Anno U. C. 707.

Quod etiam majus] Contra in Epist. 13. 'Nec audio solum, quod ipsum esset miserum, sed etiam id ipsum video, quo nihil est acerbius, eorum fortunas dissipari.' Et ad Torquatum, Epist. VI. 1. 'Oculi augent dolorem, nec avertere a miseriis cogitationem sinunt.' Est enim hoc in oratoris artificio, ut easdem res temporis causa modo oppugnet, modo defendat. Propterea in illis ad Nigidium ac Torquatum epistolis pro auribus contra oculos; in hac ad Marcellum, quem redire in urbem cupiebat, pro oculis contra aures

argumentatur. *Manut.*

Ut nunc quidem est] Præsentem rei statum hoc loquendi genere veteres ostendebant; quasi dicerent, quid futurum sit, affirmare non licet; sed, ut nunc quidem est, res ita se habet. *Manut.*

Communem] *Communes* Latinis dicuntur 'comes,' aliter 'civiles,' qui nihil singulare ac præcipuum sibi tribuunt præ aliis, qui non supra alios cives se extollunt, qui sunt populares, modesti, patientes juris legumque communium, qui non suo in omnibus utuntur consilio, sed et aliorum civium, hominumve. C. Nep. Att. 3. 'Hic autem sic se gerebat, ut communis infimis, par principibus videretur.' Terent. 'Quenquamne animo tam communi esse aut leni putes?' Sueton. Claud. 21. 'Nec ullo spectaculo communior,' &c. *Græv.*

Honesto otio] Mitylenis, usurpatione et renovatione doctrinæ. *Corrad.*

Gladiorum licentia] Videtur aliquid Cicero divinasse. Infra, Epist. 12. *Cellar.*

(10.) *M. T. C. M. Marcello S. D.*

Anno U. C. 708.

In omnes partes] Ad omnia. Ut Epist. ad Att. XI. 6. 'Brundusii jacere, in omnes partes molestum.' Et in Epist. Vatinii, lib. V. 'Me tibi in omnes partes defendendum putes.' Contrarium illud Epist. ad Att. XIII. 10. 'Hoc nullam ad partem valet scilicet.' *Manut.*

Quod ad tempus] Non quousque, sed quo plane tempore. Sic Epist. IX. 5. 'Ad nonas,' pro nonis. *Idem.*

(11.) *M. Marcellus M. Ciceroni S. D.*

Anno U. C. 707.

(12.) *Ser. Sulpicius M. Ciceroni S. D.*

Anno U. C. 708.

Supra Maleas] Veteres libri omnes *Maias;* non *Maleas,* quod omnino mendosum est. 'Maleam' autem Virgilius, Livius, omnes denique nominant: *Maleas* vero unus, quod sciam: Plinius junior in Epist. ad Trajanum lib. X. Græcis verbis, ὑπὲρ Μαλέας. Quod si legatur hic *supra Maleas,* interpretaremur, superato Malearum promontorio, Laconicæ provinciæ, navigantibus valde periculoso. *Manut.* Hæc erat conjectura Victorii, quam receperunt omnes fere editiones, et id quidem merito. Nihil enim est certius et liquidius, si quis Plutarchi in Arato, Pliniique loca consideret, quæ is attulit. Videtur autem locutio fuisse trita Græcis Latinisque, qua significabant cursum ex Asia et Græcia in Italiam per Maleam, sive ad Maleam appellerent naves, sive illic conscenderent ex Græcia in Italiam profecturi, sive ita navigationem instituerent ut illud promontorium præterveherentur non longe. *Græv.*

Seipsum interfecisse] Quod eum commissi facinoris pœniteret. Causam necis Cicero ignorat Epist. ad Attic. XIII. 10. Valerius hanc ponit XI. 9. quod cum esset Marcello Magius vetere conjunctus amicitia, eique in Pompeiana militia comes fuisset; indignaretur aliquos sibi amicorum ab eo præferri. *Manut.*

Puer] Servus. *Acidini*] Manliorum cognomen fuit Acidinus. Constat ex lib. II. de Orat. et lapidibus Capitolinis. *Idem.*

Codicillis] Codicilli, tabellæ ceratæ erant, in quibus stylo pangebatur: a 'codice,' id est, arboris libro, nominati. De codicillis Plin. XIII. 13. et XXXIII. 1. *Idem.*

Dominus eorum] Servis enim capitale erat, qui dominum non defendissent, ut ex Ulpiani verbis, Syllanum S. C. interpretantibus, cognoscitur. *Idem.*

Religione se impediri] Nam lex XII Tabularum, de Solonis legibus trans-

lata ita habet, 'In urbe ne sepelito, neve urito.' *Corrad.*

Pro collegio] Consulatus. *Idem.*

(13.) *M. T. C. P. Nigidio Figulo S. D.*

Anno U. C. 707.

Nigidio Figulo] De Nigidio ipso, quæ legendo animadvertimus, hæc sunt: Scripsit libros de Animalibus, ut ostendit Macrob. lib. III. et Plin. bis, XXIX. 4. et 6. ejus utitur testimonio; librum de Extis, ut in Gellio XVI. 6. legimus; Commentarios Grammaticos, ut idem Gellius XIX. 14. et Nonius prodidere. Interpretatus est comœdias Terentii, teste Donato. Videtur etiam scripsisse de Deis, quantum ex Arnobio licet conjicere: qui ejus testimonio in mentione Matris Deum, Neptuni, Apollinis et Jovis utitur lib. III. Hæc de scriptis: de doctrina subjungam. Gellius Varronem et Nigidium 'doctrinarum culmina,' XIX. 14. appellat, et idem XIII. 24. 'in disciplinis doctrinarum omnium præcellentem' nominat, et IV. 9. 'hominem juxta M. Varronem doctissimum.' Macrobius autem 'maximum rerum naturalium indagatorem,' lib. III. Idem lib. VI. 'hominem omnium bonarum artium disciplinis egregium.' Servius quoque Honoratus hæc de eo tradidit: 'Nigidius Figulus solus post Varronem, licet Varro præcellat in theologia, hic in communibus litteris: nam uterque utrumque scripserunt.' Nonius quoque: 'Nigidius,' inquit, 'studiis bonarum artium præclarissimus.' Nemo tamen illum melioribus extulit laudibus quam Cicero ipse idem ejus amicissimus. Nam in Proœmio libri de Universitate: 'Fuit,' inquit, 'vir ille cum cæteris artibus, quæ quidem dignæ libero essent, ornatus omnibus, tum acer investigator et diligens earum rerum quæ a natura involutæ videntur. Denique sic judico, post illos nobiles Pythagoreos, quorum disciplina extincta est quodam modo, hunc extitisse qui illam renovaret.' Suetonius ait illum, cognita hora qua natus erat Augustus, affirmasse, dominum terrarum orbi natum. *Manut.* Vide quæ de hoc Nigidio Figulo notavit Jan. Rutgersius Var. Lect. III. 16. ubi Fragmenta ejus collegit. *Græv.*

Debebat] Meus primus *debeat*, quod Gronovio merito probatur. *Idem.*

Pari fortuna abjectus] Mss. *adfectus*, non *abjectus*. Sic alibi apud Ciceronem, 'magna desperatione adfectus,' 'magna molestia adfectus,' 'tot tantisque difficultatibus adfectus.' *J. F. Gronov.*

Casus meos sustentabam] Nunc sustentari se dicit aliorum opibus, id est, eorum auctoritate et gratia, quos, veteri sibi necessitudine conjunctos, plurimum ob victoriæ societatem posse apud Cæsarem intelligebat. *Manut.*

Mors] Perierant Pompeius, P. Lentulus, M. Cato, &c. *Manut.*

Fuga] Fugerant, post Africanum bellum, in Hispaniam ad Pompeii liberos multi. *Idem.*

Te socio] Plutarch. in Cicerone.

Illud incendium] Catilinæ conjurationem; qua, tanquam incendio, nisi nos opem tulissemus, resp. deflagrasset. *Idem.*

Quibus est iratior] Propter bellum in Africa renovatum. *Manut.*

Respondere tristius] Veniam precantibus negare. *Idem.*

Tristissimo meo tempore] Cum ejectus a Clodio exularem. *Idem.*

(14.) *M. T. C. Cn. Plancio S. D.*

Anno U. C. 708.

Evenire] De Publiliæ matrimonio, quam sexagenarius virginem duxit, dimissa Terentia, quia rem domesticam, ipso absente, negligenter administraverat; præter alias causas, quæ commemorantur a Plutarcho. Quintil. lib. VI. cap. de risu, cum Cicero objurgaretur, quod virginem

jam senex duxisset, respondisse ait, 'Cras erit mulier.' Sed et hanc ab eo dimissam Plut. et Dio prodiderunt. *Manut.*

Bello] Africano, quod Scipio Pompeii socer, et M. Cato, freti Jubæ regis auxiliis, renovaverant. *Idem.*

Cædem] Cædem a Pompeianis timet, a Cæsare servitutem. *Idem.*

Res domesticas] Dimissam ab eo Terentiam ait Plutarchus, quia rem familiarem, ipso absente, male tractasset, ærisque plurimum alieni contraxisset: quod ut dissolveret, virginem Publiliam, admodum divitem, in tutelam sibi traditam, suadentibus amicis, uxorem sibi duxit. *Manut.*

Mea salus et meæ fortunæ] In fortunis uxorem accusat; in salute Quintum fratrem, fratrisque filium; qui vehementer illum, post Pharsalicam pugnam, apud Cæsarem oppugnarunt, cum se dicerent auctore Marco adversus illum arma cepisse. Ad Att. XI. 5. 8. 9. 10. 13. 14. 15. 16. 21. *Idem.*

Scelus] Et hoc in fratrem potius fratrisque filium, quam in uxorem, confertur. Scelus Quinti fratris nominat etiam in Epist. ad Att. XI. 21. *Idem.*

Alteros] Cæsarianos.

(15.) *M. T. C. Cn. Plancio S. D.*

Anno U. C. 707.

LIBER V.

(1.) *Q. Metellus, Q. F. Celer, Procos. M. T. C. S. D.*

Anno U. C. 691.

Fratrem] Germanum, ut pater utrique fuerit Q. Metellus Nepos, Balearici filius, Macedonici nepos. Nam hunc Nepotem, Ciceronis inimicum, filium ejus Nepotis fuisse, qui cum T. Didio consul fuit anno 655. Pedianus ostendit in commentario Cornelianæ. *Manut.*

Ob dictum] Vide quæ Cicero respondeat.

Bellum gero] Cum Salassis, et Inalpinis gentibus, quæ nondum populo Romano parebant. Et cum iisdem pugnasse D. Brutum, cognoscitur ex Epist. XI. 4. *Manut.*

(2.) *M. T. M. F. C. Q. Metello Q. F. Celeri Procos. S. D.*

Anno U. C. 691.

Italiam] Cicero consul Q. Metellum miserat in agrum Picenum et Gallicanum, ut Catilinæ conatus impediret. *Cellar.*

Provinciam] Cum ex consulatu in Galliam ire posset, maluit in urbe remanere. Quod ipsum Epist. XV. 4. scripsit ad Catonem: et ad Att. II. 1. *Idem.*

De sortitione vestra] Legitur *et nostra*, hoc est, mea et C. Antonii: in qua primo mihi Macedonia, et illi evenit Gallia. *Corrad.* Sed nihil mutandum censet Lambinus; et recte, opinor, sentit.

Collegas tuos] Prætores; nam in magistratu provincias sortiebantur; et Galliam Metello invidebant. *Manut.*

Ea præscriptione est] Præscriptio ejus SC. fuit: 'Quod M. Tullius Cicero Cos. M. F. de provincia Gallia quæ Q. Cæcilio Metello evenit, ornanda, D. E. R. I. C.' ut intelligere est ex Epist. VIII. 8. Ex qua formula manifestum est studium et officium Ciceronis erga Metellum, in cujus

gratiam ille hæc verba fecisse, atque ad senatum retulisse, dicitur. Mirifice fallitur hoc loco Manutius. *J. F. Gronov.*

Profectus es] Post sortitionem profectus est Metellus prætor non in Galliam, quam post præturam administrandam sortitus erat, sed in Picenum, in quo permansisse usque ad illud tempus, cum Catilina victus est, e Sallustio cognoscitur. Catilina superato, Galliam provinciam accepit. *Manut.*

Proxime] Post necem Catilinæ videtur Metellus, antequam in Galliam iret, Romam revertisse. *Idem.*

Parare] Nam extremo anno consulatus Ciceronis, id est, IV Idus Decembris, ut mos erat, magistratum initurus erat Metellus Nepos trib. pl. design. *Idem.*

Claudia] Impudica muliere, P. Clodii sorore, de qua in Orat. pro Cælio, et Epist. ad Att. II. 1. *Idem.*

Uxore tua] Quomodo uxor fuerit Celeris, cum ejus fratrem P. Clodium, fratrem patruelem Celeris nominet Cicero in oratione pro Cælio? an eadem et soror et conjux? sic opinor: ut Clodius et Clodia filii fuerint Cæciliæ, sororis ejus Metelli, qui Celerem et Nepotem genuit. *Idem.*

Verissimum pulcherrimumque jusjurandum] Hoc, remp. a se uno conservatam. De quo sic in oratione pro Domo: 'Reip. semper interesse putavi, me illius pulcherrimi facti, quod ex auctoritate senatus, consensu bonorum omnium, pro salute patriæ gessissem, splendorem verbis dignitatemque retinere; præsertim cum mihi uni in hac repub. audiente populo Romano, opera mea hanc urbem et hanc remp. esse salvam jurato dicere fas fuisset.' Et in Pisonem: 'Ego, cum in concione, abiens magistratu, dicere a tribuno pl. prohiberer, quæ constitueram; cumque is mihi tantummodo, ut jurarem, permitteret; sine ulla dubitatione juravi, rempubl. atque hanc urbem mea unius opera esse salvam.' Idem confirmat Dio lib. XXXVII. *Idem.*

Indicta causa] Significabat, Lentulum, Cethegum, Statilium, Gabinium, Ceparium, conscios et participes conjurationis Catilinæ, indicta causa, contra leges moremque majorum, esse condemnatos. Animadvertisse autem in eos Ciceronem dicit, quod eo jubente in carcere strangulati sunt, ut Sallustius, Plutarchus, Dio scriptum reliquere. Appianus hoc addit, Ciceronem eos necari in conspectu suo jussisse, quod falsum est. *Idem.*

Restitissem] Acerrime disputando. Scripsit etiam contra Metelli concionem; ut est in Epist. ad Att. I. 9. et in Gellio XVIII. 7. *Idem.*

Sedens] Assensio enim paucis verbis absolvitur. Stantes autem sententiam pluribus verbis dicebant. *Idem.* Vide Sallust. Catil. 50. et 53. Gell. III. 18.

(3.) *Q. Metellus Nep. M. T. C. S. D.*

Anno U. C. 697.

Tametsi bis invitum eum servavi] Cum illum ædilem faciendum curavi, ut judicium de vi vitaret: ad quod illum bis Milo vocavit. Nec me hic temporis ratio movet, quoniam Epistolæ per tempora non sunt digestæ; ne miretur quispiam hanc sequenti esse præpositam. *Corrad.*

Invitum] Nemo servatur invitus. Sed qui palam peccat, nec pœnæ metu flagitiis abstinet, is cum impunitatem adipiscitur, servari videtur invitus. Clodii autem cunctis pene sceleribus inquinatam vitam quis ignorat? *Manut.*

(4.) *M. C. Q. Metello Nepoti Cos. S. D.*

Anno U. C. 696.

Collega] P. Lentulo consule, Ciceronis reditum enixe curante: ut ex

Epist. et Orationibus constat. *Manut.*

Tuas inimicitias] Fortasse quas cum C. Curione, qui de Dardanis triumphavit, acerbissimas gesserat. Vide Pedianum in commentario Corneliana. *Idem.*

Vim] Tribunitiam Clodii, et consularem Pisonis et Gabinii. *Corrad.*

(5.) *M. C. C. Antonio, M. F. Imperatori, S. D.*

Anno U. C. 691.

Delata] De querelis tuis. Libentius enim ad querelas Antonii refero, quam ad id quod legitur Att. I. 20. de parte pecuniarum, quæ contra leges ab Antonio in provincia cogerentur, Ciceroni danda. *Manut.*

Reliqua] Quæ imminent, ut accusatio conjurationis: et quod Pompeiani prodromi nuntiant aperte, Pompeium acturum, tibi succedi oportere: eodemque tempore ageret prætor ad populum, quod contra Dardanos avare et ob id infeliciter rem gesseris. *Corrad.*

(6.) *M. C. P. Sextio, L. F. Proquæstori, S. D.*

Anno U. C. 692.

Librarius] Qui libros transcribit. Liquet notio ex Ciceronis filii Epist. XVI. 21. *Cellar.*

Homini prudenti] Roberti Stephani editio rectissime scribit *homini pudenti*, hoc est, homini frugi, ut ante ipsum appellat. *Græv.*

Q. Fufium tribunum pl.] Hic locus Epistolam Messala et Pisone coss. scriptam esse significat. Nam hoc anno tribunatum a Fufio gestum ait Dio lib. XXXVIII. idque confirmat Asconius, qui, quo tempore Clodius de incestu accusatus est, hujus Fufii opera factum tradit, ne a senatu asperius decerneretur. De incestu autem Clodii actum Pisone et Messalla coss. ex Epist. ad Att. lib. I. in quibus etiam Fufius tribunus plebis nominatur, facile intelligitur. Idem, interfecto Clodio, acerrimus Milonis fuit adversarius: et a Cicerone notatur in Orat. pro Milone, cum ait, 'Divisa sententia est, postulante nescio quo: nihil enim necesse est, omnium flagitia proferre.' Biennio post, ædilitate omissa, præturam gessit Cæsare et Bibulo coss. legemque de suffragiis tulit. Testis Dio. Consul fuit cum P. Vatinio, anno 705. ut fasti docent Capitolini. Socer fuit Pansæ consulis, qui Mutinensi prælio, partium reip. contra M. Antonium defensor, interfectus est. Defendit Antonium in senatu, a Cicerone oppugnatum: ut ex Philippicis et Epistolis ad Brutum constat. Caleno cognomen fuit. Phil. VIII. 3. *Manut.*

De Crasso] A. Crasso. Notum loquendi genus. Hoc et in ea declamatione, quæ Sallustii nomine inscribitur, in Ciceronem confertur his verbis: 'Domum ipsam tuam vi et rapinis funestam tibi ac tuis comparasti; videlicet ut nos commonefacias, quam conversa resp. sit, cum in ea domo habitares, homo flagitiosissime, quæ P. Crassi, viri consularis, fuit.' *Idem.*

XXXV] Tricies quinquies, ut subaudiatur, 'centenis millibus nummum.' Accepit autem mutua a P. Sylla, qui tum reus erat, H-S vicies, ut ait Gellius XII. 12. Hæc domus primum fuerat M. Livii Drusi, ejus qui tribunus plebis initio belli Italici a nescio quo est interfectus. Deinde possedit eam Crassus hic, a Cicerone nominatus; post Crassum, Cicero; post Ciceronem, Censorinus; post Censorinum, Statilius Sisenna. Quod Velleius lib. II. memoriæ tradidit. *Idem.* Vide Budæum de Asse, lib. III.

Conjurare] Jocatur; quia Catilina ejusque socii, cum æs alienum fœneratoribus solvere non possent, in patriam conjurarunt. Sallustius. *Manut.*

Ex obsidione] Maxime enim contra fœneratores et locupletes facta conjuratio est. Quo spectat illud in Epist. ad Q. Fr. I. 1. 'Publicani, quod ita negotiantur, ut locupletes sint, nostri consulatus beneficio incolumes se fortunas habere arbitrantur.' Et Off. lib. II. 'Nunquam vehementius actum est, quam me consule, ne solveretur: armis et castris tentata res est.' *Manut.*

Omnino semissibus magna copia est] Et hic locus diligenter etiam considerandus est. Alii legunt *omnino semissium;* vetusti codices *omni semissibus.* Nos lectionem eam secuti sumus quæ parum a priscis exemplaribus discederet, et sententiam eamdem retineret. In *semissibus* enim clari sunt et certi vetusti codices. Vox illa *omnino* quam restituimus, non integra in illis legitur, ut nonnihil scrupuli etiam restet. Mentionem facit hujus loci Hermolaus in II. editione Plinianarum castigationum XIV. 4. qui eandem fere quam nos emendationem probat. Quæ sit in veteribus exemplaribus scriptura, voluimus nos notum facere, cum videamus adhuc hunc locum titubare. *Victor.* Leg. *bonis,* id est, iis, quorum fides non laborat, parata facultas est pecuniæ mutuæ sub semissibus usuris, vel fœnore sex nummorum in centenos. Usuræ centesimæ, vel asses sunt unus nummus menstruus in centum, et sic duodecim annui. Usuræ deunces est nummus menstruus in centenos minus duodecima parte, et sic undecim nummi annui; usuræ dextantes, decem in centenos annui; usuræ dodrantes, novem; usuræ besses, octo; usuræ septunces, septem; usuræ semisses, sex; usuræ quincunces, quinque; usuræ trientes, quatuor; usuræ quadrantes, tres; usuræ sextantes, duo; usuræ unciæ, unus in centum annuus. Vide Obs. IV. 9. *Gronov.*

Bonum nomen] Id est, bonæ fidei debitor. Debitorum nomina in expensi codicem referebantur. Inde factum, ut *nomen* acciperetur et pro debita pecunia, unde 'exigere nomina,' in Verrem; et pro debitore, ut hic, et quod ab Alphio fœneratore dici solitum refert Columella, 'vel optima nomina non appellando fieri mala.' *Manut.*

Antonium] C. Antonium, collegam Ciceronis in consulatu, qui hoc tempore Macedoniam regebat. *Idem.*

In senatu] Cum ageretur de Antonio ex provincia ob rapinas revocando: ut ex Epist. ad Att. I. 10. intelligo. *Idem.*

(7.) *M. T. M. F. C. Cn. Pompeio, Cn. F. Magno, Imp. S. D.*

Anno U. C. 691.

Quas publice misisti] Ex Asia de Mithridatico bello confecto. *Corrad.* 'Litteras publice mittere,' est ad senatum populumque Romanum scribere de rebus gestis. *Græv.*

Tuos veteres hostes, novos amicos] Crassum et Lucullum. *Manut.* Ego vero intelligo reliquias Catilinariæ conjurationis, de quibus ad Att. I. 14. 'Barbatuli juvenes, totus ille grex Catilinæ.' Hos dicit veteres hostes Pompeii, quod ille omnibus remp. turbare volentibus fortissime olim restiterat. Novos amicos, quia Pompeius in Epist. de rep. per Ciceronem vindicata, et punitis supplicio sontibus, nullum verbum posuerat, ne offenderet homines populares, eoque illis reconciliatus et amicus videbatur. *J. F. Gronov.*

Ne cujus] Ut C. Cæsaris, aut M. Crassi, quos occulte favere conjuratis multi suspicati sunt. *Manut.*

(8.) *M. T. C. M. Licinio, P. F. Crasso S. D.*

Anno U. C. 699.

Vel tuendæ] Contra Atteium trib. pl. Epist. I. 8. *Corrad.*

Consulibus] L. Domitio Ænobarbo

et Appio Claudio Pulchro. *Idem.*

Interruptum] Ob eam simultatem, quam inter eos Catilinæ temporibus exortam, quia Crassus conjurationis conscius et particeps putaretur, Plutarchus in Crassi Vita prodidit. *Manut.*

Optatum mihi magis, quam speratum] Hoc refertur ad id quod sequitur, 'Florentissimis rebus tuis;' quia rebus afflictis, non florentissimis, amor vere perspicitur. Mihi autem, inquit, contigit, quod optabam potius, quam sperabam, ut optimo rerum tuarum statu, mea tamen et memoria veteris nostræ necessitudinis, et post reconciliatam gratiam fides perspici posset. *Idem.*

Ut primum] Hoc est, ab ineunte adolescentia, simul ac indui togam virilem deposita prætexta, ab amicis deductus in forum, ut transcriberer in viros. Cic. Epist. xv. 16. 'Qui postquam forum attigisti, nihil fecisti, nisi plenissimum amplissimæ dignitatis.' Pro quo in Epist. xiii. 10. dicit 'in forum venire.' Suet. est 'in forum deduci.' Solebant enim tum ab amicis deduci in forum atque in templa sacrificandi causa. Ipse dies, quo togam virilem capiebant, dicebatur 'dies tyrocinii,' et annus ille, 'annus tyrocinii;' qui pro captu adolescentum nonnunquam erat annus quartus, quintus, aut sextus decimus. Certum enim non fuisse sat multis argumentis ostenderunt viri docti. Plerumque tamen fuisse quartum decimum satis apparet ex Servio, qui ad Æn. vii. notat, tirones anno quarto decimo exeunte togam virilem sumpsisse, quinto decimo armis se exercuisse in Campo Martio, sexto decimo exeunte stipendia mereri cœpisse. *Græv.*

Violata] Sic ad Att. i. 15. 'Illa, quæ violata, expiabuntur.' 'Violari' enim dicitur, quasi sacrosancta amicitia sit. *Manut.*

Publio] Quo intercedente, Cicero et Crassus reconciliati sunt. Amabat is Ciceronem unice propter eloquentiam, Epist. ad Q. Fr. ii. 8. et in Bruto, cap. 81. Interfectus est a Parthis. *Idem.*

(9.) *Vatinius Imp. Ciceroni Suo S. D.*

Anno U. C. 708.

Pro se causam] De supplicationibus obtinendis. *Corrad.*

In periculo recepisti] Rem factum anno decimo fere ante. Epist. i. 8. *Idem.*

Liberalitatem] Est studium de aliis bene merendi. Ut Epist. i. 9. et x. 3. *Græv.*

Quo exemplo] Hoc est, exemplum, sive, ut barbari loquuntur, copiam epistolæ meæ ad senatum de rebus gestis scriptæ, hisce litteris subjeci. *Idem.*

Anagnostes] Eruditi et opulenti homines inter alia ministeria habebant quoque, qui ipsis cœnantibus, lavantibus, aut vigilantibus noctu aut alio tempore, libros vel aliorum, vel suos legerent: hos 'anagnostas' Græco vocabulo, ut Cic. ad Att. i. 9. 'lectores' Latino appellarunt.

Vardæis] Dalmatiæ populus.

Narona] Liburniæ civitas, postea colonia facta, ad fluvium Naronem.

(10.) *P. Vatinius Ciceroni Suo S. D.*

Anno U. C. 708.

Non semissis] Id est, vilissimi ac nullius pretii. *Cellar.*

Actiones] 'Expostulare actionem,' est petere a prætore in urbe, aut proprætore in provincia, agendi contra hunc aut illum copiam, sicuti *dare actionem* dicebatur prætor, quos admittebat ad agendum, hoc est, jus suum persequendum in judicio. *Græv.*

In cujus locum suffectus sum] Cui successi in provincia Illyrico. Non est autem hic Appius, ad quem Cicero lib. iii. scribit, quippe qui bello civili periisset; Val. Max. i. 6. sed alius, qui rexit Illyricum A. U. C. 706.

Cæsare dictatore II. *Gronov.*

Justissimi] Ob numerum cæsorum hostium. Sic Epist. II. 10. 'Victoria justa imperator appellatus sum.' *Manut.*

Ego post supplicationes mihi decretas] In quibusdam libris ad hoc loco nascitur Epist. novæ principium; ita ut ex hac X fiant duæ, X et XI. Nos unam facimus, ut probabilius est. *Lambin.* Scripta, necdum missa superiore Epistola, certior factus de supplicationibus sibi decretis, in Dalmatiam, ut bellum conficeret, statim profectus est, oppida sex cepit. Quo facto eandem misit Epistolam, quam per dies plures in manibus habuerat, ut aliquid de rebus a se post supplicationes gestis appingeret. *Manut.*

(11.) *M. T. C. P. Vatinio Imperatori S. D.*

Anno U. C. 708.

Fidem dederis] Redire nolebat, pœnæ metu, Dionysius ad Ciceronem, a quo, surreptis multis libris, aufugerat. Epist. XIII. 77. *Manut.*

Improbus] Ut redire nolit. *Idem.*

(12.) *M. C. L. Lucceio, Q. F. S. D.*

Anno U. C. 697.

Lucceio] Alias, *Luceio.*

Callisthenes Troicum bellum] Vide de hoc Callisthene et ejus scriptis Gerard. Voss. de Hist. Græc. I. 9. De hoc bello Homerus et Dictys Cretensis. *Græv.*

Timæus Pyrrhi] Fuit domo Siculus, Tauromenita: vixit tempore Agathoclis, cum bellum Tarentinum a Pyrrho gereretur in Italia. Vide de ejus vita et scriptis G. Voss. de Hist. Græc. I. 12. De hoc bello vero vide Flor. I. 18. Liv. Epit. XII. et seqq. Plutarchum in vita Pyrrhi. *Idem.*

Polybius Numantinum] Vixit temporibus Ptolemæi Philometoris. De quo vid. Ger. Voss. de Hist. Græc. I. 19. De bello vero Numantino vid. Flor. XI. 18. Liv. Epit. LVII. et seq. Vell. II. 4. *Idem.*

Conjurationem] Factam ipso consule a duobus maxime patriciis, L. Sergio Catilina, prætorio, P. Cornelio Lentulo, consulari, et prætore iterum. *Manut.*

Herculem Xenophontium] De quo scribit Xenoph. Memorabil. lib. II. et Cicero de Off. lib. I. his verbis: 'Herculem Prodicus dicit, ut est apud Xenophontem, cum primum pubesceret, quod tempus a natura ad deligendum, quam quisque viam vivendi sit ingressurus, datum est, exisse in solitudinem, atque ibi sedentem diu secum multumque dubitasse, cum duas cerneret vias, unam voluptatis, alteram virtutis, utram ingredi melius esset.' *Manut.*

Corpus] Hoc est, librum, volumen. In Epist. ad Q. Fr. II. 12. 'Sed utros ejus habueris libros (duo enim sunt corpora) an utrosque nescio.' Vitruv. 'Cum corpus architecturæ scriberem.' Eodem modo Græcis σῶμα dicitur, ut σωμάτιον. Cic. ad Att. VI. 1. 'Hoc tuum σῶμα curabo ut habeas.' Hesych. Ἰλιὰς τοῦ Ὁμήρου σωμάτιον. Sic et 'Corpus Juris,' eodem sensu. *Græv.*

In legendo scripto] Videtur ad Ciceronis genium magis conformata oratio: si *scripto* deleatur, legaturque, *vehementer animos hominum in legendo retinere possit.* Idem.

Fuga] Fugit ad Artaxerxem, Persarum regem, veritus iram Atheniensium, quibus in suspicionem venerat initæ cum Persarum rege contra Græciam societatis. *Manut.*

Redituque] Ad hæc verba Manutius scribit: 'Reditum Themistoclis post fugam non invenio.' Hæc re permotus Hieronymus Ferrarius legendum opinabatur, teste eodem Manutio, *interitu* pro *reditu.* Aliis placet *exitu* rescribere, aliis *obitu;* alii plane audent *redituque* delere. Sed hæc omnia ab antiquis libris dissentiunt. Mihi dubium non est, quin Cicero

ἁμάρτημα μνημονικὸν admiserit, Themistocli tribuens, quæ de Alcibiade scripta reliquerunt historici. Scribere igitur Cicero debebat, immo volebat, *Alcibiadis*, sed imprudens posuit *Themistocles:* id quod notare criticus debet, non emendare. *Heuman.*

Ignotis nota faciebant] *Ignotis* posuit, non pro iis qui ignorarentur, sed qui ignorarent illa simulacra: ut id quod patitur, accipiatur pro eo quod agit: antique. Nam et Plautus in Pseudolo: 'Novi; notis prædicas:' pro, iis qui noverunt. Et noster in oratione pro Cælio: 'De dignitate, Cælius notis ac majoribus natu, etiam sine mea oratione, tacitus facile ipse respondet.' *Manut.*

Perhibendus] Erat hic a Mureto annotatum in margine *perennis.*

Dixit] His verbis: 'O fortunate adolescens, qui tuæ virtutis Homerum præconem inveneris.' In oratione pro Archia, et Plutarchus in Vita. *Manut.*

Hector] Vide Epist. xv. 6.

Præcones] Præcones in ludis gymnicis erant poëtæ melici, qualis fuit Piudarus, et alii, qui lyra et cantu certatim Olympionicorum laudes et præclara facta celebrabant. Ex magno autem poëtarum numero, qui cæteris ingenio præstitisse putabatur, is et Olympionici coronam imponebat; cum tamen ejus patriam, non eum, coronari pronunciaret; et ipse, tanquam poëtico certamine victor, ab alio poëta, eum laudante, coronabatur. Plin. xvi. 4. *Manut.*

(13.) *M. C. L. Lucceio, Q. F. S. D.*

Anno U. C. 708.

Casus enim gladiatorii] Gladiatorum similitudine Lucceius probare studuerat, non esse penitus de rep. desperandum: cum sæpe, qui jam victus ab adversario gladiator videtur, is ita convaleat, ut victorem prosternat. *Manut.*

Erimus etiam in omnibus desperatione fortes] Vulg. *in omni desperatione fortes*, cum alius codex præ se ferat, *in omnium rerum desperatione fortes;* sed nostra omnino melior, quam accepimus ex Pall. pr. tert. quint. Gruter. Vatic. videturque ideo hæc lectio immutata, quia non cuivis puero plana et obvia; sed non sic 'itur in alta.' *Gebhard.* Cum id etiam Grævius receperit, nihil muto: neque hac tamen via iturum me in alta confido. Gebhardi optimi pace dixerim, mihi vulgatam placere. Neque unquam ita locutus est Cicero, neque unquam, opinor, ita sensit, ut se *desperatione fortem* diceret. Aliud fortitudinis genus, non barbarum illud noverat. *Olivet.*

(14.) *L. Lucceius Q. F. M. T. Ciceroni, M. F. S. D.*

Anno U. C. 708.

Discesserat] Cæsar scilicet.

Eorum, quorum consuesti] Genus loquendi Græcis usitatum: apud quos relativum, quod appellant, congruit cum eo quod antecedens nominant. *Lamb.*

Ad consuetudinem vel nostram] Lusus elegans in voce *consuetudo*, quæ cum refertur ad τὸ *nostram communem*, significat familiarem usum, conversationem; cum ad τὰ *tuam solius ac propriam*, significat morem ac rationem vivendi. *J. F. Gron.*

Non offendas] 'Offendere' quinque modis accipitur. Aut enim est 'lædere,' quæ notissima significatio est: propterea supersedeo exemplis. Aut 'reperire,' ut Epist. i. 9. 'Non offendes eum bonorum sensum, mi Lentule, quem reliquisti.' Et Epist. iv. 14. 'Tam misero tempore nihil novi consilii cepissem, nisi in reditu meo nihilo meliores res domesticas, quam remp. offendissem.' Aut 'incidere,' ut de Invent. lib. ii. 'Quod si in cæteris quoque studiis a multis eligere homines commodissimum quodque, quam sese uni alicui certo vellent

addicere, minus in arrogantiam offenderent.' Aut 'peccare,' vel aliquid committere, unde existimationis, honoris, benevolentiæ jactura fiat. Ut Epist. I. 7. 'Si cecidisset ut volumus et optamus, omnes te et sapienter et fortiter; sin aliquid esset offensum, eosdem illos et cupide et temere fecisse dicturos.' Et Epist. II. 18. 'Si dignum se majoribus suis præbuerit ... sin quid offenderit, sibi totum, nihil tibi offenderit.' Et pro Cluent. 'bis apud judices offendisset.' Aut passive sumitur, quæ minus nota significatio est. Non enim est hic, *offendas*, pro 'pecces,' ut credidit homo doctus, exemplis adductus alio spectantibus, sed pro 'offendaris.' Quod ipse probat Cicero. Nam Epist. ad Q. Fr. I. 1. 'Si quis est,' inquit, 'in quo jam offenderis, de quo aliquid senseris; huic nihil credideris, nullam partem existimationis tuæ commiseris.' In Verr. I. 2. 'Hospes janitor, veritus ne quid in ipso se offenderit, hominem summa vi retinere cœpit.' Et Cæsar Bel. Civ. lib. II. 'At, credo, si Cæsarem probatis, in me offenditis.' Quæ si attendantur, profecto patiendi vim potius habere videbuntur, quam agendi. *Manut.*

(15.) *M. Cicero L. Lucceio, Q. F. S.*

Anno U. C. 708.

Vulneris] Ex obitu filiæ.

Quod vinculum, quæ res deest nostræ conjunctioni] Sic Manutius; sic etiam Lambinus, nisi quod omittit *quæ res.* Nec erat cur id Grævius mutatum vellet.

(16.) *M. T. Cicero Titio S. D.*

Anno U. C. 709.

Memoriæque litteris proditæ] Vulgo *et litteris* inserta copula, quæ melius abest. Instrumentum sexto casu significatur.

Tuarum rerum cogitatione] Non puto *tuarum rerum*, de fortunis dici, sed de liberis immatura morte ereptis: ut sit *tuarum rerum*, pro tuorum incommodorum; quod indicant et quæ antecedunt, et quæ sequuntur. *Manut.*

In qua si resideat] Mss. prim. Græv. Amstelod. tres Pall. Grut. *et quasi resideat.* Quod propter librorum consensum notandum. *Græv.* Ex illo membranarum *et* Cellarius facit *ex*, legendumque arbitratur *et qua si resideat, &c.*

Functum] Gebh. et Græv. *functurum.* Ejusdem pretii lectio utraque; docti eligant.

(17.) *M. Cicero P. Sextio P. F. S. D.*

Anno U. C. 700.

P. Sextio] Corrado est hic Sextius, Ciceronis contra Clodium defensor, ab eodem posthac luculenta oratione defensus. Manutius vero alium esse, multis argumentis contendit. *Cellar.*

Invidia annonæ] Videtur ædilis fuisse: unde invidia in causa annonæ. *Idem.* Distinctionem vero non agnoscit Manutius inter has voces, *annonæ inimici non solum, &c.* neque est, inquit, insitatum Ciceroni duobus uti generandi casibus, ut in lib. de Senect. 'Quid de P. Licinii Crassi et pontificii et civilis juris studio loquar?' Et de Nat. Deor. lib. II. 'Iis artibus, quarum judicium est oculorum.'

Publio tuo] Filio tuo. *Cellar.*

Hominem te, et virum] Ab homine sapientiam, a viro fortitudinem postulat. Est enim ἔμφασις in *virum;* ut in Epistola sequenti: 'Te colligas, virumque præbeas.' Et in Bruto: 'Vidi Mitylenis virum, et vidi plane virum.' *Manut.*

Non cepisse] Libris omnibus veteribus invitis, edendum curavi *non dedisse.* Lamb. Meus primus liber *testimonium non accepisse.* Melior est lectio hæc, quam vulgata. 'Accipere' enim Ciceroni et aliis scriptoribus infinitis in locis est audire, intelligere. *Græv.* Laudetur Grævius, quod nihil tamen mutaverit.

(18.) *M. Cicero T. Fadio S. D.*

Anno U. C. 701.

T. Fadio] Sic est in Pall. quint. Vaticano; sicque edidere Victorius et Lambinus. Vulgo *T. Fabio*, qui fuerat cum P. Sextio tribunus pleb. Male. Fabii enim nobilissimi. Hic autem fuit homo novus, ut innuit ipse Cicero. *Gebhard.*

Dedit] Dedit hominum studia, honores, existimationem. *Manut.*

Sis habiturus] Hæc spes est reditus. Forte non perpetuo exilio damnatus fuit, sed ad certos annos. *Cellar.*

Una sententia] Quæ eum sententiæ damnarunt una tantum plures fuere, quam quæ absolverunt. *Manut.*

Potentiæ alicujus condonatum] In quo reus non ob culpam, sed ob potentiam adversarii, vel alicujus judicum damnatus sit. Vide Pec. Vet. IV. 9. *J. F. Gron.*

(19.) *Cicero Rufo.*

Anno U. C. 704.

Cicero Rufo] Hos titulos Epistolarum quemadmodum in antiquis exemplaribus invenimus, ita scripsimus: id alii postea facere neglexerunt. Quod si res magni ponderis non est, non est fortasse tam levis quam quispiam existimaret. Ita frequenter scribere solitos esse veteres duobus in locis, quod nunc meminerim, testatur Cicero: in quibus etiam non parum referre docet, prænomina ponantur, et tituli honorumque gradus, an nominibus tantum, qui scribit, utatur: alter est in Epistola ad Volumnium, 5. 'Quod sine prænomine, familiariter ut debebas, ad me epistolam misisti,' &c. alter in oratione pro Domo sua: 'Litteras in concione recitasti, quas tibi a C. Cæsare missas diceres: 'Cæsar Pulchro.' Cum etiam es argumentatus amoris esse hoc signum, cum nominibus tantum uteretur; neque adscriberet 'proconsul,' aut 'trib. pl.'' ita enim legendus ille locus est, non 'proconsuli:' pertinet enim ad Cæsarem vox illa, quemadmodum alia ad 'Pulchro.' Tertium exemplum esse potest, si quis his contentus non sit, titulus Epistolæ M. Antonii, quæ in XIII Philipp. inclusa est. Hujus autem et sequentis Epistolæ nomina nuda sunt in priscis et bonis libris. *Victor.*

L. Mescinius Rufus fuit Ciceronis in Cilicia quæstor: unde paulo post Ciceronem decessit, et Romam venit, Cicerone jam oræ maritimæ præfecto. *Corrad.*

Etsi mihi nunquam dubium fuit] Si temporum ordo servatus esset ab eo qui has Cic. Epistolas retulit in volumina, quædam (ut arbitror) nobis magis plana essent, neque in multis locis tantopere hæsitaremus. Hæc, nisi fallor, illam sequi debebat cujus initium est, 'Quoquo modo potuissem,' non præcedere. Obscurum est totum negotium, de quo hic agit: quid tamen sentiamus, libere pronuntiabimus, freti æquitate lectorum. Cum illa non multo postquam e provincia Cicero rediit, scripta sit; hæc, jam suscepto civili bello, et pulso ex Italia Pompeio, scripta est. Exornabat jam Tullius fugam, et in castra Pompeiana proficisci cogitabat, cupiebatque comitem habere illius consilii et itineris Rufum: de quo ipse Rufus in Epistola sua spem aliquam Ciceroni dederat: quod tamen cum cupide Cicero optaret, modeste cauteque rogat, quia res multum periculi, si emanasset, habebat: ideo obscure loquitur, ne si forte litteræ in alienas manus incidissent, aliquid mali molestiæque ex ea re susciperet. *Victor.*

Liberius] Nam in provincia officio quæstorio adductus videri poterat eum studiose colere: cum præstare quæstor prætori suo debeat, quidquid officio potest; nec in eo liberum judicium sit. Confecta vero provincia, verus animi sensus apparet necessitudine quæstoria solutus. *Manut.*

(20.) *Cicero Rufo.*

Anno U. C. 704.

M. Tullius, scriba meus] Ciceronis libertus, fortasse Laurea cognomento, cujus egregios versus, in Ciceronis academiam scriptos, recitat Plinius XXXI. 2. Neque enim Tiro liberatus est, nisi posteaquam e provincia ad urbem Cicero rediit: at ille scriba, qui rationes in provincia tractavit, libertus omnino fuit. *Manut.*

Jus vetus] Mos vetus erat ut ad urbem is, qui proconsul erat, cum quæstore suo rationes conferret, priusquam ad ærarium referret. Jus autem vetus est, quod fuit ante legem Juliam. *Græv.*

Quam cui dedi] Hoc est, tibi. Nemo fuit, cui tutius ac fidelius hoc negotium committi potuerit. *J. F. Gronov.*

Rationes referre properarim] Ita legendum. Ad ærarium puta. Etsi causæ impellerent atque urgerent graves, ut primo quoque tempore hoc officio edendarum ad ærarium rationum defungerer; tamen id dilaturum fuisse usque in adventum tuum, nisi putarem frustra exspectari, ut conferremus, cum jam depositæ essent. Nihil enim jam poterat mutari: cum utrumque codicem concordari oporteret. *Idem.*

Latis] Alii *relatis*, vel *delatis*. Corr. Videtur scribendum *collatis*. Supra, 'Nisi tecum... contulissem.' *J. F. Gronov.*

De Volusio quod scribis] Volusius, multo nomine, magnam pecuniæ vim publice debebat. Eam pecuniam Valerius periculo suo exigendam a Volusio susceperat, prædesque dederat: quos puto Ciceronis legatum et præfectum fuisse; id enim sequentibus verbis indicatur. Videtur autem Cicero, cum rationes conficeret, Volusium liberare voluisse, et a prædibus multam amovere, ut eorum fortunis consuleret. Quod ejus consilium et factum infra demonstratur. Contra Rufus Valerium quidem, et prædes liberare, sed nomen illud a Valerio ad Volusium transferre cupiisset. Quod Cicero ex amicorum, præcipueque Camilli hominis peritissimi sententia, fieri non potuisse demonstrat: aut enim Valerii mancipiis prædes teneri, qui se pecuniam illam, a Volusio debitam, curaturos jam promiserant; aut si prædes liberandi essent, Volusium quoque simul oportere liberari: quod utrumque ut fieret, rationem a se initam esse infra Cicero dicit. *Manut.*

Reliquum] Ita distingue. Ejus, quo usus non eram, quodque restabat inconsumptum, id retuli, populo scilicet, in rationibus scripsi vel scribi curavi, seu testatus sum et residuum salvum esse. Manutius vult simul cum rationibus eam pecuniam ad ærarium relatam, quod fieri potest, ut quandoque factum fuerit; sed hoc proprie verbis his non explicatur. *J. F. Gronov.*

Ut multa] Si in re obscura licet divinare, censeo Volusium quendam fuisse publicanum, et reipublicæ debuisse XXX sestertium; in ejus locum postea successisse Valerium, et non solum conduxisse vectigal illud, sed et reliqua Volusii solvenda in se suscepisse, et hoc nomine prædibus prædiisque reipublicæ cavisse. Ideoque prædes ejus tenebantur, quos liberare cupiebat Cicero. *Multa* vero dicitur hic pecunia, quæ et a mancipe Volusio, et ejus prædibus solvenda erat. Hæc mea de hoc loco sententia est, modo sit sanus; sed dubito. *Græv.*

Cum populus] Hac sententia: Putavi esse boni viri, cum possem, nullo populi damno, commodare civibus, et eorum fortunas sustentare. *Victor.*

Nam de Lucceio] Scaliger ad Catullum emendat, *Nam de lucello est ita actum.* Satis constat vitiosum esse

τὸ *Lucceio:* sed multo constat magis alienissimum esse *lucello*, quod ille substituit. ‘ Vides,’ inquit, ‘ privatum amicorum ac civium vocari lucellum.’ Ego vero non video. Nam duo genera diversissima sunt, hoc ‘ quod in fano positum ’ est, et istæ ‘ fortunæ amicorum, vel civium.’ Fortunæ istæ sunt ipsum patrimonium vel bona Volusii, et prædium Valerianorum et Marii: at illa pecuniæ publicæ pars: neutra ullam lucelli hujus, de quo agitur, habet imaginem. Nam cur ponebatur in foro, si distribuenda erat prætoriæ cohorti? *J. F. Gronov. Nam de logeio* habent omnes præter hunc nuper Venetiis impressum excusi codices. *Victor.* Vide mox Lambinum.

Quando de logeo parum gratum est] Ego quam proxime potui, accessi ad scripturam antiquam. Nam libri manuscripti hoc loco sunt corrupti; sed tamen partim sic habent, *quando de logeo parum gratiosum est;* partim, *gravissimum est.* Vulgati autem, *parum provisum est*, quæ lectio tolerabilis est, nec eam damnamus. Præterea quod ad vocem *logeum* pertinet, nos putavimus utrobique, et supra, ibi, *nam de logeo ita est actum, &c.* et hic, *quando de logeo, &c.* eandem rem agi: ideoque idem nomen poni oportere. *Logium* autem, seu *logeium*, vox Græca est, quæ significat, præter alia, locum ubi rationes referuntur, et ubi deponuntur. *Lamb.* Forte scripsit Cicero *si quid est, quod de legato parum gratum visum est.* Nimirum *de legato*, quem cum præfecto maxima calamitate levare cupiebat, ut supra ostendit. *Græv.*

In pecunia exacta] Recte in meo libro scribitur *in pecuniæ exactu.* Cur non veteres *exactus*, ut *abactus*, dixerint? Et sane ab hoc verbo eos non abhorruisse ostendit etiam Quintil. Declamat. 19. ‘ Sacrosanctus mercator opportunum mercis exactum puto invenit.’ Pro *ita efferre* nonnulli libri legunt *ista referre.* Hinc Ciceronis hæc fuisse verba colligo, *te certe in pecuniæ exactu ista referre ex meis rationibus relatis non oportuit.* Hoc est: Te non oportuit in rationes pecuniæ a te exactæ referre, quod ego in meas rationes ad ærarium relatas jam ante aliter retuleram. Videtur enim Cicero HS nongenta millia in rationes suas retulisse, quæ postea in pecuniam a se forte post Ciceronis decessum exactam quoque retulit Rufus. Sed viderint acutiores. Alii aliter mutant. Nihil in re tam obscura definio, nec mihi ipse satisfacio. *Græv.*

Ita efferri] Sic lege. Ex rationibus a me relatis causam capere cur mihi succenseres. Pro Cœl. 9. ‘ læsi dolent, irati efferuntur.’ De Harusp. Resp. 2. ‘ Dolore me elatum et iracundia longius prope digressum.’ *Gron.*

De beneficiis] Comites et contubernales magistratuum et adjutores publicorum negotiorum deferebantur in beneficiis ad ærarium a proconsulibus et proprætoribus, et quæstoribus, cum redirent ex provinciis. Non hoc erat emolumentum, ut Scaliger ad Catul. notat, sed merus honor et commendatio illarum personarum apud populum Romanum, profutura illis, vel ad majora emolumenta ab rep. consequenda, vel ad pericula, si quæ extitissent, sublevanda, tanquam olim meritis, ut judicio et beneficio principum honestarentur. Sic Archiam ‘ in beneficiis ad ærarium delatum ’ ab Lucullo prætore et consule, sic L. Cornelium Balbum a Pompeio in illorum defensione jactat Cicero. Male Scaliger hoc dicit ‘ nomen in ærarium referri,’ et ‘ vocari in beneficiariis.’ Omni antiquitati ignoratur hoc loquendi genus, quæ dicebat ‘ deferri in beneficiis ad ærarium.’ *Idem* de Pec. Vet. III. 17.

Ambitioni] *Ambitionem* non recte interpretatur Manutius, quasi osten-

dere voluerint cohortem apud se fuisse lectissimorum hominum, qui beneficia in rem publicam contulissent. Non quidem de nihilo est, et potuerunt hoc quoque nonnulli respicere: sed non id intelligit Cicero, cui *ambitio* est gratia et demonstratio studii in clientes. Significat se facile pati potuisse, ut hanc apud delatos gratiam iniret Rufus, cum ipse deferendo non sit secutus gratiam, sed morem, et veritatem, et merita. Illud haud protritum, 'qui ambitione nihil uterer.' Plaut. Trinum. 'Apage a te amor, non places, nihil te utor.' Cæsar Civ. lib. III. 'Si vero alteri paulum modo tribuisset fortuna, non esse usurum conditionibus pacis eum, qui superior videretur, neque fore æqua parte contentum, qui se omnia habiturum consideret.' Liv. lib. IX. 'Tum pacem petentes, quod uti ea, cum daretur, noluissent, aspernatus.' *Idem* de Pecun. Vet. III. 17.

Myrina] Libri duo habent *Smyrna;* reliqui *Myrina.* Utraque nota urbs, Smyrna in Ionia, Myrina in Æolia. Quis potest divinare, ex utra scripserit Rufus eas litteras? Smyrna quidem naviganti in Italiam Mescinio propinquior et commodior. *Manut.*

Decessimus] Sic omnes, quos viderim, veteres libri. A quibus olim discedendum putabam, et legendum, unius litteræ mutatione, *decessemus.* Nunc me ipse revoco, et ita statuo, syncopen esse non posse in iis verbis, quorum in præteritis ultima syllaba est, *si:* ut 'cedo,' 'cessi,' 'cessissem,' non 'cessem;' eodemque modo in compositis, 'decedo,' 'recedo,' 'incedo,' 'discedo,' 'concedo.' Autea *decessissemus* legebatur. *Idem.* Lege, *decessemus.* Sic recte Manutius; quam sententiam male postea mutavit. *J. F. Gron.*

Obligatum] Deberi sibi a Cicerone mutuam pecuniam ex litteris ab eo antea humanissime scriptis, Rufus ostenderat. *Manut.*

H-S XXII] Parva summa. Itaque legendum opinor *bis, et vicies,* ut est in Epist. ad Att. XI. 1. 'In cistophoro in Asia habeo ad H-S bis et vicies.' Loquitur de hac Ephesi deposita pecunia; nam Ephesus in Ionia, quæ regio est Asiæ. *Idem.*

Quod si mihi expensa ista H-S centum tulisses] Si mihi ea mutua dedisses, aut in rem meam expendisses jussu meo, ut justus tibi debitor forem. *Quod* eleganter παρέλκει. Vide not. ad Liv. XXVII. 7. *J. F. Gronov.*

Æstimationem accipere] Possessionem æstimatam accipere pro pecunia mihi commodata. Hic locus videtur indicare scriptam hanc Epistolam Cæsare iterum et Servilio iterum coss. post latam a Cæsare legem de æstimandis possessionibus, quanti quæque ante civile bellum fuissent; ut debitoribus consuleretur, quorum erat iniqua conditio, jacentibus prædiorum pretiis; quod fere solet in bellis evenire. Dicebantur autem possessiones illæ, 'æstimationes,' ut Epist. IX. 16. et 18. *Manut.*

Scindi] Varie dixit, hic quidem *scindi;* alibi 'conscindi,' ut Epist. VII. 18. et 'concerpito,' ad Att. X. 10. *Idem.*

(21.) *M. T. C. L. Mescinio S. D.*

Anno U. C. 707.

Ita] Elegans adversandi formula, et quasi jurandi, per *ita, ut.* Divinat. cap. 13. 'Ita Deos mihi velim propitios, ut, cum illius diei,' &c. Catil. IV. 6. 'Ita mihi salva rep. vobiscum frui liceat, ut ego,' &c. *Cellar.*

Etenim, cum esset major] Aliis placet *Ut enim* pro *Etenim,* quia sic habent plerique veteres libri. Solœcismi species apparet. Quid refert? inquiunt. Quam multa præterea hujusce generis in Cicerone deprehenduntur. His itaque responderi videtur posse: solœcismum, si modo libri

veteres in eo consentiant, ferendum; sin aliter, tollendum. Itaque, cum habeam duos veteres libros, unum M. Antonii Maffei, quo etiam olim, commodante ejus fratre Bernardino Cardinali, usus sum; alterum Fulvii Ursini, in quibus diserte legitur *Etenim*, libenter aufero solœcismum, et integritatem Cicerone dignam restituo. *Manut.*

Conscientia consiliorum meorum] Sæpe hanc sententiam usurpat, Epist. IV. 3. VI. 1. 4. 6. 10. 13. et 21. VII. 3. quæ recitare longum est: indicare loca, et quasi digitum ad fontem intendere, unde hauriant qui copiæ student, satis duco. *Idem.*

Nisi invidisset is] Pompeium, opinor, designat; a quo se proditum, contra datam fidem, sæpe queritur. *Idem.*

Quem ego idem effeceram] In consulatu. Epist. I. 9. *Idem.*

Rerum Africanarum] Africani belli, quod inter Cæsarem, et Scipionem, ac regem Jubam gestum est. *Manut.*

LIBER VI.

(1.) *M. Cicero A. Torquato S. D.*

Anno U. C. 707.

Tamen oculi augent dolorem] Epist. IV. 4. et 13. et VII. 30. Aurium autem sensum plus doloris afferre quam oculorum dixit supra ad Marcellum IV. 9. Oratoris hoc est eisdem rebus, si res postulet, vel contrariis uti. *Græv.*

Etsi] Adverte in principio hujus Epistolæ quater esse repetitum *etsi tamen*, quod in nobis vitio duceretur. *Idem.*

Agitare animo] Tribus modis hoc verbum ad eandem sententiam accommodatur, 'agitare animo,' 'agitare in mente,' 'agitare' simpliciter. Primus hoc in loco modus ostenditur, et pro Fonteio: 'Vos et sæpius eandem rem animis agitare, et diutius unoquoque de teste cogitare potestis.' Alter de Nat. Deor. lib. I. 'Habet nihil aliud, quod agitet in mente.' Tertius in Verrem: 'Si hoc unum agitare cœperit, esse aliquod genus cogendæ pecuniæ.' *Manut.*

Is] C. Julius Cæsar. *Corrad.*

Nec tamen is ipse] Cur salutis amittendæ timore angamur, cum is ipse, a quo servari volumus, eodem timore vacare non possit? Augurium Ciceronis brevi Cæsaris interitus comprobavit. *Manut.*

Ratio et veritas] Est, per ἓν διὰ δυοῖν, 'vera ratio:' quam dictat sana ratio, quam sapientes homines sequuntur. Sic inferius in hac Epistola: 'In ea urbe es, ubi nata et alta est ratio ac moderatio vitæ.' Est ratio moderandæ vitæ. Justinus lib. II. 'Lanæ iis usus ac vestium ignotus;' hoc est, lanearum vestium usus ignotus est. Exempla passim occurrunt, et multa viri docti pridem congesserunt. *Græv.*

Desperationem] Cum de rep. desperabam, si res ad arma deduceretur. *Manut.*

Togati potius] Simile illud in Epist. 6. 'Nolo hunc existimare, ea me scripsisse Pompeio, quibus ille si paruisset, esset hic quidem clarus in toga, et princeps, sed tantas opes, quantas nunc habet, non haberet.' Subissemus, inquit, potentiam, ut rem gravem, sed victoria tamen leviorem. Ideo in Epist. 4. 'Cupiebam

quamvis iniqua conditione pacem.' Et in ultima superioris libri: 'Quavis tuta conditione pacem accipere malui, quam viribus cum valentiore pugnare.' *Manut.*

Debitum] Forte *deditum*. Idem.

(2.) *M. T. C. A. Torquato S. D.*

Anno U. C. 707.

Reciperis] Recipiebatur, quia, licet in urbem redire non posset, in Italia tamen ei licebat esse. Hoc etiam e postremis Epistolæ verbis colligitur: 'Ut, aut quo scribam, aut quo veniam, scire possim.' Nam, si extra Italiam Torquatus esset, non diceret Cicero, 'quo veniam.' Præterea, Torquatum in Tusculano fuisse, ejusque causam Dolabellæ a Cicerone commendatam, ut scilicet ejus reditum in urbem a Cæsare ex Hispania redeunte impetraret, licet intelligere ex Epist. ad Attic. XIII. 9. 'Εὐκαίρως,' inquit, 'ad me venit, cum haberem Dolabellam, Torquatus: humanissimeque Dolabella, quibus verbis seeum egissem, exposuit: quæ diligentia grata est visa Torquato.' Et ad eundem Epistola 20. 'Torquato nostra officia grata esse, facile patior; eaque augere non desinam.' Et Ep. 21. 'Quid possum a Torquato, nisi aliquid a Dolabella?' Et Ep. 44. 'Cum Dolabella vivendum esse istis diebus, vides. Quod nisi me Torquati causa teneret; satis erat dierum, ut Puteolos excurrere possem.' Atque illæ ad Atticum Epistolæ, Cæsare ex Hispania, devictis jam Pompeii liberis, redeunte, scriptæ sunt: hæ vero ad Torquatum, adhuc pugnante: id quod perspicuum satis est: hæc tamen una, confecto jam bello, et concessa Torquato manendi in Italia, non in urbem veniendi, potestate, scripta videtur esse, ideoque rejicienda in extremum locum. *Manut.*

M. Antonius] Orator. *Jam tum*] Ante Marii et Syllæ bellum, quo in bello ipse est interfectus. *Idem.*

(3.) *M. T. C. A. Torquato S. D.*

Anno U. C. 707.

Rerum] Hispaniensium rerum, quia scripta Epistola, cum Cæsar in Hispaniam adversus Pompeii filios profectus esset. *Cellar.*

Ut non sit vivendum] Manuscripti codices *ut tum sit vivendum* habent: quantum autem intelligo, ex utraque lectione idoneus sensus elicitur: ex recepta, ut opinor, hic: Vivere amissa dignitate miserrimum est: docti enim et graves viri rectum non esse judicabant vivere illi qui dignitatem perdidisset. Ex antiqua vero sic: Vivere ut vivendum tum esset, si Cæsar, aut Pompeiani rempub. oppresserint. Eam unusquisque lectionem sequatur, quam veriorem putat. *Victor.*

Ne beato] Quod si ne beato quidem, quanto minus nobis in iis miseriis, quæ post bellum impendent? *Manut.*

Aut eorum qui remanserint] Quia uno membro deminuti hic sunt omnes non solum veteres, sed etiam recentiores Mss. codices, ipse meum esse arbitratus sum rem notam facere, lectoresque admonere notha esse hæc verba, nisi fallor, et supposititia: ab aliquo suppleta eorum, qui semper, quæ desiderari credunt, pro suo arbitrio reponunt: quantum dissentiam ab his, alibi dixi. *Victor.*

Γλαῦκ' εἰς Ἀθῆνας] *Noctuam Athenas.* Et proverbium est loco maxime accommodatum. Nam Torquatus Athenis erat. *Corrad.* Adagium inde ortum, quod Athenis nummi percuterentur cum imagine noctuæ. Noctuæ igitur Athenis multæ, quia nummi multi. Epist. IX. 3. et ad Q. Fr. lib. II. ult. et interpres Aristophanis. *Manut.*

(4.) *M. T. C. A. Torquato S. D.*

Anno U. C. 707.

Bellum] Quod in Hispania cum Pompeii liberis Cæsar gerebat. *Manut.*

Non quo ego certo sciam] Hæc verba, *ego certo sciam*, infarcta sunt a primis editoribus. In nullo enim ne recentissimis quidem extant codicibus, in quibus sic distinguitur, *non quo: sed difficilis conjectura. Haud* etiam intruserunt, qui omnes lacunas ex ingenio supplere in animum induxerunt suum. Pantagathus, *non quorsum, quod difficilis erat conjectura.* Græv.

Omnis belli Mars communis] Incerta semper victoria est. Unde illud Phil. 10. 'Ut concedam, incertos exitus esse belli, Martemque communem.' De hoc genere ornamenti sic de Orat. lib. III. 'Gravis est modus orationis, et sæpe sumendus: ex quo genere sunt hæc, Martem belli esse communem, Cererem pro frugibus, Liberum appellari pro vino,' &c. *Manut.*

Alteros] Cæsarianos. Et ait, 'propemodum sumus experti,' quasi significet non omnino, et adhuc modestiores fuisse, dum supererant, quos timere poterant. *J. F. Gronov.*

De altero] Pompeii filio: præsagiunt omnes, si fuerit superior, victoria crudelissime usurum. *Idem.*

Ejus] Cæsaris. *Manut.*

Litteræ] Vide hujus libri Epist. 6. IV. 3. V. 15. IX. 2. 3. et ult. *Idem.*

Is vir] Pompeius. *Corrad.*

Servium] Sulpicium, qui Achaiæ præerat. Epist. IV. 12. VI. 1. *Manut.*

(5.) *M. T. C. A. Cæcinæ S. D.*

Anno U. C. 707.

Cæcinæ] Cognomen est Liciniæ gentis, ut ostendit Plinius XX. 18. Cæcina vero ex Etruria Romam venit, ut Epistola sequenti, et Orat. pro illo habita, quæ extat, intelligitur. Et videtur hoc accepisse cognomen a Cæcina, Volaterrani agri fluvio, quem nominat Plin. III. 5. nam et Cæcinam Volaterranum, idem Plinius appellat X. 24. Hujus uxor Cæsennia nominatur in Orat. quæ illum moriens ex deunce et semuncia heredem reliquit. *Cæcina*, et unica *n* scribo, et secunda syllaba producta, ut Porcina, Arvina, Spurina, Hemina: quibus Romanæ cognominibus usæ sunt. Id trium quoque veterum lapidum testimonio comprobatur. *Manut.*

Liber] Quo Cæsarem laudabat, ut Epist. 7. nam ille, quo maledixit, antea scriptus erat. *Idem.*

Custoditur] Scripserat enim Cæcina Epist. 7. 'Filius, ut audio, pertimuit, neque injuria, si liber exisset; quando non tam interest, quo animo scribatur, quam quo accipiatur; ne ea res inepte mihi noceret.' Et in ejusdem Epistolæ clausula, 'Peto a te, ne liber exeat; aut ita corrigas, ne mihi noceat.' Nec dubito, quin hæc epistola post illam scripta sit. *Idem.*

Extra ordinem] Hoc fortasse dixerit: Accedunt ad spem, ut extraordinaria sit, ingenium et virtus: accedunt autem præter illa, quæ tibi sunt cum aliis communia. Est omnino inconsequens et obscura locutio; ex quo vereor, ne corrupte totus hic locus legatur. Ac fieri tamen potest, ut ita scripserit Cicero, et inciderit in vitium, quod Græci σολοικοφανὲς appellant. *Idem.*

Eximium] Seneca Quæst. Nat. II. 56. 'Hoc apud Cæcinam invenio, facundum virum, qui habuisset aliquod in eloquentia nomen, nisi illum Ciceronis umbra pressisset.'

Violatum] Quia Cæcina in Cæsarem scripserat, Epistola 7. et Suetonius, ubi de Cæsaris moderatione ac clementia loquitur, 'A Cæcinæ,' inquit, 'criminosissimo libro laceratam existimationem suam civili animo tulit.' *Manut.*

(6.) *M. T. C. A. Cæcinæ S. D.*

Anno U. C. 707.

Et studiorum, et partium] Placuit eorum sententia, qui *studiorum parium*, ope aliqua veteris libri, reposuerunt. *Manut.*

Expulissent] Clodiana tempora significat; nec magis ipsum Clodium, quam Cæsarem, Pompeium, Crassum tacite carpit. Vide Orat. pro Sextio. *Idem.*

Varietate] Exilio, et reditu. *Idem.*

Ea me suasisse Pompeio] Quæ suaserit, ipse exponit Phil. II. his verbis: 'Duo tempora inciderunt, quibus aliquid contra Cæsarem Pompeio suaserim: unum, ne quinquennii imperium Cæsari prorogaret; alterum, ne pateretur ferri, ut absentis ejus ratio haberetur. Quorum si utrumvis persuasissem, in has miserias nunquam incidissemus.' *Manut.*

Eundum] Pompeio in suam provinciam, quæ in quinquennium ei data erat. Vide Epist. XVI. 11. *Idem.*

Rationem haberi absentis] Hoc est, ut absens inter candidatos consulatus reciperetur. *Ratio illius* dicitur *haberi*, qui in numerum candidatorum recipitur, cui licet petere magistratum. Est proprium in hac re loquendi genus. Liv. lib. XXVII. 'Si suum nomen dictator acciperet, comitiis intercessurum: si aliorum præterquam ipsius ratio haberetur, comitiis se moram non facere.' Flor. IV. 2. 'Nec ille abnuebat si ratio sui proximis comitiis haberetur.' Suet. Cæs. 18. 'Sed cum edictis jam comitiis, ratio ejus haberi non posset.' Utitur et Cicero sæpe in aliis locis. Vide Brisson. de Form. lib. II. *Græv.*

Ipso consule] Pompeio solo. *Corrad.*

Populus jusserat] Populus proprie dicitur 'jubere' cum aliquid in comitiis suis suffragiis comprobat. Hinc sollemnis formula ferentium aliquid ad populum, 'Velitis, jubeatis, Quirites.' Vide Brisson. de Formulis, lib. II. *Græv.*

Causa belli] Cum Pompeius et ejus amici rationem absentis Cæsaris in petitione consulatus haberi nollent; Cæsar, quod ei populus dederat, id servari vellet. *Manut.*

Amphiaraus] Poëtæ fingunt, vatem Amphiaraum, cum videret se interiturum, si ad bellum Thebanum iret, latitasse, uxore tantum conscia; eam, accepto monili aureo, virum indicasse; itaque coactum ire cum cæteris, hiatu terræ absorptum. Diodorus Siculus lib. V. Pausanias, Statius, alii, Cicero de Invent. lib. I. et in Verrem. Servius in Æneid. VI. 445. *Idem.*

Solistimis] Vide Divin. I. 15. et II. 34.

Soniviis] Festus: 'Sonivio significat in carmine, item in commentario augurali, Sonanti.' Idem: 'Sonivium tripudium dicitur, ut ait App. Pulcher, quod sonet, ut cum pullo excidit puls, quadrupedive aliquid ex ore.' Cæcina de Etrusca Disciplina scripserat, ut ex Indice Plin. lib. II. colligimus: et illum Cæcinæ librum hic respicere videtur Cicero. *Olivet.*

Querelarum] Querebatur de sua calamitate, Cæsarem laudabat potius, quam accusabat. Nam hic non Cæcinæ liber, quem 'criminosissimum' vocat Suetonius, verum alter significatur, de quo in Epistola superiore, et in ea, quæ post hanc legitur; in qua partem harum querelarum licet animadvertere. *Manut.*

Cedit multorum justis] Hoc est, facile patitur Cæsar se exorari ab iis, quos justæ causæ et officii ratio pro parentibus, cognatis, patronis et amicis intercedere compellit; non vero ab iis, qui nulla inducti ratione, aut saltem favoris aucupandi gratia, pro aliis supplicant. *Græv.*

Consentiens Etruria] Pro te, qui

Volaterranus es, rogans. *Corrad.*

In parte Italiæ] Etruria. *Idem.*

Fama populi Romani] Opinione et sermone omnium. *Manut.*

Cassium] C. Cassium legatum suum esse voluit. Epist. xv. 15. *Idem.*

Brutum] M. Brutum, qui postea conspiravit cum Cassio contra Cæsarem. Epist. xiii. 10. Illum autem præfecit Galliæ Cisalpinæ, cum ad bellum Africanum profecturus esset. *Corrad.*

Sulpicium] Epist. iv. 12. vi. 11.

Nefariorum scelerum condemnati] Maxime significat eos, quos lege Pompeia de ambitu damnatos Cæsar restituit. Epist. ad Att. x. 4. *Manut.*

Familiares] Subaudi, amplectuntur me. Familiares Cæsaris, iidemque amici Ciceronis, Pansa, Hirtius, Balbus, Oppius, Matius, &c. *Cellar.*

(7.) *A. Cæcina M. Ciceroni S. D.*

Anno U. C. 707.

Liber] Is, de quo Epist. 5. Itaque patet, illam post hanc fuisse collocandam. Hanc autem post eam, quæ sequitur: in qua Cicero scripsit, 'In Sicilia censeo commorandum:' cui respondit in hac Cæcina, 'De Asiatico itinere, ut imperasti, feci.' Hic liber cum laude Cæsaris Ciceronisque scriptus erat, ut infra perspicuum est: illum alterum, quo Cæsari maledixerat, ante pugnam Pharsalicam Cæcina composuit: quo se duriorem in venia danda Cæsar præbuit. *Manut.*

Stultitia fama multetur] Qui stulte aliquid commisit, fama illi pœna est, et stultus esse dicitur. *Idem.*

Non revocans me ipse, sed pene refugiens] Hoc est, non quod pristinam meam de te sententiam mutarim, sed quod pene invitus mihi vim intulerim in tam parce scribendo de te contra animi mei sententiam metu subactus. *Græv.*

Solutum existimatur alteri maledicere] Hoc est, libere licere in adversarium invehi, eumque atro sale defricare. 'Soluto' opponitur 'impeditum:' cum non licet nobis scribere ut volumus, cum refrænatur impetus cogitationum sive ipsa materia, sive alia quadam ratione. Sic Mela Proœm. Descriptionem Situs Orbis vocat 'impeditum opus et facundiæ minime capax.' *Idem.*

In petulantiam] 'Petulantia' Latinis significat sæpe maledicentiam, linguæ effusam procacitatem, effrænem aliis obtrectandi, et acerbis dicteriis ac conviciis proscindendi libidinem. *Idem.*

An tibi gratius] Fortasse gratius tibi erit, ac melius cadere videbitur, quod parce te laudaverim. *Manut.*

Animum] Quo modo animum affici atque angi meum putas, ubi hæc secum ipse cogitat? Hæc scilicet quæ sequuntur, usque ad illud, 'Quid faciet?' *Idem.*

Laudo aliquem] Alium. Forte quenquam alium honeste appello: quid scio an eum laudari ferat? *J. F. Gronov.*

Cum porro ostendam] Legendum esse *cum porro non offendam*, intelligent qui et attente legent, et non erunt tardissimi. Hoc enim sentit M. Tullius: Age, laudo aliquem: sic mecum cogito: num offendo Cæsarem illius laudatione? Sed finge me non offendere: quid si non vult illum laudari? Fieri enim potest ut facto aliquo aliquis non offendatur, neque lædatur: id factum tamen non probet, aut id factum nolit. *Lamb.* Est locus procul dubio corruptus. Medicina vero anceps. Legebam ex vestigiis mei et Menteliani libri, *Laudo aliquem. Non offendo. At potero offendere. Quid si enim non vult?* scilicet illum laudari. *Græv.*

Caves tibi per Brutum] Quem te Bruto petenti negare non potuisse scribis. Nisi malimus illum librum intelligere, qui Brutus, sive de Claris

Oratoribus, inscribitur: in quo et major de temporibus querela est, et Brutus ipse loquitur. *Corrad.*

Calumnia timoris] Calumniator ea fingit, quæ vera non sunt. Itidem timor sæpe falsa proponit: ut recte, propter similitudinem, *calumnia timoris* dici possit. *Manut.*

Evadere] Ita scribere, ut animus acquiescat. *Evadere* dixit, tanquam ex difficultate. *Idem.*

De Asiatico itinere] Petierat a Cicerone consilium Cæcina, quid sibi esset auctor, in Siciliane subsideret, an ut ad reliquias Asiaticæ negotiationis proficisceretur. Respondit Cicero, *In Sicilia censeo commorandum.* Vide Epistolam sequentem; quæ tamen ante hanc scripta est.

Vel studio] Hoc est, nimio amore mei, vel nimio impetu meam restitutionem conficiendi. *Græv.*

(8.) *M. Cicero A. Cæcinæ S. D.*

Anno U. C. 707.

Tibi præfinitas esse] Ne ultra tibi esse liceret in Sicilia. *Manut.*

Balbus] L. Cornelius Balbus, Gaditanus, pro quo extat Ciceronis oratio. Hic absentis Cæsaris negotia procurabat. *Idem.*

Oppius] C. Oppius Cæsaris legatus Africano bello. Extat ejus, et L. Balbi Epistola ad Ciceronem lib. IX. ad Att. Ciceronis ad eum lib. XI. *Idem.*

Pontius non continuo] Fallor an Cicero scripsit, *huic meæ rogationi protinus non responderunt.* Τὸ *continuo* est τοῦ *protinus* explicatio a magistro margini adscripta, aut *protinus* superposita, quæ inde in contextum irrepsit, et monstrosam hanc produxit lectionem. *Grævius.* Obscurus et ineptus ex vulgari lectione sensus: ex emendatione perspicacissimi Grævii planus. *Cellar.*

(9.) *M. T. C. T. Furfanio, Procos. S. D.*

Anno U. C. 707.

Furfanio] Sic F. Ursinus ex vetusta inscriptione, quam vidit. *Furfano* habet Victorius, et retinet Grævius.

(10.) *M. T. C. Trebiano S. D.*

Anno U. C. 707.

Trebiano] Antea legebatur *Trebatio:* postea Paulus Manutius, veterum librorum secutus scripturam, restituit *Trebiano:* atque ita plane est in manuscripto apud me codice. Ego tamen *Trebanio* legendum puto ex auctoritate argentei nummi, et item ærei, in quibus *L. Trebani* incisum est. Errorem autem ex transpositione litterarum fluxisse arbitror ab imperitis librariis facta, qui *Trebiano* scripserint pro *Trebanio.* Ursin.

Ordinis tui] Equestris; nam, si senatorii fuisset, 'ordinis nostri' dixisset. *Manut.*

Casu] Non pauci habent *quasi.*

Casu devincti] *Casu* hoc loco nihil significat, et Manutius non explicat hanc vocem, sed sensum qualemcunque fingere maluit, quam fateri, se, quid ea vox hic sibi velit, ignorare. Mihi dubium nullum est, quin aliquis vocem *ejus* ex proxime antecedentibus explicaturus, in margine apposuerit *Cæs.* compendiosa scribendi ratione pro *Cæsaris.* Ex illo scripturæ compendio deinceps *casu* factum esse ab imperito librario, plane mihi persuadeo. *Heuman.*

Antea misissem] In meis libris sane priori annectitur Epistolæ. In aliis tamen initium est novæ Epistolæ, quos secutus est Manutius, qui et eam scriptam putavit ante superiorem proximam, quia prima illa verba, 'antea misissem ad te litteras, si genus scribendi invenirem,' nullas antea Ciceronem litteras ad eum misisse perspicue demonstrent. Hæc

quidem ille in argumento hujus Epistolæ declaravit. Quamvis autem mei libri adstipulentur vulgatis editionibus, has Epistolas conjungentibus, et pro una habentibus, tamen sententia Manutii mihi videtur potior. Nam verba quæ hæc præcedunt, plane ostendunt eis finiri Epistolam: ista verò 'Antea misissem,' &c. initium novæ Epistolæ arguunt. Sed sine libris nihil ausus sum immutare. *Græv.*

(11.) *M. Cicero Trebiano S. D.*

Anno U. C. 707.

Dolabellam] P. Cornelium Dolabellam, antea Ciceronis generum. Divortium jam cum Tullia fecerat, quo tempore scripta est hæc Epistola. Id licet conjicere ex Epist. ad Att. II. 23. quæ scripta est ante bellum Africanum: hæ vero ad Trebianum omnes post id bellum. Nec vero simul cum affinitate dirempta amicitia est, nisi si temporum causa simulatum est. Extant Ciceronis Epistolæ lib. IX. ad Dolabellam insigni cum amoris argumento: et hæc ipsa, prodesse Ciceroni gratiam Dolabellæ apud Cæsarem in amicorum negotiis demonstrat. *Manut.*

Ejus periculis] Bis eum Cicero, ante filiam suam ei collocatam, in capitis periculo defenderat. Epist. III. 10. *Idem.*

In re] In fortunis tuis. *Idem.*

Vestorius] Puteolanus, de quo sæpe fit mentio in Epist. ad Att. *Idem.*

Syronem] Epicureum, de Finib. lib. II.

(12.) *M. T. Cicero Ampio S. D.*

Anno U. C. 707.

Ampio] Vulgo *T. Ampio Balbo*, contra libros. Victorii editio recte solum medium nomen agnoscit, ut et Vatic. et Grut. codices. *Gebhardus.* Videtur is esse, ad quem scribit Epist. X. 29. quod si ita est, collocari illam Epistolam ante hanc oportuit; ut ex utriusque cognoscitur argumento. Idem commendatur Epist. XIII. 70. Quatuor Balbos invenio: unum hunc Ampiæ gentis; alterum Atiæ, qui Juliam, C. Cæsaris sororem, in matrimonio habuit, ex qua genuit Atiam, Augusti matrem; duos reliquos Gadibus natos, et civitate Romana donatos, Corneliæ gentis; quorum alter Balbus major, alter minor, ejus fratre genitus, vocatus est. Major est, qui nominatur inter Cæsaris amicissimos in hac ipsa epistola, et in Epist. VI. 8. 19. et in VII. 5. 7. 18. et in IX. 17. pro quo extat egregia Ciceronis oratio. Primus in Oceano genitorum consulatum est adeptus, ut ait Plin. VII. 43. Minor Balbus ex Africa triumphavit, ut idem Plin. V. 5. Strabo lib. III. Nominatur a Cicerone Epist. ad Att. VIII. 11. a Pollione Epist. X. 32. *Manut.*

Fortuna ipsa debilitatæ gratiæ nostræ] Sic olim hunc locum emendaram, *fortuna ipsa, debilitasque gratiæ nostræ.* Nunc sententia mutata, receptam tueor. *Lamb.* Id est, Caritas in te mea faciebat, ut apertius agerem, quam per nostram miseram fortunam liceret. *Manut.*

Per me] Egerat Cicero per familiares Cæsaris, amicos suos, non per seipsum. Ita porro in Ampii salute impetranda ei satisfecerant amici ejus omni sedulitate atque officio, ut vix ipse Cicero, si auctoritate et gratia pari fuisset, agere potuisset. *Manut.* Lego *pro te efficiendum*, id est, qui si nunc demum conciliandi mihi fuissent, ut tibi per eos consulerem. *Non me pœniteret*, non fastidissem illorum gratiam ambire ut quidem nunc sunt tempora, quibus multis indignis etiam adulandum est. *Nihil est a me inservitum*, neminem colui, aut delinivi, nunc demum ob præsentem necessitatem. *J. F. Gronov.*

Quam] Vulgo *quas*, quod *rogationes* præcessit. At Mss. *quam.* Intellige

unam solius Cimbri rogationem, seu unam e multis, quæ quod *necessaria* erat, videtur Tillius propinquus Ampii fuisse. *Cellar.*

Diploma] Sunt litteræ indices ac testes concessi beneficii ab eo qui præest reipublicæ; proprie et per excellentiam *diplomata* dicebantur litteræ, quibus dabatur a summo reipublicæ rectore cursus publicus. Sunt sic a forma appellata; nam formabantur in modum tabularum duplicum, ut docet Casaubonus ad Sueton. *Græv.*

Epuleiæ] Uxoris. Nam Ampia, filia: quia feminæ gentis nomine appellabantur. *Manut.*

Perscribi] Recte Lambinus ostendit necessarium esse ut *τῷ perscribi* adjiciatur *oportere:* pendet enim sensus sine hoc verbo. Immo istam locutionem quæ in editis extat, plane repudiat Latina lingua, quæ postulat, *magnopere putavi mihi perscribendum esse;* aut *perscribi oportere*, ut habent editiones multæ. *Grævius.* Abest *oportere* ab omnibus Mss. itaque mendi suspicio nondum exspirat. *Cellar.*

Sed etiam, si ita accidisset, victus, ut sapiens esses] Libri aliquot veteres, *sed etiam ut, si ita accidisset, victus et sapiens esses:* alii, *sed etiam ut, si ita accidisset, victus ut sapiens esses;* quos ita sum secutus, ut primum *ut* induxerim, tanquam non necessarium. Sententia similis Epist. 1. 'Si id evenit, quod ingredientibus nobis in causam propositum fuit accidere posse; non debemus ita cadere animis, quasi aliquid evenerit, quod fieri posse nunquam putaverimus.' Et Epist. 6. 'Sin propter incertos exitus eventusque bellorum, posse accidere, ut vinceremur, putasses; non debere te ad secundam fortunam bene paratum fuisse, adversam ferre nullo modo posse.' *Manut.*

Memoriæ prodendis] Ampius hic historiam scribebat. *Idem.*

(13.) *Cicero Ligario.*

Anno U. C. 707.

Ex Africa nuntias] De Pompeianis in Africa devictis. *Manut.*

Nunc secunda] Victorius, Gebhardus, Gronovius *cum secunda*, quæ præpositio est cum sexto casu. *Cellar.* Vulgata scriptura non est abolenda. Sensus enim hic est: Quia tam bene de rep. semper voluisti et sensisti, debes nunc sperare secunda, tanquam bonæ hujus tuæ voluntatis et sensus præmia: sed etsi fortuna tibi adversaretur, non debes tamen inique hanc fortunæ injuriam ferre, sed, &c. *Græv.*

(14.) *Cicero Ligario.*

Fratrum] Tres erant Ligarii fratres, quorum unus Q. ad Pompeii castra transierat.

Cum a. d. v. Kalend. intercalares priores] Scripta est hæc Epistola anno U. C. 707. quo Cæsar fastos correxit. Ut annus Romanus, valde perturbatus, in eam formam componeretur, quam nunc obtinet, et Kalendæ Januariæ deinceps ordinate recurrerent, necesse fuit assignari huic anno dies 445. itaque præter mensem Mercedonium, qui ex Numæ instituto in Februarium insertus fuit, duos menses intercalari jussit Cæsar ante mensem Decembrem. Hinc *Kalendæ intercalares priores* et *posteriores*. Nonnulli, post Jos. Scaliger. de Emend. Temp. lib. II. aiunt *Kalendas intercalares priores* esse diem primum mensis Mercedonii. At Mercedonius inferebatur in Februarium; et per mensem Februarium Romæ Cæsar non erat, sed in Africa, unde rediit die 26. Julii. *Anon.*

(15.) *Cicero Basilio S.*

Basilio] Sic libri; nisi forsan *Basilo*, vel *Basillo*, tribus syllabis scribendum. Lucius quidam Minucius Basilus, dives homo, in Græcia mor-

tuus, cujus falsum testamentum Cicero Offic. III. 18. et Val. Max. IX. 4. memoraverunt. Cujus forte filius fuit L. Minucius Basilus, Cæsaris in Gallia legatus, postea in percussoribus ejus. Appianus de B. C. lib. III. extremo, Μινούκιος Βάσιλλος, κ. τ. λ. *Cellar.*

(16.) *Bithynicus Ciceroni S.*

Anno U. C. 709.

Bithynicus] Pompeiæ gentis, cui genti cognomen hoc dedit Bithynia devicta. Nominatur etiam in libro De Claris Orat. 'Q. Pompeius Bithynicus:' sed eum puto hujus Bithynici patrem fuisse: nam illum inter mortuos oratores Cicero numerat in eo libro, qui scriptus videtur ante exitum Africani belli. Hæc autem et quæ sequitur Epistola, scriptæ sunt, nisi me conjectura fallit, post Cæsaris necem. *Manut.* De Bithynico hujus patre, vide in Bruto, cap. 68.

(17.) *M. Cicero Bithynico S.*

Anno U. C. 709.

Bithynico] Non respondet hæc Ciceronis Epistola, quemadmodum ego existimo, superiori Bithynici: id autem, qui attente ambas legerit, facile animadvertet. Scripserat alias litteras Bithynicus ad Ciceronem, quibus cupere se ostenderat cum eo vivere. Quæ aut postea periere, aut in hæc volumina relatæ non sunt. *Victor.*

Accedere, id etiam] Manut. Lambin. Græv. *accidere.* Non ita bene. Sensus est: Promissum tuum accedit ad res cæteras, quarum causa cupio remp. esse aliquando constitutam. *Id*, hoc ipsum est, remp. esse constitutam. Doctiores videant, quibus morem geram, et libenter quidem. *Olivet.*

(18.) *Cicero Leptæ.*

Anno U. C. 708.

Leptæ] Q. Leptæ, quo fabrum præfecto usus est Cicero proconsul in Cilicia. Epist. III. 7. *Manut.*

In lege] Quam Cæsar, ubi Romam ex Hispania revertisset, ferre cogitabat; scripserat autem vel ipse ante quam iret in Hispaniam, vel, post profectionem, Balbus et reliqui familiares, ex ejus sententia; ut ipso in urbem reverso promulgaretur, et ferretur. Nam, si lata fuisset, vel etiam promulgata, non a Balbo, quid in ea esset, Cicero quæsissset. *Idem.*

Decurionibus] Senatores vel coloniarum, vel municipiorum, 'decuriones' vocabantur. Et ut Romam ad senatum consules, ita ut municipiis ad decuriones 'quatuor viri,' in coloniis 'duum viri' referebant. Ac nomine quidem ipso 'decuriones,' decem tantum videntur: sed plures fuisse constat ex eo, quod in secunda agraria centum nominantur. *Idem.*

Qui hodie] Jocus, nisi fallor, in Cæsarem, qui in eum ordinem indignissimos legerat: supplevit enim ille senatum; nam multi civilibus bellis senatores defecerant. *Victor.*

Pompeium] Cnæum, Magni filium, qui, ad Mundam victus, paulo post interfectus est. *Manut.*

Paciæci] L. Junii Paciæci, Hispani hominis, Romana civitate donati; quod prænomen et nomen indicant. *Idem.*

Tantundem] Imperite nonnulli scribunt *tantumdem.* Nam Priscianus lib. I. admonet, *m* transire in *n*, sequentibus *d*, *t*, *c*, *q*, ut 'tam,' 'tandem;' 'tantum,' 'tantundem;' 'idem,' 'identidem;' 'num,' 'nuncubi.' *Idem.*

Partus] Ex partu Tulliam decessisse, Plutarchus auctor est. Bis igitur peperit, semel ante pugnam Pharsalicam, cum in Græciam ad Pompeium Cicero iturus esset; ut Epist. ad Att. X. ult. iterum, cum in Hispania Cæsar contra Pompeii liberos pugnaret: quod hic locus ostendit. *Idem.*

Exigam primam pensionem] Tertiam partem dotis, quæ primum debebatur. Annua, bima, trima die numerabatur dos uxoris marito, hoc est, tribus pensionibus: et si divortium factum esset, eodem modo reddebatur. Vide not. ad M. Senecæ Suasor. I. *J. F. Gronovius.*

Τῆς δ' ἀρετῆς] Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα Θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν· *Ante virtutem, sudorem posuerunt Dii immortales.* Hesiod. Op. et Dier. vs. 289. Quod non quatuor integros Hesiodi versus, sed primi partem scripsimus, in hoc etiam antiquorum codicum auctoritatem secuti sumus. Scimus præterea semper in his allegationibus Ciceronem brevem et concisum admodum esse, ut trium etiam dictionum proverbium non integrum quandoque adducat, nedum quatuor totos versus celebres et vulgatissimos recitaret. *Victor.*

(19.) *Cicero Leptæ S. D.*

Anno U. C. 708.

Maculam] Fortasse Pompeium Maculam, amatorem Faustæ, L. Syllæ filiæ: de quo Macrob. Sat. lib. II. *Manut.*

Officio functum] Parando nobis (sic enim interpretandum videtur) hospitio. *Corrad.*

Ad comitatum nostrum] Qui Cæsari ex Hispaniis redeunti ire obviam cogitamus. *Idem.*

Petrinum] Villæ nomen, a vico Petrino, qui fuit in Sinuessano. Horatius Epist. I. 15. 'Sinuessanumque Petrinum.' *Manut.*

Munerum regiorum] Ludorum qui a Tarquinio rege instituti, modo 'Romani,' modo 'Magni,' modo etiam 'Circenses' sunt appellati: sed nunc 'regii' a Cicerone in Cæsaris invidiam dicuntur. Legitur tamen etiam *regionum*, ut cum Suetonio exponas, regionatim faciendorum. *Corrad.* Et antiquus liber, et Suetonii testimonium, ipsa etiam sententia me hortatur, ut *regionum* legam. Ludi enim significantur, quos Cæsar, superatis jam in Hispania Pompeii liberis, per singulas regiones dare cogitabat; id quod e Suetonii cognoscitur historia. Ac, ne quis, mentione a me *regionum* facta, contradicendi occasionem arripiat, quod ante Augustum divisa urbs non fuerit in 'regiones;' moneo lectorem, 'urbis regiones' hic vocari quasdam urbis partes, licet earum certi fines nondum essent, qui postea statuti sunt ab Augusto, Italiam urbemque in 'regiones' dividente. *Idem.*

Si modo ipsum sciet] Te ludos curasse: quod ignorare potest, in tanta majorum rerum occupatione. *Idem.*

Non accepisse] Hoc ipsum Cicero monet Off. lib. II. 'Qui se locupletes, honoratos, et beatos putant, hi ne obligari quidem beneficio volunt: quin etiam beneficium se dedisse arbitrantur, cum ipsi quamvis aliquod magnum acceperint.' Ejusdem generis illud in Epist. ad M. Antonium, ad Attic. lib. XIV. 'Litteræ tuæ sic me affeceruut, ut non dare tibi beneficium viderer, sed accipere a te ita petente.' *Idem.*

In quo sit species] Id est, Victorio interpretante, dignitas et honestas. Vulgo *spes*, quod ex compendio scriptuæ natum. *Cellar.* *In quo sit spes*] In hac enim curatione *spes* ponenda non est; nam, quod eo labore assequi vis, nullo modo assequere. Aliquid igitur videbimus, unde sperare liceat, in eorum numerum, qui Cæsaris intimi familiares sunt, posse te pervenire. *Manut.* Victorianam lectionem exprimunt Gebhardus et Grævius.

Asturæ] Epist. ad Attic. XIII. 38. significat velle se Asturæ Cæsarem ex Hispania redeuntem expectare. *Manut.*

(20.) *Cicero Toranio S.*

Anno U. C. 707.

Toranio] Toranius, vir prætorius,

paulo ante Ciceronem a triumviris interfectus fuit. *Corrad.*

Non quantivis] Hoc sensu: Præter pericula et molestias quæ vitaris, commodum illud non parvum habendum est; sed tale ut magnifaciendum sit, subito cum certi aliquid audieris te istinc posse proficisci. *Victor.*

Adventibus] Ita Victorius, ex quo Grævius. Vulgo *advenientibus.*

Si recipiet ille se] Si Cæsar ex Hispania redibit. Hæc verba nondum Hispaniense bellum esse confectum demonstrant: quod e sequenti etiam epistola intelligitur. *Manut.*

(21.) *Cicero Toranio S.*

Anno U. C. 707.

Belli] Quod gerebatur in Hispania.

Commemorabam] Aliis, an sibi? sibi potius, et cogitatione, non voce. Quasi dixerit, memoria repetebam, in memoriam redigebam. *Manut.*

Si vicisses, servitutem] Injustos dominos eramus habituri, Pompeium et paucos, quos ille audiebat; quanquam mallem *si vicisses, interitum,* propter proscriptiones et cædes denuntiatas a Pompeianis; aut *si victus esses, servitutem,* nempe sub Cæsare, quod evenit. *J. F. Gronov.*

Salutem] Ipsius reip. cujus antea dignitas, bello autem civili salus etiam concidit. Significat illud tempus, cum accipiendas, quas tulit Cæsar, conditiones censuit, ne reip. salus, quando jam dignitas amissa erat, in discrimen adduceretur. *Manut.*

(22.) *Cicero Domitio.*

Anno U. C. 707.

Plus conatum esse] Plus conatus esset muneris suscipere reipubl. causa, quam præstare posset, si post pugnam Pharsalicam bellum cum aliis renovare voluisset. Quod non fecit, desperata victoria. *Manut.*

Parenti] Porciæ, M. Catonis sorori.

LIBER VII.

(1.) *M. Cicero M. Mario S. D.*

Anno U. C. 698.

Mario] Arpinati; quod illa indicant verba, 'Cum Oscos ludos vel in senatu nostro spectare possis.' *Marium Gratidium* nonnulli vocant, ut sit Gratidius ille, qui legatus fuit Q. Ciceronis. Quod falsum puto. Non enim et Mariæ gentis et Gratidiæ idem potest esse. Aut igitur non is est; aut, si est, *Marius Gratidianus* appellari debet; ut Epist. ad Q. Fr. I. 1. *Manut.*

Aliqui] Pro 'aliquis;' ἀρχαικῶς.

Stabianum] Plin. III. 5. 'In Campano,' inquit, 'agro Stabiæ oppidum fuere usque ad Cn. Pompeium et L. Catonem coss. pridie Cal. Maii, quo die L. Sylla legatus bello sociali id delevit: quod nunc in villas abiit.' *Manut.*

Perforasti] Prospectum in Stabianum agrum aperuisti. *Idem.*

Sejanum] Nomen vicini prædii, sed unde sit, incertum. Mire etiam in nomine libri variant. *Cellar.*

Semisomni] Vel quia nihil novum spectarent; vel etiam, quia matutino tempore. Nam verbum *interea,* ad matutina referri tempora satis constat. Ut eos dicat matutina tempora spectandis communibus mimis consumpsisse, quæ Marius multo et sa-

pientius et jucundius legendo traducebat. *Manut.*

Mæcius] Qui poëmata a mimis in scena recitanda prius judicabat. Est enim hic, ut opinor, P. Mæcius Tarpa, de quo Horatius in Epistola ad Pisones: 'Si quid tamen olim Scripseris, in Mæci descendat judicis aures, Et patris, et nostras.' Quo loco inquit Porphyrio, 'Mæcius perdiligens carminum fuit æstimator.' *Idem.*

Honoris causa] Ut ludos Pompeii honorarent, mimi veteres in scenam redierant, qui antea, ne quid ætatis vitio peccarent, in scena agere desierant. In his Galeria Copiola Emboliaria significatur, de qua Plin. VII. 48. 'Reducta est,' inquit, 'in scenam, C. Poppæo, Q. Sulpicio coss. ludis pro salute divi Augusti votivis, annum CIV agens: quæ producta fuerat tirocinio a M. Pomponio ædili pl. C. Mario, Cn. Carbone coss. ante annos XCI; et a Magno Pompeio, magni theatri dedicatione, anus pro miraculo reducta.' *Idem.*

Si sciens fallo] Hoc enim erat carmen jurantis per Jovem lapidem. *Corrad.*

Sexcenti] Numerus finitus pro infinito. *Muli*] Troica præda onusti. Nam in Clytæmnestra, Attii poëtæ tragœdia, ut ex Nonio cognoscitur, reditus ostendebatur Agamemnonis in patriam ab excisa Troja. *Manut.*

In Equo Trojano] Tragœdia Livii Andronici. Nominatur et Epist. VII. 16. *Idem.*

Craterarum] Quid crateræ in equo Trojano? Forte ut heroës Achivi in isto carcere lætius se iis invitarent, aut, ne capta Troja, cum Diis esset libandum, crateras desiderarent: nugæ. Præterea equus Trojanus nulla præda fuit onustus. Josephus Scaliger legi volebat *arcerarum;* quod laudat Lambinus. Sed quis credat currus equo fuisse inclusos? Prim. Græv. *creterarum;* Amstelodam. *createrarum.* Lege *cetrarum.* Cetræ sunt clypei exsecti ex corio elephantino, quibus variæ gentes utebantur, Hispani, præcipue et Afri, aliique. Hinc 'cetratæ cohortes' apud Cæs. cetris armatæ. Hæ 'cetræ' quoniam tum temporis raræ erant Romæ, tantam vim earum secum advexit Pompeius, ut omnes ex equo Trojano Livii Andronici prodeuntes tali clypeo fuerint instructi, quod magnificentiam fabulæ auxit. Hæc mea de hoc loco est sententia, quam spero doctis et acutis viris me probaturum. *Græv.*

In aliqua pugna] Pro *aliqua* videtur legendum *Iliaca*, vel *Attica*, vel aliquid tale, ut recte Anton. Augustinus conjecit. *Ursin.*

Protogeni] Anagnostæ, sive lectori.

Græcos aut Oscos] Nam hos quoque Pompeius dedit sua quosque lingua. Similiter Brutus prætor Att. XVI. 5. 'commissione Græcorum frequentiam non fuisse.' Sueton. Oct. 45. 'nullique Græco certamini interfuit, quo non,' &c. Sueton. Jul. 39. 'Ludos regionatim urbe tota, et quidem per omnium linguarum histriones.' Osci vetus gens Campaniæ, et vicinæ regionis. Tacit. An. IV. 14. 'Oscum quondam ludicrum levissimæ apud vulgum oblectationis, quas alioquin Atellanas vocant.' Liv. VII. 2. 'et Atellanum exodium.' Suet. Tib. 45. Cal. 27. Galb. 13. *Gronov.*

Vel in senatu nostro] Arpini (unde ortus erat Cicero, et ab inimicis 'municeps Arpinas' vocabatur) inter decuriones ubi erant reliquiæ Oscorum: non quod in senatu agerentur fabulæ, sed quia ei consilio interveniebant Osci, hoc est, Oscorum posteritas (homines in veterum Oscorum sedibus habitantes). Ipsam eorum consultationem de rebus non magnis 'ludos' vocat. *Idem.*

Ad villam quidem tuam via Græca] Jocus elegans. Erat ibi viæ publicæ pars, quæ vocabatur via Græca, octo stadiorum, quam Hercules muniisse

credebatur. Eam vitabat Marius, quod quacunque de causa parum commoda esset. Id calumniatur lepide Cicero, quasi id faceret odio Græcorum. *Idem.*

Operam et oleum] Laborem et sumptum. Oleo enim ungebantur athletarum corpora. Id primo dictum in una re, de athletis scilicet, qui labore et sumptu exercitati, mox interdum parum probarentur; deinde ad omnia similia translatum est, in quibus et operæ et sumptus jacturam factam esse constaret. Plautus in Pœn. 'Et oleum et operam perdidi.' *Manut.*

Homini ... polito] Mediceus sane liber, et Petrarchæ manu (ut putant) scriptus, hanc lectionem retinent, quæ non video cur rejici debeat; est enim elegans et huic loco valde accommodata. Tantæ apud hi apud me auctoritatis sunt, et, nisi fallor, apud alios propter fidelitatem erunt, ut testimonio duorum illorum magis credam, quam reliquorum omnium. *Victor. Politico* mavult Manutius; sed, opinor, non ita bene. *Olivet.*

Elephantorum] Quos viginti, ut Plinius ait, vel, ut Dio, octodecim Pompeius in Circo dedit. *Manut.*

Misericordia quædam] *Quædam* dixit, qua proprie miseremur nostri similium, non brutorum. Causam hujus misericordiæ Plin. exponit his verbis VIII. 7. 'Amissa fugæ spe, misericordiam vulgi inenarrabili habitu quærentes supplicavere, quadam sese lamentatione complorantes, tanto populi dolore, ut oblitus imperatoris ac munificentiæ honori suo exquisitæ, flens universus consurgeret, dirasque Pompeio, quas ille mox luit, imprecaretur.' Eadem fere Dio. Plutarchus hanc rem breviter agitat. *Idem.*

Ludis scenicis] Vereor ne duæ illæ dictiones *ludis scenicis* vacent, et Ciceronis non sint, sed declaratio quondam fuerint prioris illius partis, quæ postea ab imperitis librariis temere huc inculcata sit. *Victor.*

Exsolvam] Non omnino occupationibus expediri, sed impediri minus vult. Plus enim 'exsolvere,' quam 'relaxare;' contraria vero, 'relaxare,' et 'adstringere,' ut Epist. ad Att. XVI. 6. 'Pater, quidquid ego adstrinxi, relaxat.' *Manut.*

(2.) *M. T. C. M. Mario S. D.*

Anno U. C. 701.

Licitatorem] Jocatur. Subornabo, qui licitando pretium extendat, ne vilius vendatur. *Cellar.*

De Bursa] Hic est T. Munatius Plancus Bursa, frater L. Planci oratoris, ad quem sunt Ciceronis Epistolæ lib. X. Tribunus pleb. anno proximo acerbissimis concionibus in invidiam rapere Milonem Ciceronemque conatus erat; eoque incitante plebs curiam incenderat. Quo crimine anno sequenti, statim post depositum magistratum, lege Pompeia de vi damnatus est. Epist. VIII. 1. et Plutarchus in Pompeio et Catone, Dio lib. XL. et Pedianus. Restitutus a Cæsare post victum Pompeium. Qua de re Phil. XIII. *Manut.*

Inimici] Clodii. *Idem.*

Quam calamitate] Non tanti mihi est inimicorum exitium, ut eos perditos velim cum amicorum calamitate. Quod accidit in Clodio. Eum enim occidit Milo, et eo crimine calamitatem subiit exilii. *Idem.*

Clarissimi] Pompeii. *Idem.*

Emissarium] Qui meorum invidorum arbitrio et voluntate in me emitteretur, similitudine locorum, quibus, cum volumus, aqua emittitur. Epist. XVI. 18. *Idem.*

Ne intercaletur] Ne dierum interpositione tempus protrahatur. Indicat hic locus, pontifices intercalare solitos arbitratu suo. Nam si annus hic esset intercalaris ex instituto Numæ, frustra Cicero vota faceret, ne intercaleretur. Metuebat igitur, ne intercaleretur extra ordinem. *Id.*

(3.) *M. Cicero M. Mario S. D.*

Anno U. C. 707.

Duceret] Lente gereret, præliorum aleæ non committeret. *Cellar.*

Quadam ex pugna] Ad Dyrrachium facta, in qua Pompeius ipse imperator fuit appellatus. *Corrad.*

Nullus imperator] Quia negligebat victoria uti, nec territum Cæsaris exercitum extemplo persequebatur. *Cellar.*

Signa contulit] In Thessalia ad Pharsalum. *Corrad.*

Maximarum] Ita Vict. Man. Lamb. Sed Gruterus, ex quo deinde Grævius, et Cellarius, *maximam.* Neque tamen dicunt cur prius illud mutaverint. Si conjectura tantum, minus placet. *Olivet.*

Reliquis omnibus] Scilicet finem belli fecisse, non tantum mihi. Cicero enim post Pharsalicam cladem suasit omnibus, ut tempori servirent, neque repararent bellum. *Cellar.*

(4.) *M. T. C. M. Mario S. D.*

Anno U. C. 707.

Dum hic sumus] Quidam addunt, *Vides enim quanto post una futuri simus;* quæ neque in melioribus membranis leguntur, neque cum cæteris cohærent. *Cellar.*

Si quod constitutum] Bene J. F. Gronovius eos refellit, qui *constitutum cum podagra* putant esse propositum de podagra curanda. Qui enim cupit aliquem valere, quomodo auctor est illi in morbo curationis differendæ? Jocatur hic suo more Cicero. Habere constitutum cum aliquo, est condixisse, vel, ut vulgo loquuntur, *assignasse* locum et diem conveniendi. Constitutum, inquit Manutius, est verbum juris. *Anon.*

(5.) *Cicero Cæsari Imper. S. D.*

Anno U. C. 699.

Quocunque exirem] Tanquam legatus Pompeii, in Hispaniam forsan: quod hinc interpretes eliciunt. Adde hujus libri epist. 17. *Cellar.* Vide item Epistolam ad Q. Fr. II. 14.

Commoratio] Ad urbem; nunquam enim Pompeius ivit in provinciam; quæ belli civilis origo fuit. Epist. VI. 6. 'Eundum in Hispaniam censui. Quod si fecisset, civile bellum nullum omnino fuisset.' *Manut.*

Dubitatio] Verebatur, ne Clodius absenti negotium facesseret. Eadem legatio significatur Epist. ad Att. V. ult. et ad Q. Fr. III. 1. *Idem.*

Balbo] Hic est L. Cornelius Balbus, Gaditanus, Cæsaris et Ciceronis amicissimus, pro quo extat oratio. *Manut.*

Vel hunc Leptæ delega] Vereor sane, ne in his verbis mendum sit: nihil tamen ausim immutare. *Victor. Leptæ delega* bono sensu mihi scriptum videtur, ut dicat jocans, tam divitem fore propediem eum hominem ipsum, ut creditori suo Leptæ Cicero qui solvat delegare possit; id enim est 'delegatione solvere.' Nam is qui tua causa a me ditatus fuerit, tibi debebit, ut tuum æs alienum solvere debeat; aut dicit, nisi hoc faciam, eum delega et commenda non mihi imperatori, sed Leptæ. *Turn.* Ego nulla propemodum licentia scribo, *vel Leptide legatum.* Cum enim Leptis non nobilissima tantum omnium eo tempore Africæ urbium, sed et colonia Julia fuerit, credibile est, Cæsarem eam potissimum delegisse, in qua ejus regionis præfecti sedem atque domicilium suum collocarent. *J. Rutgers.* Var. Lect. I. 5.

De Milone] Hoc anno P. Clodium nondum occiderat Milo. Qua porro in causa eum Cæsari Cicero commendaverit, suspicari difficile est. *Manut.*

Quod familiam ducit] Id est, quæ in ejus laudibus ita prima sunt, ut quasi familiam ducere et excellere videantur. Translatio ab iis, qui cæteros ducunt, quia potestate, aut

honore, scientiave antecellunt. *Idem.*

Putidiusculi] Excusat se, quod in Trebatio commendando plura verba consumpserit, quam Cæsaris humanitas patiatur. 'Putidum' appellat Cicero, in quo nimia diligentia reprehendi possit, ut de Orat. lib. III. 'Nolo exprimi litteras putidius, nolo obscurari diligentius.' Vidi scriptum in quibusdam antiquis libris *blandiusculi;* sed in plerisque *putidiusculi,* quod magis probo. Et, fortasse, *blandiusculi* glossema fuit. *Manut.* Alii *impudentiusculi.* Gebhard.

(6.) *Cicero Trebatio S. D.*

Anno U. C. 699.

Medeæ] Medeam cum viro suo Jasone Corinthum exulem devenisse demonstrat hic locus; et ex ipsa, quæ extat, Euripidis tragœdia cognoscitur. *Manut.*

Quæ Corinthum] Nemo non videt poëtæ cujusdam verba esse, et quia Medeæ mentio infertur, ex Ennii Medea deprompta esse. Victorius, Muretus, Manutius ex iis demum verbis, *Nam multi suam rem,* incipiunt versus investigare ac metiri, sed aliter atque aliter singuli. *Cellar.*

Habebant] Pro 'habitabant.' Plautus in Bacchidibus: 'Quis istic habet?' *Manut.*

Illa manibus gypsatissimis] Illa, ut persona comica, manibus gypso, ut candidiores essent, illitis, gubernans vocem, ut Petron. c. 87. *J. F. Gron.* Sam. Petitus, in Comment. ad Leges Atticas, vult mendum esse in *manibus,* pro quibus, ductu Pollucis IV. 45. primus ille legit *III anibus;* ut sensus sit, in Medea Euripidis Corinthiacas matronas opulentas et primarias fuisse, quibus *tribus anibus gypsatissimis,* id est, canis non solum, sed et albo colore candentibus, Medea persuaserit, non esse sibi vitio vertendum, quod absit a patria.

In Britannia] Ivisse Trebatium, vel iturum cum Cæsare in Britanniam, Cicero arbitrabatur. Non ivisse constat ex Epist. 10. et 14. hujus libri. *Manut.*

Essedariis] Militibus Britannicis, ex essedis pugnantibus. *Corrad.*

Qui ipse] Carmen Eurip. vide in Epist. XIII. 15. unde hoc Ennius transtulit. *Idem.*

(7.) *Cicero Trebatio.*

Anno U. C. 699.

(8.) *Cicero Trebatio.*

Anno U. C. 699.

Tribunatus] Militum: quem Cæsar honorem, cum vacatione militarium onerum, Trebatio detulerat. Est autem, ut diximus jam, in castris prima dignitas consulis, altera legatorum, tertia tribunorum militum, quarta præfectorum equestrium turmarum, quinta centurionum, deinceps minorum ordinum. *Manut.*

Vacerra] Cognomen est Romanæ familiæ. Accusabo te, inquit, apud amicos tuos. Videntur fuisse jurisconsulti, Vacerra, Manilius, Cornelius; ut infra cognoscitur Epist. 9. *Idem.*

Nihil audeo dicere] Ne magistrum offendam, reprehenso discipulo. A Cornelio jus civile Trebatius didicerat; ut, sine præceptoris culpa, stultus esse non posset. Digest. I. 2. *Idem.*

De illo Preciano] Qui erat apud Cæsarem gratiosior, ut videtur, quam Trebatius; cum ipsum Trebatium ei Cicero commendet. *Idem.*

(9.) *M. Cicero Trebatio.*

Anno U. C. 699.

Occupationes] Primo scire debent omnes, me vocem illam *occupationes* in nullis paulo antiquioribus libris, nedum vetustissimis legisse, quod mihi originem attulit suspicionis. Deinde cum accuratissime considerassem, non mihi visa est satis digna

causa esse quæ retraheret Ciceronem a scribendo, *occupationes* Cæsaris. Nam sæpe ad eum Cicero scribebat, cum ille mirifice Ciceronis litteris delectaretur, et ipsas omni ratione eliceret: nec ea tempestate ullo majore negotio impediebatur, ut cavere deberet, ne ob id illi molestus esset. Nec tamen tantum temporis in legendis amicorum litteris collocatur, ut non quivis occupatissimus se ab illis de omnibus rebus certiorem fieri velit. Majus igitur quiddam esse putavi quod Ciceronem ab instituto suo deduceret: et ut libere omnem meam suspicionem proferam, si aliquando conjectari datum est, putarim *propter ejus luctum* legendum esse. Constat enim hoc tempore Cæsaris filiam mortuam esse, quæ Pompeio nupta erat, Juliam scilicet. Dicit etiam Cic. ad Q. Fr. lib. III. se ad Cæsarem non rescripsisse *propter ejus luctum*, de obitu filiæ intelligens. *Victor.*

Cn. Octavius, an Cn. Cornelius quidem] Notat hominis ignobilitatem, cujus prope certum nomen ignoretur. Propterea cum ironia subjunxit, 'summo genere natus,' et, 'Terræ filius,' quod in obscurissimi loci homines confertur. Lusit in eundem Octavium Epist. 16. 'Oro te, quis tu es?' *Manut.*

(10.) *M. Cicero Trebatio S. D.*

Anno U. C. 699.

Ne frigeas] Ne per hiemem parum commodis tuis servire possis. *J. F. Gronov.*

Camino luculento] Quasi de vero frigore locutus esset. Sed et allegoricus sensus est: Eam hibernorum partem eligas, ubi frigus, hoc est, paupertatem, camino luculento, id est, fructibus provincialibus, pellere possis. *Idem.*

Satis calere] Satis habere negotii.

In re militari multo es cautior] A præliis attingendis multo melius tibi caves, quam aliis cavere soles adhibitus in contractibus et testamentis signandis. Non ob inscitiam Trebatii, ut rustice Manutius, sed quia plerumque accidit, utcunque caveant jurisconsulti, tamen ne sic esse tutos. *J. F. Gron.*

Spectare essedarios] Britannos ex essedis præliantes. Sed loquitur, ut de gladiatoribus essedariis, de quibus Lips. Saturn. XI. 12. *Idem.*

Ne andabatam quidem] Qui adeo delectaris spectaculis amphitheatralibus et muneribus gladiatorum, ut ne andabatis quidem, in quibus minima voluptas est, introductis abesse spectaculo velis. Andabatæ oculis obsutis cæci pugnabant. Unde proverbium, 'andabatarum more pugnare,' in illos, qui litigant de re, quam ambo non intelligunt. *Idem.*

Non modo hostes] Non dicam hostes; patet enim congressionem nostram esse jucundissimam, hostes autem formidabiles, et permolestos; sed ipsi Ædui, fratres nostri, quorum consuetudine delectamur. Ædui fratres populi R. cognita eorum fide, vocati sunt. Tacitus lib. XI. 'Primi Ædui senatorum in urbe jus adepti sunt. Datum id fœderi antiquo, et quia soli Gallorum fraternitatis nomen cum populo Romano usurpant.' *Manut.* Vulgo scribitur *Hædui*, vel *Ædui;* sed in nummis priorum temporum, *Edui.* Vide Plinium Harduini, novissimæ editionis, tom. I. pag. 225.

Aut consolando] Terentii senarius, Heautont. I. 1. 34.

(11.) *Cicero Trebatio.*

Anno U. C. 700.

Tot interregnis] Quot interregna fuerint eo anno, facile inveniet, qui Dionem et Pedianum attente legerit. Quorum ille lib. XL. scripsit, eo anno, quo Calvinus et Messalla consulatum gessere, urbem sine magistratibus fuisse per sex menses; Pedianus

autem interregni dies non plures quinque fuisse tradidit. Sunt igitur hac ratione interregna 36. in sex mensibus. Duo sunt præterea, quæ docet idem Pedianus, non omittenda, ut arbitror: unum interregem non nisi a senatoribus patriciis et ipsum patricium, prodi solitum; quod et Cicero pro Domo sua dixit: alterum, ut ab eo, qui primus interrex esset proditus, comitia haberentur, moris non fuisse. *Manut.*

Desiderat] Vere; nam interrex jus non dicit. Cessat igitur opera jurisconsultorum, et justitium in urbe tam diu est, quamdiu interregnum. Hactenus Cicero vere et serio, reliqua jocans. *Idem.*

Omnibus, unde petitur] Est propria jurisconsultorum formula. Sic appellabatur alter litigatorum, qui nimirum in jus vocatus erat in judicio privato, sicuti is, qui in jus vocabat, dicebatur 'petitor,' sive 'actor,' quoniam ab eo, cui litem intendebat, petebat aliquid plerumque dicere aut facere oportere. Cic. pro Mur. 'Quid huic tam loquaciter litigioso responderet ille unde petebatur, non habebat.' Cato: 'Si quid alter ab altero peteret, si ambo pares essent, sive boni, sive mali essent, quod duo res gessissent, uti testes non interessent, illi, unde petitur, potius credendum esse.' Terent. Prolog. Eunuch. vs. 10. 'Atque in Thesauro scripsit, causam dicere Prius, unde petitur, aurum quare sit suum, Quam ille qui petit, unde is sit thesaurus sibi.' *Unde petitur* est, a quo petitur. Cic. in Verr. III. 'Ille autem, unde ablatum est, judicio suum recuperare nullo modo possit.' Liv. lib. v. 'Unde minime quis crederet accepta calamitas.' *Gron.* Obs. IV. 11.

Binas advocationes postulent] Est et hoc loquendi genus ex jurisconsultorum schola. Proprie enim unde petitur 'postulare advocationem' dicebatur, cum, postquam petitor actionem edidisset, peteret a prætore tempus deliberandi velitne stare judicio, an facere quod petitor postulabat. Hoc tempus ideo dicebatur 'advocatio,' quia tum amicos suos convocabat, cum quibus deliberabat unde petitur, num velit causam excipere ac jure experiri, necne. Hi dicebantur 'advocati' proprie, et tempus 'advocatio.' Senec. Controv. Procem. lib. IV. 'Tanta illi perturbatio fuit, ut advocationem peteret.' Hinc 'advocatio' pro quavis mora. Senec. Consol. ad Marc. cap. 10. 'Nihil de hodierna die promittitur: nimis magnam advocationem dedi: nihil de hora.' Et 'advocare' est moras nectere. Plin. v. 8. 'Ideoque interim veniam, ne a forensibus verbis recedam, advocandi peto;' hoc est, moras nectendi. *Idem.*

Satisne tibi videor] Non intelligis me loqui etiam posse ut jurisconsulti? nec frustra fuisse nostram consuetudinem, cum per eam mihi jam adhæserit aliquid de vestro jure civili? Erat autem genus interrogandi frequens antiquis per *satin'*, vel *satisne.* Plaut. Amph. II. 2. 1. 'Satin' parva res est voluptatum in vita?' Epid. v. 2. 1. 'Satin' illic homo ludibrio nos habet?' Mostell. I. 1. 73. 'Satin' abiit, neque, quod dixit, flocci existumat?' 'Sic 'Satin' salvæ?' Ter. Eun. v. 6. 8. Liv. I. 58. et XLI. 8. *J. F. Gronov.*

Hæc signa meliora sunt, quam in meo Tusculano] Ludit in 'signorum' significatione duplici. Nam et significationes notat, et statuas, quibus Tusculanum ornaverat, et quarum emptio ei æs alienum conflaverat. Vide Epist. 23. hujus libri. *Græv.*

Samarobrivæ] In aliis vero *Samarobriga;* metropolis Ambianorum in Gallia Belgica. Hodie *Amiens.* Sic autem recte scribitur in melioribus libris; *briva* enim et *briga* sunt antiqua vocabula Gallica, quæ pontem

significant. Hinc *Samarobriva* est pons Samaræ fluvii, qui per illam urbem transit. *Samara* est fluvius, qui Ptolemæo Phrudis, in Notitia Imperii 'Sombrica' dicitur, hodie *la Somme*. Idem.

Laberium] Poëtam mimis scribendis mordacem, de quo Gellius, Suetonius, Macrobius. Cujus mimos non 'ut pulchra poëmata' miratur Horatius, Sat. II. ult.

Valerium] Volunt L. Valerium jurisconsultum, ad quem scribit, I. 20. et Appio commendat III. 1. quem si accipimus, quare eum pertimescat, ignoramus. Si Valerium Catullum, quem nolunt; facilis est explicatio, nempe ne is epigrammate se traducat; et eum fuisse amicum Ciceronis apparet ex Epig. L. 'Disertissime Romuli nepotum, Quot sunt, quotque fuere, Marce Tulli.' *J. F. Gron.*

Persona induci] Fingi in mimo, vel epigrammate, aut proponi. *Idem.*

(12.) *Cicero Trebatio.*

Anno U. C. 700.

Epicureum te esse factum] Te sectam Epicuri adamasse, id est, te omnia referre ad tui ipsius utilitatem. Erat enim dogma Epicuri, sapientem omnia facere propter sese. Qua sententia abutebantur, qui se juvabant damno et publico et alieno. Supra III. 9. *J. F. Gronov.*

O castra præclara] In quibus scilicet homines Epicurei et voluptarii fiunt. *Idem.*

Tarentum] Mollem civitatem, nequitiæque deditam. Horat. Sat. II. 4. 33. 'Pectinibus patulis jactat se molle Tarentum.' Athenæus lib. IV. solitos dicere Tarentinos ait, aliis laboriosam vitam, sibi voluptariam placere. *Manut.*

Jus civile defendes] Est enim justitia virtus extra se patens, et magis consulens alii, quam sibi. Quomodo poteris retinere auctoritatem, tutari locum JC.? *J. F. Gron.*

Formula fiduciæ] In pignore vel hypotheca constituenda, excludens omnem fraudem. Off. III. 17. 'Quam illa aurea: ut inter bonos bene agier oportet et sine fraudatione.' Ibidem: 'Idque versari in tutelis, societatibus, fiduciis, mandatis, rebus emptis, venditis, conductis, locatis.' *Idem.*

Quis enim est, qui facit nihil, nisi sua causa] Et abest hoc totum a duobus antiquis libris; et mihi quidem satis frigidum videtur. Jam cum superioribus formulæ verbis qui cohæret? *Manut.*

Communi dividundo] Ubi quod commune esse cœpit (ut si duo rem eandem emerint, aut duobus idem legatum, eadem hereditas obvenerit) oportet dividi, et adhibeberis jurisconsultus. An suadebis utrique, ut se tantum respiciat, socium fraudet? *J. F. Gronov. Communi dividundo*] Titulus est apud jurisconsultos. *Manut.*

Jovem] Vide hujus libri Epist. 1.

Ulubrano] Ulubræ, Latii oppidum, in clientela Trebatii. Infra Epist. 18.

Πολιτεύεσθαι] *Rempublicam administrare.* Dicebat Epicurus, rempubl. capessere hominem bene sanum non oportere. *Corrad.*

A nobis] Academicis. *Idem.*

Pansæ] Qui et ipse Epicureus est. Epist. XV. 19. *Idem.*

(13.) *M. Cicero Trebatio S. D.*

Anno U. C. 700.

Testa] Cognomen Trebatii. *Manut.*

Gloria] Interdum gloriæ nomen pro inani quodam gloriæ studio sumitur. *Idem.*

Artificium tuum] Juris civilis prudentia. *Corrad.*

Non ex jure] Ennii versus. 'Ex jure manu consertum petere' est rem suam petere actione forensi, rei vindicatione. Vide Gell. XX. 9. Vide

et Orat. pro Murena, cap. 14.

Sed magis ferro] Abjicitur *s*, in *magis*, metri causa; quod qui ignorabant, fecere *mage*. Manut. Sed Manutius tamen et Lamb. ediderunt *mage*.

Adhiberi] Hoc est, in consilio adhiberi, consuli. Vult autem Lambinus legi *Et tu non soles ad vim, &c.* Negatio scilicet, quæ debebat, inquit, locari ante verbum *soles*, fuit infra in alienum locum translata, et ante verbum *veneris* collocata. Quod si verum est, ut opinor, interrogandi nota deleatur post *adhiberi*. Olivet.

Neque est] Jocatur hic Cicero cum Trebatio tanquam cum homine bellica certamina libenter vitante: Nunquam, ait, ad te pertinebit illa exceptio, qua prætor in interdicto uti solet, quod tu prior vi hominibus armatis quenquam de possessione dejeceris. Facit enim tua timiditas, ne quem prior lædas. Huic sententiæ videtur illud, *non veneris*, adversari; nam exceptio illa non solebat in eum fieri, qui prior vi hominibus armatis non venisset, sed qui prior venisset. Vidit hoc olim Bernardinus Rutilius, putavitque legendum *conveneris*. Alii postea non discedendum a veteribus libris, recte censuerunt: sententiam tamen Ciceronis non omnino, ut arbitror, sunt assecuti. Nam, quod aiunt Ciceronem hoc dicere, non esse Trebatio pertimescendam exceptionem illam, qua utuntur illi ad prætorem, qui cum confessi sint se dejecisse, clamant tamen se non interdicto teneri, nec debere restituere; nam se prius ab adversariis vi hominibus armatis dejectos esse: ego non arbitror exceptione illa eos ad prætorem uti solitos, qui aliquem de possessione dejecerant; sed ipsum prætorem, cum eum, qui dejectus erat, interdicto restitui juberet; excipere solitum esse, nisi is, qui postularet interdictum, prior vi hominibus armatis adversarium dejecisset. Quod si probaretur, interdictum ei nullam opem ferebat; sed vetus possessor, donec bis ad exitum pervenisset, in suo statu permanebat. Non dubium est autem, cum ait Cicero, *Quod tu prior vi hominibus armatis non veneris*, usitata eum exceptionis verba recitare; sed particulam *non* addit de suo, joci causa, et immutat exceptionis morem, ut Trebatio timiditatis notam inurat: quasi minime prior venisset vi hominibus armatis. *Manut.*

De nostris cautionibus] *Nostris* inquit, jocans; quia jurisconsultorum cautiones erant: et oratorem cavere jurisconsulto, mirum videtur. *Idem.*

Treviros] 'Petrus Bembus Bernardino Sandro. Quod hodie mane quærenti tibi a me de illis Ciceronis ad Trebatium verbis, *Treviros vites censeo: audio capitales esse: mallem auro, argento, ære essent*, respondi, jocum esse et multiplicem, et festivum; qui quidem jocus in antiquis et nummis et scriptoribus deprehenderetur: itaque, quoniam eramus in via, ut neque libros, neque nummos haberemus, rejeci te in alium diem. Id, ne te diutius torqueat, est ejusmodi, ut joci causa, quod quidem Cicero ad illum scribens more suo fere semper facit, et *Treviri* et *capitales* in ambigui genere sint posita. Nam, cum videatur monere illum, ut vitet Treviros Galliæ populos, qui capitales bellicosique sint; ludit cum in *Trevirorum*, tum in *capitalium* verbo. Erant enim Romæ magistratus, triumviri capitales, qui etiam Treviri dicebantur. Sed quoniam hoc ipsum triumvirum nomen iterum in ambiguo poni poterat, cum essent etiam apud Romanos triumviri pecuniæ cudendæ, quos ita inscribebant, A. A. A. F. F. hoc est, *Auro, argento, ære flando, feriundo*; jocatur iterum in hoc verbo, luditque Cicero, ut mihi quidem videtur, bel-

lissime, addens, *mallem Treviros istos esse pecuniosos, quam bellicosos: ut, Cæsare eos vincente, tu ditesceres.* Itaque infert, mallem esse Treviros auro, argento, ære, quam scilicet capitales. Triumviros autem Treviros solitos dici, Livius satis locuples esse testis potest. Quod vero triumviri pecuniæ sic, ut dixi, inscriberentur; est apud me nummus ærens perantiquus ita inscriptus, C. PLOTIVS. III VIR. A. A. A. F. F. Sunt et alii nummi aliorum nominum, ejusdem tamen tituli; quos inspicies, cum voles. Hæc ad te scripsi, cum domum redissem, et nummos ac librum sumpsissem, amore tui admonitus. Vale. Pridie Idus Junii, M. D. XXXII.'

(14.) *Cicero Trebatio.*

Anno U. C. 700.

Scribere] Lusus in verbo *scribere*, quod vel jurisconsultorum est, scripta formula clientibus cavere; vel ad amicos litteras dare. *Cellar.*

Advocato] Advocatus hic is est, qui per formulas præscripta litigandi forma, cavet iis, a quibus consulitur. 'Advocationes' dixit similiter Epist. 10. *Manut.*

Æstivorum timor] Timor futuri belli, quod æstate renovabatur. *Idem.*

Ut fecisti de Britannia] Ut cansatus aliquid fueras, ne cum Cæsare in Britanniam navigares. *Cellar.*

(15.) *Cicero Trebatio.*

Anno U. C. 700.

Istic] In Gallia.

C. Matii] Cujus extat gravissima Epist. lib. XI. apud Cæsarem gratia valuit, ut Epist. VI. 12. *Manut.*

Doctissimi] Quintil. XII. 6. ait Matium ante quæstoriam ætatem orasse. Columella XII. 4. et 44. scripsisse eum de pistore, coquo, et cellario libros tres. A Gellio quoque et Macrobio laudari video doctrinam Cn. Matii. Sed ibi Cnæus, hic Caius nominatur; ut vel duo Matii fuerint, diverso prænomine, uterque inprimis eruditus; vel, si unus fuit, mendum sit in alterutro prænomine. *Idem.*

(16.) *M. Cicero Trebatio S. D.*

Anno U. C. 699.

Equo Trojano] Livii Andronici tragœdia. *Corrad.*

Sero sapiunt] Phryges. *Idem.*

Mi vetule] Amatorie, per jocum. *Manut.*

Primas illas] Lambinus edidit *primum quod illas;* supple 'litteras.'

Rabiosulas] In quibus teneri se urbis desiderio, et cupere statim aliquid auferre, atque a bello discedere, scripserat Trebatius. Id fuit primum argumentum, cur non sero, sed mature sapere visus est. Alterum, quod in Britanniam ire noluit. Tertium, quod Samarobrivæ diu mansit, nec ullam rei bellicæ partem attigit. Inde jocandi materiam Cicero sumpsit. *Manut.*

Sat fatuas] Quia cum ivisset in Galliam eo consilio, ut Cæsaris benevolentiam obsequio officioque suo consequeretur, ita statim auferre ab eo pecuniam, et domum redire properabat, quasi non litteras commendatitias, verum syngrapham ad eum attulisset. *Idem.*

Non nimis φιλοθέωρον] *Non valde cupidum spectandi;* quia transire in Britanniam noluisti, neque spectare essedarios. *Idem.*

In hibernis] Hibernorum tempus nondum erat; sed hibernare Trebatius videbatur, quia se Samarobriva non commovebat. Epist. 11. 12. et hac in extremo. *Idem.*

Injectus] Lego *illectus*, vel *inlectus*, id est, delinitus, inescatus, captus aliqua illecebra. *J. F. Gron.*

Usquequaque sapere oportet] Ubique: quod tu facis, qui tibi optime caves, nec periclitari, quanquam sis in bello, de vita vis. *Manut.*

Telum] Summum est in sapientia

præsidium. Serio videtur hoc dicere, sed jocatur: quasi dicat, Næ tu rationem tuendæ salutis tuæ optimam inivisti: et, quod alii telis acerrimis, id tu sapientia tua consequeris. *Idem.*

Cn. Octavio] Supra, Epist. 9.

Abduxisses] Nondum a joco discedit; quanquam dixerit 'extra jocum.' Nam *abduxisses* videtur esse, tecum duxisses ut hominem bellum, voluptatis et lætitiæ tuæ causa; sed valet, ut hominem ineptum, quo minime delectamur. *Manut.*

Superbiam tuam] Non quod superbus esset, sed quod a nemine consuleretur. Idem jocus Epist. I. 10. *Idem.*

(17.) *Cicero Trebatio S. D.*

Anno U. C. 699.

Quinto fratri] Qui tum erat Cæsaris imperatoris legatus in Gallia.

Alexandriam] Ut a Ptolemæo Alexandrino rege, pecuniam suam, ei Romæ creditam exigerent. Jocatur Cicero in re vera: ut ex oratione pro Postumo, in qua etiam syngraphæ in Albano Pompeii factæ nominantur, satis constat.

In provinciam] Vide supra Epist. 5.

Vos] Jurisconsulti. Exempla non tot quin plura in Pandectis.

Te de rebus illis] Magnifice et insolenter referentem *non audiam*, cum fastidio. Sed jocatur. *Corrad.*

(18.) *Cicero Trebatio S. D.*

Anno U. C. 700.

Diversis] Eodem tamen exemplo.

Cætera delectarunt] Hoc pendet usque ad illud, quod est infra, 'Cætera belle: illud miror.' *Manut.*

Græculam tibi misi cautionem] Puto sensum esse, Commendavi te Cæsari litteris Græce scriptis. *Victor.* Ego potius crediderim Epistolam esse eam ipsam Latinam quam ad Trebatium mittit suo chirographo scriptam, quam *Græculam cautionem* vocat propter Græcam fidem, de qua apud Plautum in Asinaria. Ut enim Græca fides certa est, sic Græca cautio certa firmaque intelligenda est. Nam in cautionibus nostram obligamus fidem, ut Cicero suam ea Epistola obstringit, cum promittat Trebatium multa assecuturum. *Turn.* Advers. XII. 18.

Quis solet eodem exemplo] Miror, inquit, cum tua manu scribas, eodem exemplo plures a te Epistolas mitti. Hinc licet conjicere, Epistolas illas, quas Cicero se diversis temporibus accepisse dixit, eodem exemplo omnes fuisse. *Manut.*

In palimpsesto] *Palimpsestus* membrana fuit iterum abrasa, ut aliquid rursus in ea scriberetur. *Idem.* Vox e Græco profecta: πάλιν, *iterum*; ψάω, *rado.*

Quam hæc scribere] Hoc totum, sive, *quam hæc scribere*, sive *quam exscribere*, sive *quam hæc non scribere*, (nam varie in libris vulgatis legitur) delendum curavi. Est enim ex annotatione natum, et ex ora libri in contextum verborum Ciceronis invectum, quod et antea Mureto venit in mentem. *Lambin.* Difficilis admodum hic locus et corruptus videtur: quem nos cum explicuerimus, deinde emendabimus. Primum igitur Trebatius Epistolam ad Ciceronem in palimpsesto exararat, quam post in charta pura descriptam (nam in palimpsesto etiam alia erant) ad Ciceronem daret. Ac similiter Cicero fecisse se Epist. IX. 26. ostendit, cujus hoc est initium: 'Accubueram hora nona, cum ad te harum exemplum in codicillis exaravi.' Hoc ergo cum fecisset primum Trebatius, postea mutato describendi consilio, vel ignavia, vel avaritia impulsus, palimpsestum ipsum ad Ciceronem misit, cum ea, quæ præter Epistolam erant ibi perscripta, delevisset. Id enim facere maluerat quam hanc exscribere. Nam hoc vult his verbis

indicare Cicero. Jam quod ad scripturam attinet, primum qui tria hæc verba, *quam hæc scribere*, plane tollunt, imperitissime faciunt et audacissime. Ac si sic licebit nobis, quidquid in Cicerone, vel poëta aliquo non assequimur, tanquam nothum perfodere, facillimam nobis ad omnium scriptorum explicationem sternemus viam. Rectius longe Manutius *quam exscribere* legendum putavit. Id quod tamen nondum prorsus verum est. Cur enim non potuerit Trebatius etiam quæ exscripserat delere? Nos ita *quam hæc exscribere*. Canter.

Tecum extuleris] Nam, si eam tecum non attulisses, sine verecundia peteres; nunc, quia te pudor a petendo deterret, nihil accipis. *Manut.*

Fremitum clientium meorum] Coaxationem ranarum in paludibus Pomptinis profectarum (ut fingit) ex Ulubrano, quod oppidum Ciceroni commendaverat Trebatius, effeceratque ut nescio quam eorum causam apud senatum ageret. *J. F. Gronov.*

(19.) *Cicero Trebatio S.*

Anno U. C. 709.

Absenti debere non potui] Hoc est, volui persolvere. *Manut.* Sic etiam locutus est Cicero Tusc. II. ult.

Velia] Urbs fuit Lucaniæ ad Pæstanum sinum, ad quam est portus Velinus. *Græv.*

Non longe abieris] Non longe petantur exempla. *Manut.*

Usumque] Corradus legit *lumenque*. Grævius ex Mss. *unum quem.*

In qua nos te continebimus] Ego tibi præceptor ero. Verbum proprium de magistris. Petron. 'Nondum juvenes declamationibus continebantur.' Gell. XIX. 1. 'Non parva virum auctoritate, satisque attente discipulos juvenes continentem.' *J. F. Gronov.*

(20.) *Cicero Trebatio S. D.*

Anno U. C. 709.

Rufio tuus] Rufionem Trebatii gentilem fuisse, didici ex hoc antiquo lapide, qui est Romæ ad portam Latinam: C. VIBIVS. C. F. MACER. C. TREBATIVS. RVFIO. FACIVND. CVRAVERVNT. *Manut.*

Te non reprehendo] Utcunque illi eum requirant, tu bene fecisti, quod illum pellexisti Romam, ut præsit domui struendæ, quam paras in Lupercali. *J. F. Gronov.*

Lupercal] Locus in urbe Roma, sic appellatus a Lupercali sive fano Panis Luperci. Varro de L. L. IV. 24. 'Luperci, quod Lupercalibus in Lupercali sacra faciant.' Vide et Justin. XLIII. 1. *Idem.*

Tamen isthuc malo] Nempe ut domus tibi sit, in qua nobiscum vivas Romæ. *Idem.*

Heletem] Strabo in initio lib. VI. ubi de omni illa ora agit, plures sententias adducit, unde *Velia* a Græcis *Helia* appellata esse possit, nonnullosque tradit ab Helete fluvio ei nomen inditum voluisse. Stephanus inde nomen illam accepisse affirmat. *Victor.* Alii, *Haletem.*

Papirianam] Emptam de Papirio quodam a Trebatio, vel ab ejus patre. *Manut.*

Lotum] Nos antiquos codices in hoc etiam secuti sumus, quos incorruptos esse censemus. De 'lotorum' nobilitate, et quam jucunda earum opacitas esset, quantique olim in domibus æstimarentur, Plinius docet in lib. XVII. Proœmio. Polybius a se visam in Attica describit Hist. lib. XII. quem locum, quia nondum integer vulgatus est Polybius, leges apud Athenæum Δειπνοσοφιστῶν lib. XII, qui totam verbis ipsius hujus arboris descriptionem persequitur. Nam qui *lucum* emendarunt, deceptos esse putamus. Impium enim Ciceronis consilium fuisset; cum enim sacri essent

luci, non sine ingenti piaculo et scelere incidi poterant; domusque privata non luci erat capax, cum 'loti,' deliciarum causa, summa arte in domibus colerentur, advenæ autem raram arborem visebant, et ejus jucundo aspectu tenebantur: propter quam rem jocans, ut arbitror, jubet ipsum lotum illam exscindere, quia sibi esset sumptus causa, cum sæpe hospitum domus plena esset. Nam in verbo illo *prospexeris* ambiguum sensum esse puto. Videtur enim dicere, *si lotum excideris*, majus cæli spatium aspicies; illa enim sua capacitate prospectum impedit, et luminibus obstruit: cum dicat, Rebus tuis consules, minores enim sumptus facies, non enim causa erit advenis, cur domum tuam frequentent. Et omnia hæc facete et cum joco, ut consuevit. Fere enim semper cum eo jocatur. Adversatur solum antiquæ lectioni, quod *lotum* fœminino genere alii auctores appellarunt, cum ipse masculino usurpet; quare accurate considerandum est, vitiumne ea parte vetus habeat, sive eo genere contra plurimorum morem, quod vix verisimile est, Cicero appellare lotum voluerit. *Victor.* Ne genus obstaculo nobis sit ad hanc lectionem approbandam, pluribus docet Sanctius in Minerva, quem consule. *Græv.*

Νίκωνος] Niconis de Edacitate. In illo, opinor, libro documenta inerant, quo modo, incolumi valetudine, plurimum edi posset. *Manut.*

Te quidem non videtur] Ita sine metu morbi escæ maximæ videris. *J. F. Gronov.*

(21.) *Cicero Trebatio S. D.*

Anno U. C. 709.

Silii] Ad quem scribit lib. XIII.

Causam te docui] 'Docet causam,' cujus res agitur, cum pro se acturum instruit. 'Discit,' qui defensurus est. Seneca in nobili fragmento apud Augustin. de Civ. Dei, VI. 10. 'Sunt qui vadimonia sua Deos advocent: sunt qui libellos offerant, et illos causam suam doceant.' Plin. Epist. III. 9. 'Legatos interrogabam, docuissetne me aliquid, quod re probari posse confiderent.' *J. F. Gronov.*

Sponsionem illam] Judicialem, ut judicio vicisse credatur adversarius, ni ita sit. Vide Pithœi Advers. 18. *Idem.*

Si bonorum Turpiliæ] Legendum videtur *Ni bonorum, &c.* Hereditatem sibi a Turpilia relictam Silius ex edicto prætoris acceperat. Vocatus in judicium a Turpilio propinquo, eandem hereditatem repetente, quia Turpiliæ factionem testamenti fuisse negaret, sponsionem facere cogebatur: de qua consuluit peritissimos jurisconsultos, Serv. Sulpicium, et Offilium; et cum Trebatii quoque sententiam scire vellet, Ciceronis opera usus est. *Manut.*

Factionem] Jus faciendi testamenti.

(22.) *Cicero Trebatio S. D.*

Anno incerto.

Furti recte agere] Haberetne actionem adversus eum furem, qui furatus esset ante quam ipse heres esset. Ideo enim dubitari potest, quia non videtur heres ea, tanquam sua, posse repetere, quæ nondum ad eum hereditario jure pervenissent. *Manut.*

Scævolæ et Testæ] Trebatium suis cognominibus appellat. Testa enim vocatur Epist. 13. et 21. Scævola vero ad Att. IX. 14. Jocatur Cicero, et post verbum *Scævolæ*, addit copulam *et*; ut videatur de duobus loqui, cum de uno loquatur. Aut dic, P. Mucium significari, quem et de Fin. lib. I. cum Manilio et Bruto nominat, eosque vocat principes civitatis; nisi si Mucium Scævolam illum notat, de quo Epist. 10. *Idem.*

(23.) *Cicero Fabio Gallo S. D.*

Anno incerto.

Tantum quod] Sic Mss. et optimus quisque librorum: deteriores sine *quod*. Est autem *tantum quod*, vix, modo, commodum, simul ac. *Cellar.*

Aviani] De quo Epist. XIII. 2.

Nomina se facturum] Se nobis crediturum, traditurumque statuas, quas ab eo emimus, non præsenti pecunia, sed in diem. 'Facere nomen' est credere alicui, vel cum aliquo in creditum ire, sive pecunia mutua data, sive merce tradita, pro qua pretium non præsens, sed in diem dictam solvatur. Nomen facit creditor, cum scribit in libro expensi se alicui tantum credidisse, aut mercem tradidisse, quam pecuniam mutuam, quave pro merce pecuniam ad diem placitam recipiat. Sen. de Benef. II. 23. 'Idque fiebat præsente et videntе debitore.' Cic. pro Sex. Rosc. c. 1. debitor dicebatur 'locare nomen.' Phæd. I. 16. etsi eundem 'facere nomen' etiam dicat Cic. Off. III. 14. Vid. Salm. de Usur. pag. 146. 147. *J. F. Gronov.*

Plus annua postulare] Postulare ut summam, quam me illi debere in tabulas retulerat, intra annum non restituerem, sed diutius retinerem, et solverem usuras. *Annua die debere* est hac conditione et lege pecuniam mutuam accipere, ut post annum elapsum restituatur. *Græv.*

Damasippus] Scripserat, opinor, Gallus, emptorum ea signa Damasippum, si Ciceroni non placerent. Horat. Sat. II. 3. 'Insanit veteres statuas Damasippus emendo.' *Manut.*

Bacchus] Baccharum imagines, id est, mulierum ebriarum, quasi celebrantium Bacchi orgia. *Cellar.*

Æs alienum] Martis enim et Saturni signa minus fausta putantur: mavult per jocum *Mercurii*, quia is credebatur Deus mercatorum esse, et nummos procreare. *Manut.*

Trapezophorum] Qui mensam fert: seu mensæ fulcimentum. *Idem.*

Cui plane res certas] Cui sic exposueram sententiam meam, ut, si ille mandata tibi recte edidisset, errare non posses. *J. F. Gron.*

Exhedria] Loca in porticibus, ubi sedentes disputare soliti erant. Ita Vitruvius et Cicero. 'Exhedra' tamen muliebri genere, usitatius; sed 'exhedrium' inde factum ὑποκοριστικῶς. *Manut.*

Plane mecum habitare] Fortasse, quod paries communis esset; vel, quod ædes illæ ita Ciceronis ædibus vicinæ, ut ad eum percommode Gallus itare posset. *Idem.*

(24.) *Cicero M. Fabio Gallo S. D.*

Anno U. C. 708.

Tigellio] M. Tigellio Hermogene liberto, quod Hermogenis cognomen indicat. Est enim is, de quo Horatius Sat. I. 9. 'Invideat quod et Hermogenes, ego canto.' Et Sat. II. 3. 10. quibus locis ostenditur, quod hæc quoque declarat Epistola, Tigellium canendi arte præstitisse. Quid autem de Tigellio scripserit ad Ciceronem Gallus, cognoscitur ex Epist. ad Att. XIII. 47. *Manut.*

Cipius] Alii *Cupius*, et *Cepius*. Sed omnem dubitationem tollit Sext. Pompeius, in proverbio, 'Non omnibus dormio;' ubi docet, proverbium videri natum a Cipio quodam, qui 'pararenchon' dictus est; quod simularet dormientem, quo impunius uxor ejus mœcharetur. Eundem commemorat et Plutarchus in Eroticо, ubi tamen Κάββας nominatur, si locus emendatus est. *Lamb.*

Patria sua] Sardinia. *Corrad.*

Calvi Licinii] Cornelii Licinii Calvi poëtæ: de quo vide G. J. Vossium.

Hipponacteo præconio] Iambico scazonti, sic ab auctore appellato. Quale est illud, 'Sardi Tigelli putridum caput venit.' *Præconio* autem dixit,

quia præco Sardos venales pronuntiabat. *Corrad.*

Præconio] Præconum est proclamare venales, eorumque prædicare virtutes et artes, ut citius emptorem inveniant: iidem addicebant emptori, seu jubebant emptorem ducere emptum, ubi de pretio convenerat. Ita ergo proscripsit proclamavitque Hipponacteo carmine Tigellium, et prædicavit publicavitque ejus scelera et vitia, et hominem duraturæ in æternum infamiæ quasi addixit Calvus. Suspicor autem supervacanea esse duo verba, *puto esse;* ut fuerit, *non ferre hominem pestilentiorem patria sua, eumque addictum jam tum Calvi Licinii Hipponacteo præconio.* Eum præsertim, inquit, quem jam ante tot annos prædicavit Calvus, ut Hipponax Anthermum et Bupalum: quasi præco venalem exposuit cum ornamentis omnibus, tradiditque infamiæ velut proprium et addictum. *J. F. Gronov.*

Phameæ] Liberti, cujus nepos Tigellius. *Ipsius quidem causa*] Non propter Tigellium ejus nepotem, sed ipsius causa. *Manut.*

Qui sciret] Quasi ob hoc cristas erigeret, et Ciceronem putaret negare sibi nihil debere, quia Tigellii avus esset. *Gronov.*

Habes Sardos venales, alium alio nequiorem] Nempe Phameam, et M. Tigellium Hermogenem, nepotem illius, modulatorem optimum, in Sardinia natum, ut notat Acron. Proverbio hoc utebantur de hominibus improbis, nequitia et fraude inter se certantibus, ut qui alteri præferendus sit, non facile possit intelligi. Proverbio dederunt originem Sardiniæ captæ venales, qui nequiter servierunt, et improbitatis ac nequitiæ palmam tulerunt inter mancipia: non vero a Veientibus, qui quoniam Etrusci sunt, hi vero coloni Lydorum, quorum caput fuerit Sardes, a quo Sardi dicti sint, ut Festus et Plutarchus docent. Nam a 'Sardes' est 'Sardianus,' a 'Sardinia' vero 'Sardus.' Sic recte hoc proverbium exponit, et pluribus refellit Festi et Plutarchi sententiam Gronovius de Pec. Vet. IV. 10. quod vide. *Græv.*

Salaconis] Nec Græcis ignotum nomen, qui vel luxuriosum et mollem, vel in pauperie superbientem, vel prodigum etiam interpretantur. Vide Hesychium et Suidam. *Cellar.* Utitur hac eadem voce, Epist. XVI. 18.

Catonem tuum] Librum a te de M. Catone scriptum. *Corrad.*

(25.) *Cicero M. Fabio Gallo S. D.*

Anno U. C. 708.

Domo petes cum libebit] Ita Victorius ex Mss. Alii vero, *salva est domi: petes cum libebit.* Neutrum male.

Si istum habuerimus] Mediceus liber *nisi istum habuerimus.* Semper mihi suspectus hic locus, ac merito quidem fuit; et est sane tota Epistola obscurior. Arbitror legendum esse *nisi istum caverimus.* Sententia, ut patet, egregia est: intelligit enim per *istum*, Cæsarem. Memini disertum virum, qui et ipse hunc locum depravatum esse censebat, sic eum emendare solitum, *ne, si stylum acuerimus.* Victor. *Istum*] Tigellium, vel Phameam potius, quam Cæsarem significat, propter proverbium quod addit, et nescio quam suspicionem, de qua lib. XIII. ad Atticum scribit. *Corrad.*

Γέλωτα Σαρδόνιον] Proverbium de iis usurpatum, qui risu et jocis sibi nocivum concitant periculum. Vide Erasm. in Proverb. *Græv.*

Manum de tabula] Proverbium esse existimo sumptum a pueris pictorum, qui, absente magistro, sumpto penicillo aliquid et ipsi furtim in tabula pingere conantur. Quo repente superveniente, admonentur a cæteris ut cito manum de tabula removeant, ne in illos magister animadvertat. Monet igitur Cic. Fabium, ut appro-

pinquante Cæsare manum et ipse de tabula cito auferat; scribebat enim Catonem, quæ scriptio parum Cæsari grata et jucunda esse poterat, et quæ inimicissimum illi hominem summis laudibus ornaret. Cum autem se quoque cogitaret, quia et ipse etiam Catonem scripserat, apud eum offendisse, subjungit, *vereor ne in Catonium Catoninos*, id est, timeo ne Cæsar commotus ira ad inferos demittat Catoni deditos, et Catonem amantes, id est, meipsum et te, qui Catonis laudes scripsimus. Nam et A. Gellius videtur ostendere *Catonium* pro inferis sumi quandoque solitum. Vide Noct. Att. XVI. 7. *Victor.*

Nec transversum unguem, quod aiunt, a stylo] Subaudi 'discedas.' Dicitur autem eodem sensu, 'unguem, digitum, pedem non discedere,' pro minimum discedere. *Manutius.* Vide Erasm. in Proverb.

Aliquantum jam etiam noctis assumo] Cum dicat *jam etiam*, apparet Epistolam scriptam esse in exitu æstatis, vel ineunte autumno, cum noctes incipiunt jam esse longiores. Atque illud *magister adest*, quod de Cæsare dictum est, indicare videtur scriptum esse mense Sextili. Nam Epist. ad Attic. XIII. 46. 'Cæsar,' inquit, 'adest.' Illam vero scriptam Sextili mense, cognoscitur ex ea quæ proxima antecedit. *Idem.*

(26.) *Cicero Gallo S. D.*

Anno incerto.

Gallo] Fortasse Q. Fabio Sangæ Gallo. Nam in veteribus libris superiores Epistolæ post librum ad M. Varronem scriptum sunt positæ: hæc et sequens, hoc loco: et hic Gallus exulabat Cæsare dictatore, ille Romæ erat: hic Epicureus erat, ille Academicus: hic nescio quid ad Ciceronem detulit, quod Sangæ propter conjuratioucm convenit; ille nihil, quod sciam. *Corrad.*

Tum quo] Epicuri verba de Fin. II. 30. recitantur. *Tanti autem morbi aderant vesicæ et viscerum, ut nihil ad eorum magnitudinem posset accedere.* Δυσουρικὰ πάθη, *stranguriam*, Græco verbo; δυσεντερικὰ, *tormina*, Cicero vocat Tusc. II. de Epicuro loquens. *Manut.*

Lex sumptuaria] De qua Gellius, II. 24. et Macrob. Saturn. lib. III.

Λιτότητα] *Frugalitatem.* Manut.

Cœna augurali] Augures, sacerdotium ineuntes, collegis cœnam dabant lautam inprimis atque opiparam. Varro III. 6. 'Primus pavones augurali cœna posuisse dicitur Q. Hortensius.' Eadem 'adjicialis cœna' vocabatur. Nam Plin. X. 20. 'Pavonem,' ait, 'cibi gratia Romæ primus occidit orator Hortensius adjiciali cœna sacerdotii.' *Manut.* In eo qui huc adducitur Plinii loco, non *adjiciali*, sed *aditiali* edidit Harduinus, nempe ab aditu sacerdotii, vel adeundo sacrificio. Quod quis non unice amplectatur? *Olivet.*

Corpus amisi] Hoc est, carnem, macescere cœpi. Ovid. Am. I. 16. 'Aptaque subducto corpore membra dedi.' Hoc est, postquam de pinguedine aliquid decessit. Contra 'corpus facere' est pinguescere Phædro lib. II. 'Ut restiterunt: unde sic quæso nites? Aut quo cibo fecisti tantum corporis?' *Græv.*

(27.) *Cicero Gallo S. D.*

Anno U. C. 707.

Gallo] Is non fuit M. Fabius Gallus, sed M. Fadius Gallus. Et sic legendum esse contendit Steph. Pighius Annal. XVI. quem vide. *Græv.* Libentius crediderim, hunc esse P. Sextium, pro quo extat oratio, cui cognomen fuerit Gallo: fuisse enim hoc Sextiæ gentis cognomen, intelligitur ex Orat. pro Milone, ubi, 'Sacrarium, quod est in fundo T. Sextii Galli.' *Manut.*

Cum tibi id non liceat] Pighius propter sortis quæstoriæ necessitudinem.

Divin. in Cæcil. cap. 19. Fuerat autem quæstor Ciceronis cos. A. U. 696. Sed et alia potest causa dari, quia erat exul. *J. F. Gronov.*

Ego enim te in consulatu observaram] Credibile est his verbis usum Fadium in sua Epistola. Sed hic Cicero reddit ei sua verba aliter accepta. Nam Fadius imputat Ciceroni cultum et officia, quæ ei præstiterit. Cicero et sic videtur accipere, cum ponit tanquam causam, propter quam non conveniat Fadio ipsum accusare. Intelligit autem se intentum in eum fuisse, et actiones ejus speculatum, ne quæstor de pecunia publica quid suffuraretur. Sic Att. VIII. 19. 'Tibi esse in animo observare Cæsarem.' Sueton. Jul. 65. 'Subinde observandum se admonens.' *Idem.*

Restituat] Ab exilio. *Manut.*

Nemo credit] Vel aliquid dicenti, vel pecuniam. *J. F. Gronov.*

Plebei] Pro *plebis*, ἀρχαικῶς.

Mea causa] Ut restitueres me. *Manut.*

Intercessorem non quæreres] Nam qui tribunus est, ipse habet jus intercedendi. Manutius: Non rogares, ut ego pro te apud Cæsarem intercederem. Atqui 'intercedere pro aliquo,' pro deprecari, Latinum non est. Immo hoc confirmat, quod diximus de τῷ 'nemo tibi credit.' 'Intercedere pro aliquo pecuniam,' est, fidejubere. Phil. II. 18. 'Orabat, ut contra suum patrem, si sestertium sexagies peteret, defenderem. Tantum enim se pro te intercessisse dicebat.' Att. VI. 1. 'Intercessisse se pro iis magnam pecuniam.' Sen. Epist. 119. 'Nolo per intercessorem mutueris.' Hoc igitur ait: Non quæreres, cujus fide et quo sponsore quisquam tibi crederet nummos. *J. F. Gronov.* Respondet Gallo, qui petierat a Cicerone, ut de se restituendo cum Cæsare ageret. Itaque ludens in ambiguo, *intercessorem*, et pro tribuno vetante, et pro amico deprecante usurpat. *Facc.*

Me rogares] Per litteras. Epist. ad Att. XIV. 1. 'Cum Sextii rogatu apud eum fuissem.' Quibus ex locis exulasse Sextium constat. Rogavit enim Sextius absens Ciceronem, ut de suo reditu Cæsari supplicaret. *Manut.*

Isto ipso in genere] Acerborum salium, jocandi cum morsu, pungendi specie urbanitatis. *J. F. Gronov.*

Detulisti] De C. Antonii consulis tui consiliis. *Manut.*

(28.) *Cicero Curio S. D.*

Anno U. C. 707.

Curio] Tribunus plebis quo tempore Cicero ab exilio est revocatus. *Corrad.*

Patræ] Urbs in Achaia.

Te in Græciam contulisti] Paulo ante bellum civile. Nam Cicero ex Cilicia rediens, Tironem ægrum Patris, ubi erat Curius, reliquit. *Corrad.*

Ubi nec Pelopidarum] Subaudi, 'neque facta audias, neque nomen.' Vide Epist. 30. hujus libri. *Pelopidæ* autem hic dicuntur mali cives, qui rempub. oppresserunt. Cujus poëtæ sit hic senarius, non satis constat. *Anon.*

Te ex meis libris] Non eum me esse qui viderer in meis libris. *Manut.*

(29.) *Curius M. Ciceroni Suo S.*

Anno U. C. 708.

Sum enim... tuus] *Enim* connectit cum pronomine *Suo* in titulo, ut Epist. I. 10. *Cellar.*

Χρήσει μὲν *tuus*, κτήσει καὶ *Attici*] *Usu quidem tuus, possessione autem Attici.* Sententiam hanc lepide expressit Lucret. III. 984. 'Vitaque mancipio nulli datur, omnibus usu.' *Manut.*

Mancipium illius] Est possessio, jus dominii. Hinc 'mancipio dare' est ita dare ut proprietas transeat ad alium. *Græv.*

Senes coëmptionales] Sunt mancipia

rejicula et veterana, quæ, quod non ita facile emptorem invenirent, aut minimo æstimarentur, solebant vel plura in cumulum vendi, vel quasi mantissa et appendix dari melioribus, ut qui bene habitum conciliare cuperet, imparem contubernalem simul acciperet. Unde 'senes coëmptionales' dicebantur, hoc est, simul venales. Plaut. Bacchid. IV. 9. 'Nunc Priamo nostro, si quis est emptor, coëmptionalem senem Vendam ego, venalem quem habeo, extemplo, ubi oppidum expugnavero.' *Habeo venalem senem coëmptionalem*, hoc est, ex eo genere, in quibus singulis vix quisquam facit pretium, sed qui auctioni aliorum accedunt. Vendam, inquit, ubi oppidum expugnavero. Sic Curius hic dicit, si mihi inter rejicula istiusmodi mancipia titulum in venalitio pinxerit, vendideritque me, parum rei fecerit: quia inutiles sumus et nullius pretii. Curius se vix ait prodesse Attico, cujus sit κτήσει, posse, nisi proscribatur ab eo venalis inter mancipia veterana, quæ plerumque in cumulum venduntur, aut aliis rebus vel mancipiis melioribus accessiones dantur: sic quoque non multum. *J. F. Gronov.* de Pec. Vet. IV. 8.

At illa nostra prædicatio quanti est] At tuus ille fructus ex me longe majoris est. Alludit ad præcones auctionibus adhiberi solitos. *Idem.*

Homines] Alicujus pretii. *Idem.*

De meliore nota] Translatio a doliis, quibus diversæ inuruntur notæ, ut internoscantur vina. *Manut.*

Ad ver] Verno tempore. Sic Vict. et Lamb. ex Mss. Alii, *ad urbem.*

Refigere] Sic legendum. Id est, pecunias, quas hic habeo collocatas et fundatas et quasi fixas, liberare et redigere. Nam 'refigere' contrarium τῷ 'figere.' Infr. XII. 1. Justin. IX. ult. At 'defigere' est idem, quod 'figere.' *J. F. Gronov.* Hic alii legunt *defigere;* alii *deferre.*

Duo parietes de eadem fidelia] Significat hoc proverbium, una eademque opera duas res conficere. *Fidelia* est fictilis urceus, in quo color habebatur tingendis parietibus. Vide Erasm. Adag.

(30.) *Cicero Curio S. D.*

Anno U. C. 709.

Cæsare quintum cos. quo anno, Idibus Mart. interfectus est.

Pelopidarum] Supra, Epist. 28.

In Campo] Martio, ubi comitia habebantur, tum tributa, pro quæstoribus creandis, quæ adhuc in extremum Decembrem dilata fuerant. *Cellarius.*

Sella Q. Maximi] Q. Fabii Maximi, quem Cæsar quartum consul, cum ex Hispania revertisset, sibi suffecerat; ideoque illi Cæsariani dicebant esse consulem: a populo et legitime creatus non erat. Huic, per morbum absenti, posita fuit sella. *Idem.*

Ille autem] Ille, Cæsar, suppresso, ut sæpe, odioso nomine, ante lucem auspicatus erat solemnibus sacris; ut eo die quæstores tributis comitiis crearet: audita vero sui consulis morte, novum consulem Caninium sine auspiciis constituit, quia illo mane non centuriatis et consularibus, sed tributis tantum comitiis auspicatus fuerat: consules autem oportebat centuriatis fieri. Idcirco tributa in hæc subito mutata dicit. *Idem.*

Neminem prandisse] Quia a meridie creatus fuit; mane postridie magistratu abiturus. *Cellar.*

Somnum non viderit] Posteriores enim sex horæ noctis, habita civilis diei ratione, pertinent ad Kal. Jan. id est, ad sequentis anni consules: priores vero, quæ pertinent ad pridie Kal. qui consulatus ultimus dies est, insomnes ab occupato præsertim consule ducuntur. Itaque perbelle Cicero, jocum quærens, brevitatem consulatus ad vigilantiæ laudem con-

vertit. Vide Macrob. Sat. II. Plut. in Cæsare, Dionem lib. XLIII. Tacit. Annal. XIX. *Manut.*

(31.) *Cicero Curio S. D.*

Anno U. C. 709.

Res tuas ita contractas] Valde implicatas, quia illi cum triconibus et hominibus non solvendo res est. *J. F. Gronov.*

Nec caput, nec pedes] Nec initium nec finis appareat: quin sic turbatæ sunt, ut nescias, unde incipias, ubi finias. *Idem.*

Uti pedes haberent] Uti exitum earum reperire posses. *Idem.*

Gloriam antiquam Atticam] Magnifica verba sunt: nec tamen laudatur quidquam, præter sales. Blanditur igitur Cicero, dum humilem rem extollit, Curio simul et Attico; qui salibus mire delectabantur. Fortasse etiam ipsa Attici verba refert. Quod si ita est, hoc ipso jocatur: quasi Atticus gloriam antiquam Atticam in ridiculis poneret, et eam crederet, per tres homines posse retineri. Sales autem Attici omnibus præstabant: quanquam Cicero, ut assentaretur Pæto, Romanos præfert, Epist. IX. 15. *Manut.*

Ergo is tibi] Curio primas, Attico secundas, sibi tertias urbanitatis partes tribuit. Erat in Curio αὐτόχθων urbanitas, ut Attico scribit VII. 2.

(32.) *Cicero Volumnio S. D.*

Anno U. C. 702.

Volumnio] Hic est P. Volumnius Eutrapelus, qui Cytheridem mimam dilexit. Epist. IX. 26. Præfectum fabrum Antonii fuisse civili bello, Nepos ait in Attici Vita, Sulpicio et Marcello coss. *Manut.*

Sine prænomine] Vide V. 19.

Εὐτραπελία] *Festivitas, lepor, urbanitas:* unde illi cognomen Eutrapelo. Epist. ad Att. IX. 26. XV. 8. Philipp. XII. Plutarchus in Bruto 'mimum' vocat. *Manut.*

Salinarum] Quod 'sales' joca sunt, quorum dives erat Cicero; per jocum sibi quasi salinas tribuit, quarum procuratorem, cum in provinciam iret, Volumnium constituisset. *Cellar.*

Ἀκύθηρον] *Quod venere caret, venustatis expers.* Nomen a *Venere* deductum, quæ Græcis Κυθήρεια nuncupatur. *Manut.*

Ἀμφιβολία] *Ambigua oratio:* cum ad sententias diversas eadem verba accommodari possunt. *Idem.*

Ὑπερβολή] *Superatio,* vel *exsuperantia,* cum sententia supra veritatem extollitur: ut in suasione legis Maniliæ: 'Plura bella gessit, quam cæteri legerunt: plures provincias confecit, quam cæteri concupiverunt.' Fit etiam minuendi gratia, ut 'testudine tardior.' *Idem.*

Παράγραμμα] *Agnominatio:* cum unius litteræ mutatio diversam significationem affert: ut de Orat. lib. II. 'Eamus deambulatum. Quid opus fuit de? Immo vero, quid opus fuit te?' *Idem.*

Παρὰ προσδοκίαν] *Præter expectationem.* Idem.

Per Antonii personam] Immo Julii Cæsaris Strabonis, de Orat. II. 58. et seqq. Sed quia Antonii persona primas ibi partes agit, quod in toto libro est, adscribit Antonio. *J. F. Gronov.*

Ἔντεχνα] *Artificiosa.* Manut.

Quereris] Questus erat Volumnius dominari in judiciis, absente Cicerone, homines infantissimos. *Idem.*

Trahantur per me pedibus] Formula loquendi de iis, quæ susque deque habemus: in quibus nihil moramur, quid fiat. Attic. IV. 17. 'per me ista pedibus trahantur.' *J. F. Gronov.*

Se liberum] Quia eum non ingenuis natum esse dicebant. *Cellar.*

Quibusvis interdictis] Omni cura et studio, ope quasi prætoris. Interdictis enim prætorum tuebantur posses-

sionem facultatum. Lepide autem de possessione urbanitatis, judiciale verbum usurpavit.

Te sapere] Quia falsas laudes non agnoscis. *Manut.*

Nostrum illum amicum] C. Curionem, tribunum pl. in locum Servii designatum: ut Epist. VIII. 4. Jure autem Cicero verebatur, ne non satis gravem Curio se præberet in tribunatu. Levissime enim ab optimatum causa ad Cæsarem transiit; ut Epist. II. 13. VIII. 6. et *Idem.*

Desit] Amori illius erga me. *Idem.*

Non videor nimium laborare] Cum valde tamen laborem. *Idem. Non videor*] Alii, *nunc videor.* Corrad.

(33.) *M. Cicero Volumnio S. D.*

Anno U. C. 707.

Declamationibus nostris] Cur se ad declamandum Cicero contulerit, causa expouitur in Epist. IX. 18. *Manut.*

Gregalibus illis] Hortensio, Marcello, Cælio, et reliquis. *Corrad.*

Pennigero] Dolebat, quod studia sua non, ut antea, in tuenda rep. et ageudis causis, sed in hoc vili exercitationum genere collocare deberet: ad hoc usus poëtæ verbis, quibus Philoctetes conqueritur, quod tela in avibus trajiciendis, non in sternendis hominibus consumat. Cic. de Finib. V. 11. *Cellar.*

In maximarum quasi concursum occupationum] Scholam suam declamatoriam per jocum ita nominat. *Idem.*

Exceperimus] Hic 'excipere,' opinor, est ferre, subire: ut alibi 'excipere dolorem, laborem.' Vide Tusc. II. 5. et Brut. 69. *Olivet.*

Vivam cum communibus nostris amatoribus] Forte legendum *nostri.* Oblectabo me cum illis, qui et te et me insigniter, et præ cæteris amant. *J. F. Gron.*

Meis æquissimis utuntur auribus] Libenter eos audio declamantes. *Manut.*

Polito] Alii, *politulo.*

Interioribus] Philosophicis.

Verecundiorem] Quibus, quia doctior es quam ego, facis, si quid de illis studiis meis loquendum sit, ut parcius et verecundius loqui debeam. *Cellar.*

Personam] Quam egi in publicis et in forensibus rebus. *Idem.*

LIBER VIII.

(1.) *M. Cælius M. Ciceroni S. D.*

Anno U. C. 702.

M. Cælius Rufus] Plebeii generis, patre equite R. Puteolis natus, sumpta virili toga, id est annum ætatis ingressus XVII, a patre continuo ad Ciceronem deductus est, nondum prætorium, sed eloquentia jam probitatis opinione clarum: a quo etiam 'lectissimus adolescens' appellatus est in Verr. lib. IV. qui de Signis inseribitur. In illo ætatis flore cum artibus honestissimis erudiretur, M. Crassi domum frequentavit. Postea fuit assiduus cum Cicerone prætore, candidatumque assectatus est in petitione consulatus. Anno sequenti iterum petenti consulatum Catilinæ studuit. Tribunatum pl. gessit, Pompeio tertium consule, Milonemque ob necem P. Clodii de vi reum, studiosissime defendit. Ædilis curulis fuit L. Paulo et C. Marcello coss.

prætor C. Cæsare II, et P. Servilio coss. Orto civili bello, quæstor in Africa fuit C. Curionis, ut apud Cæsarem Civ. Bell. lib. II. scriptum est. Eloquentiæ inprimis operam dedit, locumque inter summos oratores consecutus est. Ejus tamen scripta paulo asperiora, et antiquitatem redolere visa sunt. De quo Tacitus (seu Quintilianus) Dial. de Orator. Sueton. de Claris Rhetor. Mores iu eo minime cum ingenio conferendi. Iracundissimum appellat Seneca de Ira lib. III. Impudicum et lascivum ostendit oratio Ciceronis. Inconstantis ingenii fuit. Primum tribunus pleb. quo anno P. Clodius a Milone occisus est, optimatum partes defendit. Mox, orta inter Cæsarem et Pompeium discordia, neutram in partem inclinare visus est. Deinde, mutata sententia, Cæsaris ad partes transiit. Profectum ad Cæsarem cum C. Curione, ut eum ad civile bellum incitaret, scripsit Dio lib. XLI. Demum a Cæsare ipso descivit: idque cum ipse declarat Epist. VIII. 17. tum vero Velleius his verbis: 'Accito Annio Milone, qui, non impetrato reditu, Julianis partibus infestus erat... consularibus armis... circa Thurios oppressus est.' *Manut.*

Decedens] Unde? ab ipso Cicerone, quem in provinciam euntem prosecutus erat. *Manut.* Sic quidem Mss. sed *discedens* legendum, id est, me a te separans, cum te proficiscentem prosecutus fuissem, et valere dixissem. *J. F. Gronov.*

Tuæ memoriæ dare operam] In tuam gratiam scribere, aut scriptum dare. Nam quæ scribuntur, eorum extat memoria, ea memoriæ traduntur. Orat. pro Muren. cap. 28. Male Manutius. *Idem.* Hoc dicit: Non is sum, qui de te libenter non cogitem *Manut.*

De comitiis] Cn. Pompeius Strabo, Magni pater, Transpadanas colonias deduxerat ita, ut veteribus incolis manentibus jus Latii daret. Ita Ascon. in Pison. sub init. Quibus Cæsar post quæsturam spem civitatis fecit, ut scribit Sueton. cap. 8. Jam novus rumor erat, eum laborare, ut rem perficeret, quo suffragiis novis in comitiis juraretur. Adi Sigon. de Jure Ital. III. 11. *Cellar.*

Cumarum tenus] Quousque Cælius et amici Ciceronem prosecuti fuerant. *Idem.*

Auditionem accepi] Durior et horridior interdum Cælius est in explicanda sententia. Quis enim sic loquatur, 'Ne tenuissimam quidem auditionem de ea re accepi,' pro, nihil prorsus audivi? Fortasse hoc illud est, cur in eo sordes verborum Tacitus appellet, et subjungat, 'amarior Cælius:' et Quint. asperitatem ei tribuat in dicendo. *Idem.*

Marcellus] Consul cum Sulpicio. *Manut.*

De successione Galliarum] Ut Cæsari ante legitimum diem succederetur. Erat enim hic octavus Cæsaris annus in administratione Galliarum, imperio decem annorum ei concesso; quinquennio uno lege Vatinia, ipso Cæsare cum Bibulo consulatum gerente; altero lege Trebonia, Pompeio et Crasso coss. *Idem.*

Sermones expressit] Cum, eum statim de Galliis relaturum, homines loquerentur. *Idem.*

Offendisti] Offendit eum Tarenti, et cum eo decem dies fuit. Epist. VIII. 2. et ad Att. v. 6. *Idem.*

Quod ad Cæsarem] Ita Mss. sine τῷ *attinet*, quod satis intelligitur. *J. F. Gronov.*

Domitius] L. Domitius Ahenobarbus, consularis, acerrimus Cæsaris adversarius. *Manut.*

Manus ad os apposuit] Eorum more, qui secreto aliquid narrant. *Idem.*

Subrostrani] Homines otiosi in rostris versantes assidue, rumorum aucupes et nugivendi. Plauto 'subbasilicani.' *Græv.*

Quod illorum capiti sit] Quod malum in eos recidat. Tibull. I. 2. 'Et mala si qua tibi dixit dementia nostra, Ignoscas: capiti sint precor illa meo.' *Idem.*

Embæneticam] Id est, navicularium, et subandi, artem; ab ἐμβαίνω, *navem conscendo.* Quod mercatura maritima, sibi victum Pompeius Baulis exul quæreret. Turnebus, Advers. XIII. 20. legit *empeneticam*, a verbo πεινᾷν, quod valet *esurire:* quasi jocans Cælius dixerit, eum artem esuriendi facere et exercere, ut dicimus argentariam, navicularium facere. Isaacus Vossius ad Catulli Carm. XXXV. legit ὀμπνητικὴν, ab ὀμπνεῖν, *largis indulgere dapibus.* Baulis, inquit, erat taberna et diversorium totius Campaniæ affluentissimum. Ibi Pompeius corpus largis curabat dapibus, unde Cælius dicit se misereri ejus, utpote qui tantum esuriat. Gronovius vero, Lect. Plaut. legit, ἐμετικὴν *facere*, hoc est, *curare se vomitoriis.* Quæ vox etiam exstat Att. XIII. 52. Solebant enim in illa Campaniæ loca secedere valetudinis causa, inter quæ et Bauli. Et huic convenit, quod sequitur, 'Ut ego misererer ejus esuriei,' id est, jejunitatis. *Olivet.*

Hoc mendacio ut defungeremur] 'Defungitur' is, qui evadit, et periculo liberatur. Virgil. Æn. VI. 'O tandem magnis pelagi defuncte periclis!' Optavi, igitur, ut defungeremur, ut tuti jam essemus ab omnibus, si quæ tibi impenderent pericula; ut hoc mendacium finis et quasi defunctio esset omnium periculorum. *Manut.*

Plancus tuus] *Tuus* hic dixit cum ironia: quod Plancus Bursa Ciceronis esset inimicissimus, nec injuria, quod eo accusante, (ut Dio tradidit) de vi condemnatus esset. *Idem.*

Libri] Sex de republica, quorum extant Fragmenta tomo IV. edit. Ernest.

(2.) *Cælius Ciceroni.*

Anno U. C. 702.

Certe, inquam] Quod inopinata res acciderat, quam vix Cicero crediturus esset, qui Messalam corruptis pecunia comitiis factum esse consulem plane nosset, ab affirmatione orditur. *Manut.*

Me repræsentante] Sic aliquot antiqui libri: alii *me repræsentare;* nonnulli *me prehensante*, quod non displicet. Putat aliquis *matre prehensante*, quæ fuit soror Hortensii oratoris. Ego nihil affirmo. *Idem.* Lege *me in re præsenti. Me*, id est, ἐμοῦ ὄντος. Cic. Off. I. 10. 'Si constitueris cuipiam te advocatum in rem præsentem esse venturum,' id est, in foro præsto fore. *J. F. Gron.*

Omnibus ordinibus] Absolventibus omnibus decuriis judicum, senatoribus, equitibus, tribunis ærariis. *Idem.*

Sed et singulis] Id est, ut et in senatoria decuria, et inter equites, interque tribunos ærarii absolventes una sententia vincerent, pluresque essent iis, qui condemnabant. Vereor ut Manutius ceperit. *Idem.*

Vide modo, inquis] Dum nimis amat brevitatem Cælius, obscurat sæpe sententias: quod in Thucydide vitium Cicero notavit. Videtur tamen fingere dicentem Ciceronem: 'Vide modo, Cæli: non de Messalla bene homines existimant? non ejus patet innocentia?' Respondet Cælius: 'Non, mehercules,' &c. *Manut.*

Captus] Ut iis, qui capiuntur, itidem mihi, rei novitate, et hujusce non expectato judicii eventu, perculsus affectusque animus est. Prorsus me stupor oppressit. *Idem.*

Corripuerunt] Reprehenderunt. Sic locutus Epist. 9. *Idem.*

Lege Licinia] Lex Licinia a M. Crasso, una cum Pompeio secundum coss. lata in δεκάζοντας τινὰς, id est, *qui judices corrupissent.* Dio l. XXXIX.

Itaque *relictus*, id est, itaque statim iterum delatus, et in reos receptus, (hoc vult τὸ *relictus*, non expunctum esse nomen ejus in albo reorum, post absolutionem de ambitu, sed in eo relictum et servatum) nunc magis laborare, quam prius videtur. 'Majore periculo esse,' pro, in periculo esse majore. Fam. IV. 15. *J. F. Gron.*

Hic tibi strepitus, fremitus, clamor] At ille pastoritia fistula, ut loquitur ad Atticum, sive sibilo exceptus est, exsibilatus est. Att. II. 12. 'Gladiatoribus, qua dominus, qua advocati sibilis conscissi sunt.' Sed hoc eleganter explicat Cælius versu Pacuvii, quo ille tumultum in navi oborta tempestate descripserat. Plin. Epist. IX. 26. 'Cum stridunt funes, curvatur arbos, gubernacula gemunt.' 'Rudentes' sunt funes nautici, unde Plauti Comœdia 'Rudens.' Proprie sibilant rudentes flatu vehementi ventorum. *J. F. Gronov.*

Impetus] De successore Cæsari in Gallias mittendo. Epist. 1. *Manut.*

Nobilem, et nobilem agentem] Competitores ædilitatis duos intelligit; quorum alter nobilis antiquo genere, alter agens nobilem, id est, nobilitatem jactans et præ se ferens, quæ in eo nulla erat. *Cellar.* Octavii quidem novi et ignobiles habebantur. *Corrad.*

Pantheras] Quas e Cilicia mitti a Cicerone cupiebat, ut eas populo suis ludis daret. *Manut.*

Syngraphum Sittianam] Ex qua exigeretur a Sittio pecunia, quam in ædilitatis impensas Cælius erogaret. Epist. 4. 8. 9. *Idem.*

(3.) *Cælius Ciceroni S.*

Anno U. C. 702.

Curat] Argute. Nam, quia cum Cicerone coram de Hirro jocari, ejusque ineptias ac stultitias ridere cupiebat, ideo *Curat*, inquit, *Hirrus, ut te dies noctesque quæram.* Plus autem est 'curat,' quam 'facit,' ut 'causa est:' quasi dicat: In hac petitione ita multa agit inepte, ita stulte, ut curare de industria videatur, ut ego tecum sim, quo illum ridere possimus. *Manut.*

Auguratus] Augur Cicero fieri noluit ante exilium suum: reversus in patriam, ne calamitas dignitatem ejus minuisse videretur, studuit quam ornatissima senatus populique Romani de se judicia intercedere: quod ipse ad Catonem scribit Epist. XV. 4. Augur autem in locum P. Crassi, Marci filii, a Parthis interfecti, creatus est: qui fuit annus urbis 700. Domitio et Messalla coss. *Idem.*

Forsitan cum locupletiore referam] Domum scilicet de comitiis. *Cum locupletiore*, cum collega qui me est opulentior, et sumptum in ludos et spectacula faciendo, me potest superare. *J. F. Gronov.*

Sed hoc usque eo suave est] Sed Hirrum repulsam pati tantum habet suavitatis, ut, per omnem vitam, quoties nobis ridere libebit, causam simus habituri, hujus repulsæ recordationem. *Idem.*

Sed tanti? sed mehercule] Ita Mss. Lege *Sed tanti? Est mehercule*, id est, Sed tantine putas, o Cæli? hoc quod dicis forte cogites. Est profecto tanti. *Idem.*

Octavius non multum sublevat] Id est, non leviora in sese reddit et habet odia eorum, quæ Hirrum premunt, id est ea, quæ in Hirro homines oderunt, et propter quæ minus ei favent: ut non multo majorem fiduciam in his comitiis habeat. *Gronov.*

Philotimi] Ciceronis, vel Terentiæ libertus, subornatus ut damnati Milonis bona publicata emeret, restituenda Miloni. Vide ad Attic. V. 8. *Cellar.*

Σύνταγμα] Si Latine vertas, proprie σύνταγμα, *compositio* est; a συντάττω. Liber significatur accurate scriptus. Nam ὑπόμνημα, Latine *commentarius*,

ex tempore et sine studio conficitur. Epist. ad Attic. XII. 44. 'Ego hic duo magna *συντάγματα* absolvi.' Quo loco duos Academicos, et quinque de Finibus libros indicat. *Manut.*

Διδασκαλίαν] *Doctrinam*, non gerras. Attendite, librarioli Gallici. *Olivet.*

(4.) *M. Cælius M. Ciceroni S. D.*

Anno U. C. 702.

Condemnatum] Ideo dixit Epist. 2. 'Relictus lege Licinia, majore esse periculo videtur.' *Manut.*

M. Claudium] *M. Calidium* legerem, ex Epist. 9. hujus lib. quæ hanc sequi debent. Et sane M. Calidius cum Q. Gallio inimicitias gessit, ut a duobus Galliis M. et Q. Calidium accusatum intelligamus: ne plures conjecturas persequar. *Corrad.* Hanc conjecturam pluribus firmat Pighius ad annum U. C. 703. qui consulatur. *Græv.*

A repulsa] Post repulsam consulatus. Prætor enim Calidius fuerat Lentulo et Metello coss. Oratio demonstrat in senatu habita post reditum. *Manut.*

Postulatum] Fortasse de ambitu: si quidem post repulsam postulatus est. *Idem.*

Lentuli Cruris] Hic est, opinor, L. Lentulus Cruscellus, qui anno sequenti consul designatus est. Potuit enim et *Crus* et *Cruscellus* indifferenter nominari. *Idem.*

Descenderat] Nimirum in Campum Martium in comitia. *Græv.*

Equites] Quorum studia Cælius amicissimo suo Dolabellæ adjunxit. *Nostri* autem, quia Cælius et Cicero equestri loco nati, id est, parentibus, qui supra equestris ordinis gradum, id est, ad senatoriam dignitatem, nunquam ascendissent. *Manut.*

Condemnatum] De ambitu. *Idem.*

Totus, ut nunc est, hoc scaturit] Hoc effundit, ebullit, fervide jactat, ut fons aquas ejaculatur. Etsi belle Lambinus *hic senaturit.* J. F. Gronov.

Infirmorum hominum amicitias] Nulli pecuniæ parcere, etiam in humilibus promerendis, quibus tamen aliquis aditus ad potentes esset. Suet. Jul. c. 27. *Idem.*

Valde] Cum dixerit *non mediocriter*, cur subjungit *valde?* fortasse, ut magis augeat: ut cum dicebant, 'vehementer etiam atque etiam.' *Manut.*

Usque eo] Videtur dictum pro 'vehementer.' *Idem.*

Consiliis] Cum sequatur *qui*, rectius videretur, *eorum consiliis.* Quid agas? Cælianum est. *Idem.*

Ædilium pl.] Duplex erat ædilitas, curulis et plebeia. Curulem Cælius petebat. Plebeii vero ante curules creabantur.

Nacta sunt] Quia candidati, antequam sua comitia fierent, aliorum quoque magistratuum comitiis prensabant, ut populi voluntatem elicerent: qua perspecta, vel confirmarentur in spe, vel, si quid esse adversum intelligerent, aliqua ratione mederentur. Sic igitur et Cælius Hirrusque cum ædilitatem curulem peterent, ædilium pl. tamen comitiis prensarunt. *Manut.*

Promulgatio de dictatore] Domitio et Appio coss. cum magnis candidatorum consularium contentionibus extracta in annum sequentem comitia essent, desperata propemodum concordiæ spe, ortus est de dictatore sermo. Vide ad Q. Fr. III. 8. *Idem.*

Dejecit] Subaudiendum 'ædilitate.' Hoc enim dicit: Cælium Licilianum, (malunt *Vinicianum*) cum petere cœpisset, revocata legis ab eo de dictatore promulgatæ memoria statim ædilitate dejecit. *Idem.*

Insecuta est] Nunquam ita Cicero loqueretur. Quid enim hoc est? *promulgatio de dictatore dejectum magno clamore insecuta est.* Cum hoc significet: primum populus ei petenti vulgo negavit: deinde magni clamores

in eundem consecuti. *Idem.*

Hirrum cuncti jam, non faciendum, flagitare] Hoc velut præjudicium de Hirro fuit, qui et ipse auctor dictatoris creandi fuerat. Non faciendum, sc. ædilem curulem, in quo erat eadem culpa, quæ in Viniciano. *J. F. Gronov.*

Ad Apollinis] Ἀττικισμὸς, pro, ad ædem Apollinis. *Manut.*

De stipendio Cn. Pompeii] Quod legionibus persolveret, quas partim habebat in Hispaniis, partim Arimini. *Idem.*

Quo appeteretur] Quam ob causam fuerit eo missa, et a Cæsare petita: aut, quo fuerit ablegata. *Grævius.* Forte, *quando repeteretur*, quando vellet eam revocare, ac recipere a Cæsare. *J. F. Gronov.*

Sub mentionem] Post mentionem de ea legione factam. *Manut.*

Syngrapha] Vide supra, Epist. 2.

Curesque mihi ut vehantur] Qui? Cybyratæ? Nugæ. Lego *ut mihi venentur*, nimirum pantheras. *Græv.*

Regem Alexandrinum] Ptolemæum, quadriennio ante a Gabinio Syriæ proconsule restitutum. Vide Epist. I. 1. *Manut.*

Quid mihi suadeas] Regis, ut suspicari possumus, creditori. *Corrad.* Fortasse curam sibi a senatu ejus regni invisendi, atque aliquandiu procurandi mandari cupiebat. *Manut.*

(5.) *Cælius Ciceroni S.*

Anno U. C. 702.

Ab eo, qui publico negotio præpositus est] Imperatore, aut proconsule.

Nisi libere] Si Cæsari relinquentur Galliæ, nec in alias provincias successorem destinari, nec de iis decerni sinet. *Gronov.*

Sane tanquam in quodam incili omnia adhæserunt] Omnia stupent ac cessant, ut aqua quæ non currit obturato incili. Festus: 'Inciles fossæ, quæ in viis fiunt ad deducendam aquam, sive derivationes de rivo communi factæ.' Cato de R. R. 155. 'Per hiemem aquam de agro depelli oportet. In monte fossas inciles puras habere oportet.' Mox: 'Cum pluere incipiet, familiam cum ferreis sarculis exire oportet, incilia aperire.' Columella VIII. 9. 'Ut a superiore parte, si olla in clivo sit, incilia excitentur.' Huc pertinet proverbium a clepsydra vel incili petitum: 'Aqua hæret.' Cic. ad Q. Fr. III. 8. 'In hac causa mihi aqua hæret,' id est, cessat consilium: nescio quid agere debeam. *J. F. Gron.*

Hoc præterito anno] Si post elapsum hunc annum, Curione tribuno, rursus introducetur et agitabitur actio de successione provinciarum. *Idem.*

Et quam hoc Cæsari] Et Cæsari, qui curet suum commodum, non curet quid ex usu sit reip. quam hinc suppetat, in promptu sit, nempe ut omnia impediantur, non ignoras. *Idem.*

Suppetat] Ita Lamb. et J. F. Gron. Sed alii, *superet.* Quod interpretatur Manutius 'supersit,' 'reliquum sit:' sive, quantum in hoc Cæsar negotii sit habiturus, vel commodi, te non fallit.

(6.) *Cælius Ciceroni S. D.*

Anno U. C. 703.

Sane non ea . . . invidia] Non ita approbantibus hominibus et faventibus vapulanti, ac periculo ejus tanquam sontis et noxii gaudentibus. *J. F. Gron.*

Triumphi] Vide Epist. III. 10.

Ad illam summam veritatem] Summa veritas, quod in Officiis 'summum jus,' cum ait, 'Summum jus, summa injuria.' *Exigere legitimum jus ad summam veritatem*, est statuere, quod rigor legum et strictum jus requirit. Si cum eo agis, ut stricto et severo jure agere deberes. *J. F. Gron.*

Inter postulationem et nominis dela-

tionem] Primum postulabat accusator a prætore, ut sibi liceret nomen deferre; ubi permiserat, constituebatur dies. Postquam is dies venisset, deferebat accusator nomen, id est, petebat, ut adversarius reciperetur in reos. Medio igitur tempore uxor nuncium remisit Dolabellæ. *Idem.*

Discessit] Per divortium.

Res] Ut ei nubat filia tua. *Manut.*

Spei] De Appio damnando. Nam affinitatis famam suis consiliis opportunam utilemque fore sperabit. *Idem.*

Ad te] Ut auctoritatem gratiamque tuam ad Appii salutem conferas. Testes enim ex ea provincia, cui successor Appii Cicero præerat, vel reum opprimere, vel periculo liberare poterant. *Idem.*

Consepta] Id est, munita, ne accusatio contra ea valeat. Alii legunt, *confecta*, vel *conficta*, et subaudiunt, 'a Dolabella.'

Tribunatus conglaciat] Transit sine ullo motu, aut singulari actione, quasi frigore devinctus et immobilis sit. *Gron.*

Ego cum tabernariis et aquariis pugnarem] Erat enim ædilis, et iis, qui tabernas circa forum habebant, item qui aquas publicas in urbem deducebant, et partiebantur inter vicinias, ob nescio quod peccatum mulctam videtur dixisse, de qua certarunt ad populum. *Idem.*

Frigescimus] Forte *senescimus*, in segnitiem et torporem resoluti sumus. *Gron.*

Potuit sine Parthis] Forte *tamen, quoquo modo . . . potius sine Parthis.* Idem.

Ferventissime concerpitur] Hoc est, boni seu optimates ubique male de eo loquuntur, et ejus levitatem, quod ad Cæsaris partes transfugerit, gravissime accusant. *Græv.*

De intercalando] De die producenda, ut ea, quæ pro Cæsaris causa cogitabat, commodius posset ad exitum perducere. Sic enim Dio narrat lib. XL. *Manut.*

Non obtinuerat] A collegio pontificum. Id enim Dionis ostendit historia. Et intercalandi potestatem penes eos fuisse, qui fastis præerant, Macrob. Sat. lib. I. docet. *Idem.*

Transfugit] Desertor optimatum, quos antea defenderat. Epist. 8. *Idem.*

Viariam] De sternendis muniendisque viis. Appian. de Bell. Civ. lib. I. *Idem.*

Quæ jubet ædiles metiri] Hoc est, quæ jubet ædiles, ut harum rerum et præsertim annonæ curatores, pauperioribus dividere frumentum. *Græv.*

(7.) *Cælius Ciceroni S.*

Anno U. C. 703.

Aliqui] Pro 'aliquis:' antique.

Cornificius adolescens Orestillæ filiam] Orestilla Catilinæ uxor fuerat. Sigonii liber, *Cornificius adolescentiorem ille sibi filiam.* Ego ex hac varietate, nescio quam vere, certe non longe ab antiquis vestigiis, hoc elicio: *Cornificius adolescentiorem Syllæ filiam sibi despondit.* Altera enim Syllæ major filia, Fausta, Miloni nupserat: quod ignorat nemo. Ita de Cornificio intelligendum erit, ad quem sunt Ep. lib. XII. *Manut.*

Triarii] Hic est P. Valerius Triarius, qui Scaurum accusaverat, Cicerone defendente, ejus Triarii filius, qui legatus L. Luculli bello Mithridatico male rem gesserat. Sed hic eloquentia valuit, et in Bruto præclare laudatur. *Idem.*

D. Bruto] Qui cum M. Bruto et C. Cassio Cæsarem occidit. *Idem.*

Nondum retulerat] Subintelligi poterit 'dotem.' Sed mihi non displicet amicissimi mei conjectura, qui ita legendum putat, *mundum retulerat.* Mundus autem muliebris qui sit, exponit Liv. lib. XXXIV. *Idem.*

Minime vellem] Non dubito quin

nollem legendum sit pro *vellem*. Ursinus.

(8.) *M. Cælius M. Ciceroni S. D.*

Anno U. C. 702.

Calumniam tulisse] Ad accusandum descendisse. Infra, 'Cum calumniam jurasset.' *Manut.* *Calumniam ferre*, ut præmium ferre. Calumniæ seu litis falsæ et calumniosæ intentatæ damnatum, et id suæ temeritatis præmium tulisse. *J. F. Gron.*

Maximo plausu] Omnibus, qui in foro erant, lætis et gaudentibus infortunio ejus. *Idem.*

Si extraordinarius nemo] Cui statim, aliis judiciis sepositis, causa esset dicenda. Ut erat judicium de vi, quod unum, et diebus festis ludisque publicis, omnibus negotiis forensibus intermissis, exerceretur, ut ait Cicero pro Cælio cap. 1. *Idem.*

Dubium illi non erat] Non erat ei dubium, quin condemnaretur. Quod ut effugeret, de accusando accusatore suo consilium cepit, eoque crimine, quo causam ab eo extra ordinem dicendam videbat. Sperabat enim, eo damnato, prorsus omni se periculo omnique molestia liberatum. *Manut.*

Deferre munusculum] Neminem accusare maluit, quam suum accusatorem. Sic locutus Epist. 13. *Idem.*

Usque eo perago] Ita eum oratione exagito, ita vexo, ut Vestorii quoque mentionem faciam. Cum quo negotii quiddam Sempronio fuisse, cognoscitur ex Epist. ad Att. VI. 2. *Idem.*

Tibi pro beneficio dederit] Collatum in te beneficium existimari voluerit. *Idem.*

Si quid injuriis] Locus certe variis et inter se diversis modis legitur; quas tam incertas lectiones quivis videre poterit, et etiam alias excogitare. Nos in tantis tenebris, cum nihil lucis adferre queamus, vetere scriptura proposita, ad alia transibimus, *si quod injuriis suis esset, ut Vestorius teneret.* Victor. Lege *si quid in Thuriis suis esset.* Quemadmodum concesserit Vestorio et in eum transtulerit possessiones et res, quas habebat in Thuriis, prope veterem Sybarin, non tanquam ob debitum, (quod ab eo exigebat Vestorius, Sempronius abjurabat) sed in gratiam Ciceronis arbitri inter eos sumpti. *J. F. Gron.* Edidit Cellarius *si quid in injuriis.*

Omnibus in rebus turbarat] Id est, conturbarat; decoxerat. 'Conturbasse' et 'conturbasse rationes' dicuntur decoctores. *Idem.*

Maxima nobis traditus erat invidia] Susceptus erat a me defendendus in reatu, admodum adverso rumore hominum. *Idem.*

Quo ea pecunia] Formula, de qua dictum in Orat. pro Rab. Post. cap. 4.

Loqui] Passionem tribuit verbo, actionem potius requirenti. Sed antiquum fuit, id est, Cælianum. *Manut.*

Quo vento projicitur] Qua fama valde commotus est Appius, usque eo, ut eundem Servilium de prævaricatione accusarit. *Idem.*

Ex bonis paternis] A patre suo datam Servilio, ejus accusatori, ut prævaricaretur. *Idem.*

Non redigam] Antiqua formula, cujus vis non satis nota. Ad absolutionem, non simpliciter factam, videtur referenda. *Cellar.*

Ordinum judicia perscripsit] Hærebat Laterensis. Pronunciaverat jam ab ordinibus absolutum Servilium: ex quo referre in tabulas absolutum oportuit. Rursus, cum eum a majore judicum parte non esse absolutum videret, putavit se contra legem facere, si absolutum scriberet: itaque, ne vel contra suam pronunciationem, vel contra legem committeret, (cum ex pronunciatione absolvendus, ex lege damnandus ei vide-

retur) neque absolutum, neque damnatum in tabulas retulit, scripsit, quid singuli ordines judicassent. *Manut.*

Saucius] Qui nec damnatus sit, nec absolutus: sed cui in superiore judicio, quo prævaricationis accusabatur, multæ inustæ erant notæ et maculæ, ut facilius nunc possit damnari: qui quasi confectus est superiore judicio. Sic sæpe historicis 'exangues' dicuntur, quorum vires fractæ sunt. *Græv.*

Nam de divinatione] Causam exponit, cur, cum ab Appio et Pilio postulatum Servilium dixisset, unum postea Pilium nominarit. Quod ad divinationem, inquit, attinet, Appius contendere cum Pilio non est ausus, uter accusare Servilium deberet. 'Divinatio' dicebatur oratio, in qua de accusatore deligendo disputabatur; vel quod non de facto, sed de futuro conjectura quæreretur; vel quod injurati judices in ea causa sederent, et, quod vellent, præsentire de utroque possent; vel quod res ageretur sine testibus, et sine tabulis, et, his remotis, argumenta sola sequerentur judices, et quasi divinarent. Sic enim putavit Asconius, cum Ciceronis Divinationem in Verrem explanaret. Videndus et Gellius II. 4. *Manut.*

Cum calumniam jurasset] Cum jam accusandi partes suscepisset. 'Calumniam jurare' dicitur accusator, cum in initio judicii jurat, se non per calumniam litem intentare adversario, sed quod justas ac legitimas accusandi causas habere se putet. *Græv.*

Contendere ausus non est] Utri committendæ sint partes accusandi. *Id.*

Emissario] Ad calumniandum subornato. Tralatio ex militia. *Cellar.*

Recte hoc par habet] Præclare componuntur hi duo: cum emissarius eum ipsum reum faciat, a quo in alios emitti solitus erat. 'Par gladiatorum' dixit Cicero de Optimo Genere Oratorum; quam vocavit 'compositionem' Epist. II. 8. *Manut.*

Eum] Cæsarem. *Idem.*

S. C. factum, auctoritatesque perscriptæ] Senatus consultum, inquit, factum, respiciens ad primum, cui intercessum non est: tribus, quæ sequuntur, decretis intercessum est, ideo non vocantur senatus consulta, sed auctoritates perscriptæ. Vide ad Epist. I. 2. *J. F. Gron.*

Auctoritas] Hic aliter sumitur vocabulum *auctoritas;* significat enim nomina eorum, qui præsentes fuere, cum senatus consultum in æs incideretur, et ejus rei testes, auctoresque sunt. *Idem.*

Scribendo affuerunt] Erat hæc solemnis formula, quam præmittebant senatus consultis, qua significatur in sequentium senatorum sententiam factum esse S. C. sive iis præsentibus S. C. factum. Vide Brisson. de Formulis. *Græv.*

Pomt.] Significat Pomtinam tribum, ex qua erat Villius: sic etiam 'Quirina' tribuum nomina. Sic et 'Pup.' Pupiniam, 'Pop.' Popiliam, 'An.' Aniensem notat. *Idem.*

D. E. R. I. C.] Id est, De ea re ita censuerunt. Et supra *V. F.* id est, Verba fecit. Et infra *S. Q. C.* id est, Senatusque consultum. Et inferius, *S. C. A.* id est, Senatus consulti auctoritas. *Lamb.*

Sex abducere licet] *Sex* vitiosum est. Haud dubie enim multo major numerus fuit. *Abducere* e foro a tribunali prætoris, ut scilicet frequentiorem redderent senatum, et ejus numeri, per quem S. C. posset confici. *J. F. Gron.* Præiverat Manutius, qui mallet *eos* legi, ac deleri *sex.*

I. V.] Has explicare litteras fatetur se non posse Victorius. Alii aliter mutant. Sigonianus liber habet *IN.* quod Manutius interpretatur *Intercessum.* Lambinus edidit *S. C. A.* ut sit, quemadmodum supra, *Se-*

natus consulti Auctoritas.

Q. P.] Hæ litteræ apud Frontinum significant *Quid placeret.* Corrad. Vict. et aliis videntur significare *Quam primum.*

Stipendia emerita] Emeriti stipendia milites dicebantur qui per annos decem militassent; tuncque sacramento exsolvebantur, ut oneribus militiæ vacarent. *Manut.*

Ut eorum ratio habeatur] Ut exauctorentur honesta missione. Hoc addiderunt, ut veteranos Cæsaris, in quibus præcipuæ vires erant, ab eo alienarent, et ad se pertraherent. *J. F. Gron.*

Quodque collegium] Octo prætores Ciceronis tempore erant, qui inter se unius anni collegium faciebant: superiore anno aliud collegium prætorum, et sic deinceps. *Primum* autem est, quod proxime antecessit. *Cellar.*

Confidentiam] Ut confiderent homines, velle Pompeium potentiæ Cæsaris obsistere, contra quam antea fecerat. *Manut.*

An pararet] Hoc est, subornaret tribunum plebis qui intercederet. *Græv.*

Ut aut maneat] In Gallia, prorogato ultra decennium imperio. Quod si concederetur; nolle se consulatum petere affirmabat, nec absentis sui rationem haberi; quod tamen ei lex dederat. Sin hanc Pompeiani conditionem recusarent, eumque omnino vellent, non modo expleto decennio, lege concesso, sed etiam ante, decedere; ipse pariter hoc, ut iniquum, recusabat, ferebatque alteram conditionem, ut, si consul designatus esset, tum decederet. Utraque autem conditione Cæsar imperii perpetuitatem quærebat, qui vereretur id, quod inimicos ei minari solitos Tranquillus refert, ne simul ac privatus esset, ob res in consulatu contra leges moremque majorum actas in judicium vocatus opprimeretur. *Manut.*

Suo munere] Suo dono Africanarum pantherarum fecit, ut nunc ludis supersedere non possim. Onus imposuit, ut bellnarum numerum compleam, et ludos edam. *Cellar.*

(9.) *Cælius Ciceroni S.*

Anno U. C. 702.

Competitorem] Auguratus, Epist. 4.

Expectationem corripit] Quantum in se est, vult reddere breviorem: vetat tam diu expectari in Cæsare tolerando in Galliis. Suet. Tib. 34. 'Ludorum ac munerum impensas corripuit.' *J. F. Gron.*

Objurgatus] Orta mihi de mendo suspicio est, quod fortasse scripserit Cælius *objurgat. Scilicet hac repulsa se mutavit.* Et, *Scilicet*, unica scriptum littera *S*, occasionem dederit loci depravandi. Omnes tamen libri veteres in *objurgatus* consentiunt. Itaque potest antiquum esse, et ideo Cælianum. *Manut.* Legendum *objurgavit*, acriter reprehendit. *J. F. Gronov.* Meus ille optimus sic legit, *objurgat, ac repulsa se mutavit;* quam scripturam non potui non probare. Curionem autem ideo corripit, quod tum ad Cæsaris partes transierit. *Græv.*

Causas liberales] 'Liberalis causa' est, qua quis, qui pro servo erat, in libertatem vindicabatur judicio, quod vocant Plautus et Terent. 'liberali causa asserere manu.' Pantagathus legit *agit causas liberalius.* Perperam. *Græv.* Alii legunt *liberalis:* quod interpretatur Manutius, facilis in recipiendis causis. J. F. Gronovius suspicatur *causam libertatis*, scilicet publicæ, contra Cæsarem. Sed cum sequentibus hæc, opinor, non ita bene cohærent.

Sed raro post meridiem] Quasi dicat, ita prandere luxuriose solitum, ut deinde magnarum curarum obliviscerentur. *Gronov.*

Interpellat] Impedit, ob affinitatem: nam erat Octaviæ maritus, quæ

neptis fuit Juliæ, Cæsaris sororis. Initio etiam civilis belli, cum provinciarum sortitio fieret, privato consilio præteritus est, quasi propensior esset ad Cæsaris causam. Comm. de Bel. Civ. lib. I. *Manut.*

Ne frequentiam quidem] Hoc est, quamvis res fuerit dilata in Kalendas, non tot tamen patres præsto fuerunt Kalendis, ut posset fieri senatus consultum. *Græv.*

Ne profligatum quidem] Plus est quam 'cœptum;' minus, quam 'confectum.' Cognoscitur exemplis. Nam Epist. XII. 30. 'Profligato,' inquit, 'bello, ac pene sublato, renovatum bellum gerere conamur.' Et Tusc. v. 'Profligata jam hæc, et pene ad exitum adducta quæstio est.' In Orat. autem de Provinciis: 'Si in Capitolium invehi victor cum illa insigni laurea gestiret, vos tamen oporteret ab eodem illa omnia, a quo profligata sunt, confici nolle.' Est igitur *profligatum*, quod in eadem Orat. 'affectum' Cicero vocavit: 'Quid est,' inquit, 'cur Cæsar in provincia commorari velit; nisi ut ea, quæ per eum affecta sunt, perfecta reip. tradantur?' *Manut.*

Intercessorem] Cum sit tribunus plebis, qui intercessurus sit, et impediturus ne Cæsari Galliæ præfecto succedatur. *Græv.*

Prædia rustica donare scire] Agros pauperioribus de plebe. Alludit ad actionem Curionis de agro Campano, infra, Epist. 10. *J. F. Gronov.*

Ullam] H. Stephanus *nullam.*

Quos fructuarios] Qui civitatibus annuum vectigal pendunt. *Manut.*

Præteritum] In petitione magistratus.

Vetat] Alii vocem hanc subaudiunt. Ursinus mutat in *moleste fert.*

Galliis] Nominatim, quod iniquum erat; itaque pridie Kal. Oct. de provinciis consularibus, non de Galliis nominatim, S. C. factum est. Epist. 7. *Manut.*

Balbum Cornelium] Gaditanum, pro quo extat Ciceronis oratio. *Idem.*

(10.) *Cælius Ciceroni S.*

Anno U. C. 702.

C. Cassii] Hic quæstor, interfecto M. Crasso, reliquias legionum conservavit, et Syriam in pop. Rom. potestate retinuit, et postea proquæstor has litteras scripsit. Hic etiam postea in Cæsarem conjuravit. *Corrad.*

Provinciam nostram] Nam Commagene non erat populi Romani, sed regis Antiochi. Syriam significat; quod ex Epist. XV. 1. et ad Attic. v. 18. cognoscitur. *Manut.*

Quam probabilis necessitas] An probaturus sis hominibus, ut credere possint te compulsum necessitate recessisse, te copias habuissem tam exiguas, ut Parthis resistere non potueris? *Græv.*

Ex S. C.] Non poterat enim privatus mitti ex senatus consulto, sed rogatione ad populum. *Anon.*

Sed honeste] Quicquid sit vitii, quod eas impediat, id velant prætextu moderationis in appetenda provincia, quæ inter tam cupidos vulgo laus habebatur. *Gronov.*

Velificatus] Assentando gratificatus. Ut enim vela navium ad ventorum adspirationes aptantur, sic orationem sæpe nostram ad aliorum voluntatem accommodamus. *Manut.*

Paulus] Paulus Æmilius, consul designatus, non relinqui vult Cæsari provinciam: dure adversus illum loquitur. *Cellar.*

Occursurus est Furnius] Quia tribunus plebis esset designatus. Epist. ad Att. v. 18. *Anon.*

Fines hos] Quos ostendi. Scripsit enim proxime de Parthico bello, de consule Paulo, tribunis pl. Curione et Furnio. *Manut.*

Ad actiones] Ad actiones Curionis hoc addo, de agro Campano. Præter cætera, Curio illud aget sequenti

anno, ut ager Campanus, ante Cæsaris adventum, ex ipsius Cæsaris lege dividatur. Qua de re Epist. I. 9. *Idem.*

Decedens] Pro *discedens*. Idem.

(11.) *Cælius Ciceroni S.*

Anno U. C. 703.

Supplicationes] Pro victoria Ciceronis in monte Amano. Supplicationes enim dies festi sunt, quibus pro victoria et liberatione gratias Diis suis Romani agebant. *Cellar.*

Comitiales] Dies, quibus agere cum populo licebat. *Manut.*

Eripiebantur] Quo modo? auspiciis. *Idem.*

Ne, quod furore Pauli] Ne occasionem rependendæ vicis, obnuntiantis consulis importunitate datam amitteret. *Cellar.*

In hunc annum non usuros] Se nulli alii imperatori, præterquam Ciceroni, supplicationes decreturos. *Græv.*

Se in his supplicationibus spem non habere] Alia sibi esse adversus Curionem præsidia, quibus confidat. *J. F. Gronov.*

Diutius dicturum] Ut diem dicendo consumeret, ne S. C. fieri posset. *Manut.*

Si, ut numeraretur] Festus: 'Numera senatum, ait quivis senator consuli, cum impedimento vult esse, quo minus faciat S. C.' Raro convenerant justo numero. *Gronov.*

Catoni] Cur ita senserit, exponit ipse in Epistola, quæ extat lib. XV. cui Cicero respondens, dixit, 'se tanti facere Catonis illam laudationem, ut cum ea nullum triumphum esse conferendum existimet.' Et ad Att. VII. 1. confirmat idem. *Manut.*

Tantum] Pro 'saltem,' ut Epist. VII. 31. *Græv.* Lege *tantam:* se tibi tam benevolos ostenderunt. *Gronov.*

In suspicionem] Quasi fictus esset reditus in gratiam cum Cæsare; non bona fide cum illo in gratiam rediisset. *Idem.*

Decrerant] Scipiones et Domitii decreverant quidem supplicationes, contra tamen animi sententiam, qui nolebant hanc rem confici, et cum hac de causa sæpius compellassent Curionem, rogassentque ficte ne intercederet, hoc enim est 'ad evocandam intercessionem,' ad impediendam intercessionem, respondit Curio lepidissime, &c. *Græv.* Aliter tamen, sed, opinor, non ita bene, J. F. Gronovius, ad Senec. Epist. 47.

De provinciis, inquam, adhuc est] Ita legendum. Quicquid erat antea dissensionum, cessat et quiescit, dum ducitur serra de provinciis. *J. F. Gronov.*

Secundus consulatus] In quo Pompeius iterum consul operam dederat, auctorque fuerat, ut Trebonius tribunus pl. de Galliarum imperio Cæsari in alterum quinquennium prorogando legem ferret. Quod beneficium nunc idem Pompeius conabatur eripere, cum eum ante Idus Nov. vellet decedere. *Manut.*

Cæsar defendetur] Non ab amicis, ut Manutius, sed ab ipso Curione, intercessuro, quicquid in Cæsarem statuent. *Gronov.*

Eos] A quibus exigenda pecunia est. Nam syngrapha Sittiana facultatem dabat exigendæ pecuniæ. *Manut.*

Tanquam procurator] Eo studio, quo solent ii qui aliena negotia procurant. *Idem.*

(12.) *Cælius Ciceroni S.*

Anno U. C. 703.

Collegium tentasse] Legendum, ut bene monuerunt alii, *collegam.* Nimirum L. Pisonem, qui in censura erat collega Appii. Hunc iste tentavit, ut et ipse notaret Cælium; nam unius censoris nota, sine alterius collegæ assensu, habebatur irrita. Inepti sunt qui de collegio augurum hæc intelligunt. *Græv.*

Reprehenderem] J. F. Gronovius

emendat *prehenderem*, sive *prenderem*. Sensus totius loci est: Postquam comperi illum collegam suum, censorem, Pisonem sollicitare, ut mihi notam inureret, et cum meo inimico Domitio consilia in meam perniciem inire, volui hoc in illius gratiam facere, ut ipsum precarer et obtestarer, ne tam inique mecum ageret, sed non potui hoc a me impetrare, ut ei quem servaveram, fierem supplex. *Idem.*

Quid ergo est] Formula connectendi. Petronius cap. 2. 'Quid ergo est? Parentes objurgatione digni sunt.' Cic. Orat. pro Quint. 18. pro Rosc. Amer. 19. Epist. v. 5. *J. F. Gronov.*

Palam Servium] Nihil muto: videant tamen eruditi, an sit rectius, quod monui adolescens in scholiis nostris, *Polam Servium*, quem Cicero nominat, ut accusatorem, Epist. ad Q. Fr. II. 2. et Cælius ipse paulo post, 'Vix hoc erat Pola elocutus.' *Manut.*

Summis Circensibus] Extremis diebus Circensium ludorum meorum. *Idem.*

Lege Scantinia] De nefando marium concubitu, quæ pœnam irrogabat decem millia nummum. Quintil. IV. 7. Capitale crimen postea fecit Julia lex. Epist. 14. Juvenal. Sat. VI. Suetonius in Domitiano. *Idem.*

Cœpi sacellum] Censorum erat curare, ut sacella non in domo cujusquam essent, sed populo paterent. Itaque Livius lib. XL. ubi loquitur de Lepido et Fulvio censoribus, 'Complura,' inquit, 'sacella publicaque sacra occupata a privatis, ut paterent, essentque populo, curarant.' Cælius autem ut ostenderet, Appium censorem officio suo deesse, petere cœpit ab eo, ut sacellum in domo privata ne relinqueretur: cujus rei cura Appii, qui censor erat, esse debuerat. Sed libentius intellexerim de sacello, quod ipse Appius occupasset: ex quo gravior ei conciliata esset invidia, occupatis rebus a censore, quas censor ab aliis occupatas, populo restituere deberet. *Idem.*

Quadraginta] Supple 'diebus.'

Diem] Quæ a nescio quo ei dicta erat ad judicium subeundum. Et illud 'scis,' ut Epist. 14. 'Scis Appium hic ostenta facere?' quasi esset, 'nunquid audisti?' *J. F. Gronov.*

(13.) *Cælius Ciceroni S.*

Anno U. C. 703.

Quæ relatio fiebat ex S. C.] Quod est in Epist. 8. hujus libri. *Corrad.*

Stomacho est Magnus] Vulgo *Stomacho est scilicet Pompeius Magnus:* in quo mediæ voces duæ Manutio videntur glossema, et a Lambino delentur.

Ut ratio ejus esset habenda] Sensus est: Plerique probabant Cæsarem consulem esse designandum, aut inter candidatorum numerum recipiendum absentem, antequam exercitum et provinciam tradiderat. *Grævius.* Edidit Victor. *ut nec ratio esset, &c.*

Futurum] Sigonii codex, teste Manutio, habebat *futurus*, nempe Pompeius: hoc est, utrum præsidium et defensor, an desertor et proditor, ut interpretatur J. F. Gronovius; vel, quo loco ejus sit futura auctoritas in republica, ut vult Grævius. Deinde hæc verba, *si aut non possit*, delent Manutius et Grævius, locumque asterisco indicant mutilum esse. Quod si ea deles, quia in Mss. non reperiuntur; legendum erit fortasse *si haud curet*. Plana enim sententia erit, ac dilucida. Fuerat a librariis scriptum *aut* pro *haud;* ac deinde, interpretationis causa, additum in margine *non;* quod postremo cum altera particula negante simul contextum occupavit. Erit igitur hic sensus: Vos senes divites videritis, quidnam reip. futurum sit, si Pompeius haud curet. Ironice dictum. *Olivet.*

(14.) *Cælius Ciceroni S.*

Anno U. C. 703.

Arsacen capere] Quia Cicero cum Parthis bellum gerebat, quorum rex Arsaces, regia Seleucia. *H. Steph.*

In repulsa] Augurali, M. Antonio competitore augure facto. *Corrad.*

Perpauci] Pauci, inquit, iis sunt suffragati, quibus cognatione et amicitia fuerunt conjunctissimi, et debebant suffragari propter cognationem, si officium præstare, et facere quod se decebat, voluissent; sed potius in suffragiis ferendis partes, quibus studebant, sunt secuti. *Græv.*

Cujus ego auctor fuerim] Quid mirum? cum amicissimus Curioni esset Cælius, Curio autem vehementer Antonio faveret. Quod ei objicit Cicero Philipp. II. 'An,' inquit, 'cum es factus augur, unam tribum sine Curione ferre potuisses? cujus etiam familiares de vi condemnati sunt, quod tui nimis studiosi fuissent.' Plutarchus etiam, Curionis præcipue opera, tribunatum hoc anno gerentis, Antonium augurem creatum narrat. *Manut.*

Ipse Cn. Domitius] Lucii filius, de quo illa superiora scripta sunt. *Idem.*

Etiam in bona spe] Et tamen evasurum rem putant: præsertim cum absolutus sit Sextius æque aut gravius nocens. *J. F. Gronov.*

Annum] Est hic sensus: Me non credere per annum pacem duraturam. Intra annum bellum orietur civile. *Græv.*

Illi amores] Intelligit matrimonium Pompeii, cum potentiæ cupiditate duceret Juliam Cæsaris filiam: de qua nundinatione matrimoniorum, qua respublica opprimebatur, queritur Cato apud Plutarch. in Vita Julii. *Invidiosa conjunctio*, est triumviratus quem inierant Crassus, Pompeius et Cæsar, his legibus, ut nihil in republica geretur, ipsis improbantibus. *Græv.*

Causam illam] Cæsaris scilicet, qui nimiam potentiam quærebat, et contra patriæ antiqua instituta volebat absens consul creari, neque sine pactione, ut senatus volebat, exercitus et provinciam tradere. *Idem.*

Quique res judicant] Judices, quos Pompeius tertium consul 360. legerat. *Manut.*

Omnino satis spatii sit] Forte *Opto.* Dii velint, ne citius hoc malum nobis superveniat, quam sat temporis habuerimus ad æstimandas utrinsque vires. *Gronov.*

Ostenta facere] Mirifica, quæ nemo crediderit facile, dum scilicet gravem censorem ludit. *Græv.*

De agri modo] Hoc est, de moderanda agrorum possessione. *Manut.*

Censuram, lomentum aut nitrum esse] Censuram ita sordes posse aut obtegere, ut lomentum rugas tollit; aut eluere, ut nitro e vestibus eluuntur maculæ; id est, putat se censuræ diligentia et severitate infamiam posse tollere eorum vitiorum, quibus antea se turpiter inquinavit. *Idem.*

Viscera aperit] Tantum abest, ut veterem de suis vitiis opinionem hominum deleat, ut eam hac severitate vehementius etiam commoveat. *Idem.*

Apud Drusum] Livium Drusum, prætorem, quo nemo magis contra legem Scantiniam commisit. Fortasse is est, de quo Epist. ad Att. IV. 16. *Idem.*

Appium] Male audientem earum rerum causa, de quibus acerrime agit. *Idem.*

Remisit de stipendio Pompeii] Hoc tempore optimatibus et Pompeio acerrimus Curio erat adversarius. Intercedebat igitur, ne S. C. fieret de stipendio, Pompeii legionibus persolvendo. Epist. 4. *Idem.*

Tibi fortuna spectaculum] Committendo Cæsarem et Pompeium. Neutri enim Cicero sincere favebat; neuter Ciceroni, quem ab exilio non servaverant.

(15.) *Cælius Ciceroni S.*

Anno U. C. 704.

Expulisset] Cæsaris nomen subauditur.

Peream, si minima causa est] Peream, nisi maxima causa est. *Manut.*

Discupio] Plautinum verbum, quo etiam Catullus usus est. *Idem.*

Adeo] Ob eam causam. Nec enim aliud hic *adeo* videtur significare. *Idem.*

Intemelii] Intemelium oppidum Plinius citra Alpes constituit, et inter Ligurum gentes nominat, III. 5. *Idem.*

Usquequaque] In Italia et Gallia; nam et L. Domitius cum filio Corfinii captus fuerat. *Cellar.*

Psecade natus] Vulgo *ipse catenatus.* Octav. Pantagathus, inquit Man. legendum primus existimavit, *Psecade natus*, ut significetur Bellienus verna. 'Psecas' enim ancilla est; 'vernæ' autem ii, qui ancillis nascantur. Si Bellienus, ait Cælius, ancilla natus, Domitium strangulare non dubitavit, quid Cæsari, Venere prognato, in vestro Domitio faciendum fuit? Hanc Lamb. et Græv. lectionem receperunt.

F. S. D.] Id est, Filio salutem dic.

(16.) *M. Cælius M. Ciceroni S.*

Anno U. C. 704.

Iratus senatui] Quia non obtinuisset, ut legati ad Pompeium de pace mitterentur: et quod, quascunque res agere instituerat, L. Metellus tribunus pl. intercedens, omnes impedierat: de quo scripsit Cæsar de Bel. Civ. lib. I. et Plutarchus in ejus Vita. *Manut.*

Exiit] Urbe, iturus in Hispaniam contra Pompeii legatos, ipso jam Italia pulso. *Idem.*

Quod offensæ fuerit] Si vereris, ne, in Italia si remanseris, Pompeium offendas: cogita, te, cum nondum ad eum transieris, hac eum cunctatione jam offendisse. Quidquid esse potuit apud eum offensæ, id subiisti, qui cunctatus es, nec ad eum statim accessisti. Quod hic Cælius, idem Atticus existimavit, ut ad eum Epist. IX. 2. scriptum est. *Idem.*

Ad te litteras mitteret] Misit: quæ sunt Epist. ad Att. lib. X. *Idem.*

Censeo] Idem Dolabella, IX. 9.

(17.) *Cælius Ciceroni S.*

Anno U. C. 704.

Quod utinam] Intelligendum 'fuisset.' Τὸ *quod* παρέλκει. Significat se odio Appii abstinuisse Pompeianorum societate, amore Curionis Cæsari adhæsisse. *J. F. Gronov.*

Perditam] Doctorum conjectura est; nihil enim sani in Mss.

Quam hos] Servilium, Trebonium, et reliquos Cæsarianos. *Corrad.*

Timor vestræ crudelitatis] Pompeius enim in senatu dixerat, eodem se habiturum loco, qui Romæ remansissent, et qui in castris Cæsaris fuissent. *Idem.*

Nec homo, nec ordo] Latius patet *homo*, quam *ordo.* Itaque satis erat, *homo;* aut dicendum fuit, *nec ordo, nec homo.* Sed excusat Cælium iracundia, qua perturbatus hæc scripsit. *Manut.*

Irritavi in me Catonem] Quod nonnulli *inritavi in me Crabrones,* vel *in me Cæsarem* legunt, sunt longe a veteribus vestigiis; et vereor ne quanto magis corrigere volunt, tanto magis contaminent. Jaceant igitur hi loci, donec ex melioribus codicibus vera lectio elucescat. *Victor.*

Doloris] Hujus doloris causam Dio narrat lib. XLII. quod Cæsar Trebonio prætori urbanam jurisdictionem mandasset, quam Cælius expetebat. *Manut.*

Istic] In Græcia. Nam post bellum Hispaniense, quo confecto, statim Cæsar in Græciam contra Pompeium navigavit, hanc Epistolam scriptam esse constat. *Idem.*

Quod firmissimum est] Ex parte Cæsaris. *Idem.* Lege *quo firmissimus est*, nempe Cæsar, quo invictus est. *J. F. Gron.*

Facile algere] Ergo paratiores ad sustinendum etiam diuturnum bellum. Nec esse, quod, ad fatigandum Cæsaris exercitum, Pompeiani bellum trahant. *Cellar.*

LIBER IX.

(1.) *M. T. Cicero M. Terentio Varroni S. D.*

Anno U. C. 707.

Impendeant] Post Africanum bellum, quod Cæsar tunc gerebat. *Manut.*

Ad te] Id est, apud te, et in tua villa: habuit enim et M. Varro villam in Cumano, quod ex Proœmio Academicorum ad ipsum missorum colligitur. *Victor.*

(2.) *Cicero Varroni.*

Anno U. C. 707.

At tibi] *Tibi* ornatus gratia et hic, et alibi addidit Cicero. Ep. 6. ad M. Brutum, ad Att. x. 14. et Cælius VIII. 2. *Manut.*

Ἕωλος] *Obsoleta, non recens.*

Sed calumniabar ipse] Videtur desiderari *me*, ut sit, calumniabar ipse me. Sed nihil variant edit. *Lamb.* Ipse falsa hac suspicione me morabar, impedimentum mihi objiciebam. Sic 'calumnia' superius I. 1. et VI. 7. *Græv.*

Ἀληθότως] *Sensim.*

Gratulatio] Ob res a Cæsare in Africa contra Scipionem, Pompeii Magni socerum, et Jubam, Mauritaniæ regem, prospere gestas. *Græv.*

Nisi ipse rumor jam raucus erit factus] Nisi rumor de victoria Cæsariana jam cœperit imminui, evanescere, sive, ut Tacitus loquitur, senescere. *Idem.*

Ut architectos] Tanquam principes cives, quales olim fuimus. *Manut.*

Πολιτείας] *Libros de regenda rep.* Idem.

Navare remp.] Efficere aliquid reip. utile, juvare. VI. 1. 'navare aliquid et efficere.' *J. F. Gronov.* Sed alii aliter. Nam *gubernare* opinatur legi posse Victorius; *juvare*, Manutius; alii verbo addito, *navare operam reip.*

(3.) *Cicero Varroni.*

Anno U. C. 707.

Nobiscum, aut inter nos] Bona correctio. Nam poterat aliquis objicere, cessare eos etiam cum aliis: siquidem in urbe non viverent. Cessamus, inquit, inter nos, non inter alios; quia remoti a multitudine vivimus. *Manut.*

Barbarorum] Indoctorum. *Idem.*

Γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας] Vide VI. 3.

(4.) *Cicero Varroni S.*

Anno U. C. 707.

Περὶ δυνατῶν] *De rebus, quæ fieri possunt: de possibilibus.* Hoc enim verbo, quod vitasse Cicero videtur, Plautus in Sticho usus est: et Quintilianus, quod Græce δυνατὸν, Latine dici *possibile*, quanquam appellatione duriore, auctor est III. 8. *Manut.*

Κατὰ Διόδωρον κρίνειν] *Ex Diodori sententia judicare.* Quid sentiret Diodorus, ostendit Cic. in lib. de Fato, cap. 7. 'Maxime tibi, Chrysippe, cum Diodoro,' &c. *Idem.*

Τῶν ἀδυνάτων] *Ex iis rebus, quæ fieri non possunt.* Idem.

Κρίσις . . . Χρυσιππεία] *Judicium ex Chrysippi sententia.*

Κατὰ Χρύσιππον δυνατὸν] *Secundum Chrysippum fieri potest.*

De Coctio] Quid si *Cocceio*, de quo ad Att. XII. 13. *Corrad.*

Hortum] Illatum, non ibi natum. *Manut.* Vix hortum hic intelligere Manutius videtur potuisse alium, quam ex eorum genere, quos vocabant hortos Adonidis; hoc est, flores aut plantas in testulis, uti notat Hesychius. An tales delicias amaret in bibliotheca Cicero, non dicam: scio ambulationibus delectatum; et de testaceis ejusmodi hortulis valde contemptim locutos esse veteres. 'In bibliotheca' Badius interpretatur in loco bibliothecæ vicino. Nihil expedit. An ignorabat Cicero, in Varronis villa hortum esse? Cur ergo diceret, *si habes?* Eum ego arbitror aliud velle: hoc nempe: Non egressurum se Varronis e bibliotheca, nisi ut in horto corpus ambulando exerceat; itaque non egressurum omnino, si in bibliotheca sit hortus. Scripsit facete, suo more, Cicero, neque intelligi voluit grammatice. *Olivet.*

(5.) *Cicero Varroni.*

Anno U. C. 707.

Consilii nostri] Hujus nostri consilii, inquit Cicero, ne tum quidem nobis pœnitendum putarem, si eos, qui id secuti non sunt, non pœniteret. Cum vero eos pœniteat, quod in bello remanserint, multo minus nobis, qui saniores fuimus, pœnitendum puto. *Ne si*, verbo præponuntur, et in eo tamen verbo inest vis negandi. Nam illud, *nobis pœnitendum putarem*, valet, non putarem, quia respicit superiores particulas, *ne si*, quæ si postponantur, addenda erat eidem verbo altera negatio, ut ita dicatur, *nobis pœnitendum non putarem, ne si eos quidem, &c.* Manut.

Lavatio] Instrumentum balneare. Phædrus 'lavationem argenteam,' Fabula LXIII. (sive IV. 4. cui titulus, 'Æsopus interpres Testamenti.') *J. F. Gronov.*

(6.) *Cicero Varroni.*

Anno U. C. 707.

Alsiense] Quod in superi maris litore Plinius et Ptolemæus constituunt. *Manut.*

Multos] Cum ibi essent multorum villæ ob regionis amœnitatem. *Idem.*

Exire] De navi descendere.

Non enim est idem] Arguta sententia. Fero, inquit, quæ ferenda sunt; quis enim cum temporum necessitate pugnet? non ideo tamen probo, quæ probanda non sunt. *Manut.* Frustra mihi quidem videtur hanc sollicitare lectionem H. Stephanus, Schediasm. Var. II. 27. *Olivet.*

Bestiarum] Elephantorum Jubæ.

At] Objectio: Vivimus ubi viris vivere indignum est, republica in tyrannidem prolapsa. *J. F. Gronov.*

Quis negat? sed hoc viderint] Fateor: sed hæc objectio tantum valet adversus eos, qui se non instruxere ad utramque fortunam tolerandam. *Idem.*

Actis] Amœna littora, in quæ se recipiebant cum genio vellent indulgere, partim ob amœnum in mare prospectum, partim propter piscium delicias. Servius ad Æn. V. 'In sola secretæ Troades acta.' *Græv.*

Hos Tusculanenses dies tuos] Sic agere, quemadmodum tu hos proximos dies in Tusculano tuo egisti inter libros, quos vel legis vel facis, eam demum ego veram vitam puto. *J. F. Gronov.*

(7.) *Cicero Varroni.*

Anno U. C. 707.

Indicabo malitiam meam] Fatebor tibi, quod astute cogitaram. *J. F. Gronov.*

Si quid bonæ salutis] Si de Pom-

peianorum victoria nuncius afferretur. Timebat enim eos Cicero, si vicissent. *Manut.*

Σύν τε δύ' ἐρχομένω] *Utroque simul eunte.* Iliad. K. 224.

Equis viris] Omni conatu, manibus pedibusque, subaudi, Cæsari obviam eamus. Translatio a militari certamine, quo contenditur equis virisque. Inde manavit proverbium. Cum vero celeritas indicatur, 'Equis, velis,' dicitur, fugientium similitudine terra marique. *Manut.*

L. Cæsare filio] Quem Dio, lib. XLIII. jussu Cæsaris occulte interemptum ostendit, quia perpetuo contra ipsum pugnasset. Hujus Cæsaris pater fuit L. Cæsar, avunculus M. Antonii. *Idem.*

Quid hic mihi faciet patri] Si L. Cæsarem, propinquum suum, necavit, quid mihi faciet? Sumpsit ex Terentii Andr. I. 1. 85. *Idem.*

Missa] Subaudi 'sint;' vel 'faciamus.' *Idem.*

Africa] Ennii versus. *Idem.*

Ἀποπροηγμένον] De Finib. III. 15.

Quando, qua, quo] Quando sit Cæsar venturus, qua via, ad quem locum. Hinc opinor hanc epistolam, in qua nihil certi de Cæsaris adventu Cicero significat, ante superiorem proximam scriptam esse, in qua Cesaris adventum expectari dicit, et exiturum vel Ostiæ, vel in Alsiense. *Manut.*

Prædium suum] Per jocum Sardiniam vocat Cæsaris prædium, quasi provinciæ populi Romani Cæsaris essent prædia. *Idem.*

Eum puto magistrum fore] Is docebit, qua ratione amissam Cæsaris gratiam recuperem, cum ego eum in arte oratoria docere sim solitus. Sic Manutius. Sed suspicor Ciceronem respicere etiam ad magistros auctionum, et significare, Dolabellam præstiturum Cæsari operam, qualem præstitit P. Sylla et propinquo suo et Cæsari, quem ait vibrasse 'illam cruentam hastam,' Off. II. 8. hoc est, præfuturum auctionibus confiscatorum et subhastatorum bonorum, quæ inimicorum Cæsaris fuissent. *J. F. Gronov.*

Πολλοὶ μαθηταὶ κρείττονες διδασκάλων] *Multi discipuli meliores magistris.* Responsio ad tacitam objectionem. At Cæsar ipse magister est atque auctor, ut omnis hujus mali, sic et proscriptionum; Dolabella Cæsaris discipulus. At, respondet, multi discipuli potiores magistris. *Idem.*

(8.) *Cicero Varroni.*

Anno U. C. 708.

Ostenderit] Significaverit se daturum. *Manut.*

Promissi tui] Fortasse libros de Ling. Lat. significat, quos postea Varro ad Ciceronem misit. *Idem.*

Quatuor admonitores] Quatuor libros Academicos: quorum primus duntaxat extat: reliqui tres desiderantur. *Idem.*

Os] Impudentiam Academiæ novæ. Habent *ejus* principes nostri quatuor editores; *illius* Grævius. Recte utrumque aberit.

Antiochinas] Ut ea Varro disputans exponeret, quæ Antiochus Ascalonita, Academicus philosophus, contra Philonem dixerat, et scripserat. *Manut.*

Philonis] Qui novam Academiam, ex Arcesilæ sententia, quasi meliorem vetere tuebatur. *Idem.*

De nobis] Non de aliis personis, ut jam de Antiocho, Philone. *Cellar.*

Superiorum temporum fortuna] Quod adhuc cessavimus, condonetur reip. quæ nos alio rapuit. *J. F. Gronov.*

Hæc ipsi] Hæc vero tempora præstare ipsi debemus: nobis horum temporum reddenda ratio est. Otium enim habemus. *Manut.* Lego *hanc ipsi, &c.* scilicet horum temporum causam. Nunc sublatus est iste reip. obtentus; et si peccemus, non possu-

mus delegare culpam, sed ipsi ea tenemur. *Gronov.*

Migrationem] In domum nuper emptam. *Manut.*

De hac epistola, vide Att. XIII. 25.

(9.) *Dolabella Ciceroni S. D.*
Anno U. C. 705.

Veterano] Legimus in Suetonio, dixisse Cæsarem, cum iret adversus Pompeii legatos in Hispaniam, ire se ad exercitum sine duce, et inde reversurum ad ducem sine exercitu. Quod res ipsa comprobavit. Collectitio enim exercitu Pompeius in Pharsalia dimicavit. *Manut.*

Circumvallato] Ad Dyrrachium. *Idem.*

Nescio, an] Pro 'fortasse' usurpat sæpe Cicero 'nescio,' vel 'haud scio,' majore quadam elegantia, ut infra, Epist. 14. 'Contigit enim tibi, quod haud scio an nemini.' Et Epist. 15. 'Est id quidem magnum, atque haud scio an maximum.' Et de Orat. lib. II. 'Videtisne, quantum munus sit oratoris historia? haud scio an flumine orationis et varietate maximum.' Ibidem: 'Magnum quoddam opus est, atque haud scio, an de humanis operibus longe maximum.' *Idem.*

A te] Vict. Grut. omittunt *a.*

(10.) *M. Cicero P. Dolabellæ S. D.*
Anno U. C. 708.

Niciam] Hic est Curtius Nicias grammaticus, de quo Suetonius in libro de Grammaticis. Familiaris Dolabellæ fuit. Epist. ad Att. XIII. 52. *Manut.*

Alter] Vidius a Nicia petit nummos quos eum sibi debere dicit, quos in Kalendario suo, vel tabulis expensi ei credidisse scriptum profert. 'Expensum ferre alicui' est imputare alicui, erogatum alicui testari, scribere, dicere. 'Duobus versiculis' est duobus titulis vel nominibus. *J. F. Gronov.*

Alter Aristarchus] Ut Aristarchus olim, quos Homeri non esse versus arbitrabatur, obelisco notabat, ut inducerentur tanquam nothi; sic Nicias versiculos illos, expensam sibi pecuniam indicantes, non agnoscebat, fictosque a Vidio dicebat. *Manut.*

Ὀβελίζει] *Veru notat.* Idem.

Τοῦ ποιητοῦ] *Poëtæ*, Homeri. Jocum Cicero quæsivit in similitudine. Nam quia 'versiculis,' dixerat, et mox 'Aristarchus,' ideo poëtam nominavit; cum Vidium ipsum significet, qui versiculos illos scripserat. *Idem.*

Παρεμβεβλημένοι] *Interjecti;* sic a Vidio ficti, ut in Homeri poëmate interjecti a nescio quo versus aliquot erant, de quibus Aristarchus judicavit. *Idem.*

Oblitusne es] Quasi propter convictum damnare non possit. *Cellar.*

Culinarum] Alii *cochlearum* volunt; alii aliud. J. F. Gronovius *squillarum.*

Septimiæ] Subaudi, filia.

Συμβιώτην] Convictorem nostrum non sinam jacturam facere; significat, si pronunciaturus sit, 'debere videri:' se pro eo pecuniam numeraturum. *J. F. Gronov.*

Nec committam] Nec dabo tibi occasionem, si damnatus fuerit, per Cæsarem eum restituendi in integrum. Tacite reprehendit multa judicia a Cæsare rescissa, et restitutos exules. *Idem.*

Ne habeat Bursa] Ne ille tuo hoc beneficio devinctus Planco vestro Bursæ se dedere compellatur, et illum barbarum litterarum elementis imbuere. Nam et hic fuerat inimicus Ciceronis, et cum melioribus temporibus damnatus esset, a Cæsare civitatem receperat. *Manut.*

Antequam] Verebatur enim, ne falsum esset, quod esse verum cupiebat; quia P. Sylla, quod et antea dictatore propinquo suo L. Sylla, et postea Cæsare, proscriptorum civium bona emere consueverat, populo inprimis odio erat. *Idem.*

Ne hasta Cæsaris refrixerat] Eundem etiam jocum movet iisdem pene verbis in eadem persona, Ep. xv. 17.

(11.) *Cicero Dolabellæ.*
Anno U. C. 708.

(12.) *Cicero Dolabellæ.*
Anno U. C. 708.

Aliorum] Cæsarianorum.

(13.) *Cicero Dolabellæ S.*
Anno U. C. 708.

M. Varrone] Legato Pompeii in Hispania cum Afranio et Petreio. *Manut.*

Heredis] Non dubito, quin sit hoc Planii cognomen. Itaque scripsi prima littera majuscula. *Manut.*

Qui est item Calenus] Hæc plane insulsa sunt, et nullius sensus. Rescripsi ex Hittorpiano *qui est item ut Calenus*. Non male etiam sext. Pal. *qui est item uti Calenus Leptæ nostri familiarissimus*. Græv. Omnino aliud, opinor, agebat vir doctissimus; nam *Calenus* non est hic nomen hominis, sed loci. *Qui est item Calenus*, hoc est, qui est æque Calenus, sive ex municipio Caleno, ac Suberinus ille, de quo supra. *Olivet.*

Quem omnibus antepono] Non omnibus plane hominibus, (non enim Leptæ tantum tribueret) sed omnibus Calenis. Nam et Lepta ex eodem erat municipio. *Manut.*

Equestris] Quadraginta millia sestertium.

(14.) *Cicero Dolabellæ Consuli S.*
Anno U. C. 709.

In hæc loca] Baias. Epist. 10. *Manut.*

Summis laudibus] Ob eversam columnam et aram. Epist. xi. 2. et xii. 1. et ad Att. xiv. 15. 16. 19. *Idem.*

Consulem] Interfecto Cæsare, Dolabella cum fascibus tanquam consul in forum venit. Nam eum sibi Cæsar, iturus ad bellum Parthicum, suffecerat. *Idem.*

L. Cæsar] Juliæ, M. Antonii matris, frater; avunculus igitur Antonii. Hunc Antonius, oppressa rursus post obitum Cæsaris rep. necandum Octavio tradidit; Octavius ei Ciceronem. Sed cum ad eum interficiendum milites ab Octavio missi venissent, confugit ad Juliam sororem: quæ fratrem, objecto percussoribus corpore, clamans Antonii matrem una cum fratre necandam, incolumem servavit. *Idem.*

Sororis filium] M. Antonium, Dolabellæ collegam in consulatu. *Idem.*

Amare videar, antea dilexisse] 'Diligere' levius est, quam 'amare.' In Epistola ad M. Brutum: 'Clodius valde me diligit, vel, ut ἐμφατικώτερον, valde me amat.' Epist. xiii. 47. 'Quid ego tibi commendem eum, quem tu ipse diligis? sed tamen, ut scires eum non a me diligi solum, verum etiam amari, ob eam rem tibi hæc scribo.' Terentius quoque ut diversa posuit in Eun. i. 2. 16. *Manut.*

Accessus a te ad causam facti] Accessisti ad rem narrandam ita pedetentim et gradatim, indeque ita recessisti, non ut impetu quodam et temeritate raptus ad animadvertendum videreris, sed ut ipsa res, a te prudenter explicata, hortaretur te ad celerem animadversionem, omnium concessu. *Idem.*

Maturitatem animadvertendi] In eos, qui columnam erexerant. *Idem.*

(15.) *Cicero Pæto S.*
Anno U. C. 707.

Tibi esse curam] Ita esse in suis libris testantur Manutius et Corradus: non video igitur, quare Gruterus et Grævius hic lacunam cum Victorio agnoscere maluerint. *Olivet.*

Oblitas] Inquinatas ac maculatas Latinorum municipum sermone atque formulis; ab 'oblinor.' *Cellar.* Videtur J. F. Gronovius deducere il-

lud ab 'oblivisci.' Desiisse, inquit, Latium nostrum. Supra Epist. VII. 31. 'Exarnisse jam veterem urbanitatem.' Non ita bene. *Olivet.*

Peregrinitas] Cum Latinis data civitas est; quorum consuetudo Romanum sermonem infuscavit. 'Peregrini' autem ab initio Latini Romæ vocabantur. *Manut.*

Braccatis et transalpinis nationibus] Gallia Braccata, quæ cis Alpes fuit, dicebatur provincia Narbonensis, a genere vestimenti: Comata vero, quæ Romanis antequam a C. Cæsare superaretur, non parnit, dicta a comis alendis. Hic Cicero jocatur, non sine stomacho, in Cæsarem, qui Gallis quibusdam, non modo cisalpinis, verum etiam transalpinis civitatem dederat: ex quibus nonnullos etiam in senatum recepit. *Idem.*

Granios] De Granio præcone, de Orat. II. 60. et in Bruto, cap. 43.

Catulum] Q. Catulum, ejus filium, qui cum C. Mario consul fuit. *Mihi narras*] Ais ab reip. custodia nunqnam discessisse. *Manut.*

An minus multa S. C.] Abesse mihi licet nullo reip. damno. Non enim, si ego Romæ non sim, ideo minus multa senatus consulta fient. *Idem.*

Apud amatorem tuum] Quæ scribi solebant in curia. Amatorem Pæti Cæsarem vocat; apud quem auctoritate et gratia plurimum valebat Pætus. *Idem.*

Cum in mentem venit, pouor ad scribendum] Ubi lubuit, ubi fert animus, præscribitur S. C. meum nomen, quasi scribendo adfuerim, etiamsi haudquaquam præsto fuerim. *J. F. Gron.*

Præfectus] Cæsar, quem senatus moribus in triennium præfecerat. Dio, lib. XLIII. *Manut.*

Domum si habebo] Neapoli.

In denos dies] Quem sumptum in singulos dies præscribit sumptuaria lex, eum in decem distribuam. Tulit eam legem Cæsar post bellum Africanum. Vide Fam. VII. 26. Att. XIII. 7. *Manut.*

Non abjeci] Adhuc spero. Epist. XIII. 1. 'Te abjecisse illam ædificationem, constabat inter omnes.' *Idem.*

(16.) *Cicero Papirio Pæto S.*

Anno U. C. 707.

Suo nuntio] Videtur nuntiasse, ut epistola colligitur, Cæsarem salibus Ciceronis esse offensum. *Manut.*

Nostra fortuna] Humilis et abjecta. *Illorum*] Florentissima; cum sit penes Cæsarem potestas omnis. *Idem.*

Ἀποφθεγμάτων] *Salse dictorum* a multis. Hunc librum 'Dicta Collectanea' Suetonius vocat. *Idem.*

Œnomao tuo] Attii tragœdia. Versus a Papirio recitati, vitandam invidiam, admonebant. *Idem.*

Posuisti loco] Opportune eorum exemplum attulisti. *Loco*, aut *in loco*, est, non alieno tempore. *Idem.*

Fac esse omnia] Esto, ut invideatur mihi, licet invideudi causa nulla sit. *Idem.*

Atellanum] Papirius in Epistola sua, post eos versus, quos ex Attii Œnomao recitaverat, Ciceronem irriserat, non modeste, ut solebant olim Atellanarum actores, sed liberius, ut actores mimorum. Multis modis enim fabula mimus ab Atellana differebat: quod parum modeste dicax; quippe quæ dicta sit, ut ait Donatus in Terentii Vita, ab imitatione diuturna vilium rerum, et levium personarum; itaque Macrobius Saturn. lib. III. mimis lasciviam tribuit; quod Romana lingua, non Osca, ut Atellana; quod ab uno tantum agebatur; quod exodiis carebat; neque enim in quinque actus, ut Atellana, et reliquæ fabulæ, quibus actibus inserebantur ad animos recreandos exodia, dividebatur, sed perpetuam actionem habebat; postremo, ut arbitror, quod neque adhibito tibicine, neque cantu, neque cum corporis motu, ut reliquæ fabulæ, agebatur. Recte igitur

mimum, non Atellanum, id est, Atellanæ fabulæ histrionem, Pætus induxisse dicitur; quia dictis acutioribus, quam quæ inseri olim Atellanis solita fuerant, in Ciceronem jocaretur. *Manut.*

Popilium] Volunt piscem esse, qui Plinio dicitur 'pompilus,' IX. 29. Nisi mavis hic 'polypum,' ut infra.

Denarium] Eandem hanc vocem invenies in tertia ab hac Epistola, quo loco edulium quoddam significare videtur, quod magni apud me momenti fuit, ne quid hic temere mutaremus, 'neque ollam,' inquit, 'denariorum implere.' Nam quamvis thesaurus in ollis a senibus maxime condi solcat, unde argumentum et titulum suæ comœdiæ Plautus accepit; arbitror tamen argutiorem quempiam esse sensum horum verborum, voluisseque Ciceronem hoc loco ludere, et materiam joci ex ambiguitate illius dictionis traxisse: quod tamen non affirmo; nec enim ullo testimonio aliorum auctorum confirmare possum. Id autem quod suspicati sumus non inepte, ut puto, consideratis diligenter ambobus his locis notum facere volumus. Quod si recipitur, probaturque edulium illic significare, non video cur hic quoque idem significare non possit, neque cur hinc vocem hanc delere tentent, cum illic eam manere sinant: eandem enim ejus utroque loco rationem esse puto. Eruditiores hoc diligentius considerare poterunt, quorum ego judicio semper libenter acquiescam. Satis hic nobis fuit consilii nostri rationem ostendere, quod non ut cuncti fere alii fecerunt, dictionem hanc delere voluimus. *Victor.* Quasi intelligi non possit denarius, quo se polypum emptum scripsisset Pætus, quem Cicero, ut pretium minimum, se fingat spernere. *Corrad.*

Tyrotarichi] Edulii genus ex caseo et salsamentis confectum; nam τυρὸς, *caseus*, τάριχος, *salsamentum*.

Dicendi discipulos habeo, cœnandi magistros] Ego eos erudio in rhetoricis, præcepta eloquentiæ eis trado, sed apud eos cœno. 'Magistri' enim, 'reges,' 'domini' dicebantur splendidi convivatores, qui amicos frequenter excipiebant conviviis. Ut pridem notavit Lipsius Antiq. Lect. III. *Græv.*

Quod mihi bonam copiam ejures] Pro, quod jures mihi te non habere unde sumptum facias. *Manut.*

Quæsticulis] Lucellis. Dandi casu potius, quam auferendi, opinor dictum: ut sit, Attentiorem, vel ad minimos quæstus. *Idem.*

Bona perdas] Per legem Cæsaris, qui decrevit, ut creditoribus satisfacerent per æstimationem possessionum, quanti quisque ante civile bellum comparassent: deducto summæ æris alieni, si quid usuræ nomine numeratum aut perscriptum fuisset: qua conditione quarta pars fere crediti deperibat. Sueton. Jul. 42. *J. F. Gronov.*

Levior est plaga ab amico, quam a debitore] Hoc est, et tamen, quod ab amico bona tua comedantur, non id tibi æque grave esse debet, atque illud est, quod debitorum causa deperdis. *Manut.*

Phameæ] Qui fuit avus Tigellii tibicinis. Epist. VII. 24. *Idem.*

Temperius] Maturius. Refero enim ad tempus, non ad frugalitatem. *Id.*

Revocare] Amstelodamensis codex sic totum hunc locum legit et distinguit, *Quod si perseveras, me ad matris tuæ cœnam revoca. Referam id quoque.* Mihi sane Cicero sic videtur scripsisse, *Quod si perseveras, me ad matris tuæ cœnam revoca. Feram id quoque.* Quod si perseveras, inquit, bonam copiam ejurare, nec te ferendis esse sumptibus tam lautæ et magnificæ cœnæ asseveras, invita me iterum, ut solebas antea, ad parcam et frugalem cœnulam tuæ matris, quæ diligens et

attenta mater familias est: id etiam feram æquo animo. *Græv.*

Polypum] Piscem, ita vocatum, a multitudine pedum, non magni pretii. Plin. IX. 29. *Manut.*

Miniani Jovis similem] Rubro jure tinctum. Jovis simulacri faciem in Capitolio illini minio solitam, ait Plin. XXXIII. 7. et XXXV. 12. inde Miniani cognomen. *Idem.*

In promulside] In antecœna. 'Promulsis' est gustatio, vel gustus, quod et 'antecœnium' dicebatur et 'antecœna,' sic dicta quia veteres initio cœnæ fere mulsum apponebant, et ea cœna dabatur ante mulsum. Vide Lips. Antiq. Lect. III. *Græv.*

Lucanicis] Notum genus suilli farciminis, a Lucanis populis inventum. *Manut.*

Isto] Neapolim, ubi tu es. *Idem.*

De Villa Seliciana] Domum Syllanam in urbe Neapoli, Epist. 15. Villam Selicianam in agro Neapolitano Cicero emere cogitabat. *Idem.*

Salis] Papirius dixerat, villam hanc in litore positam, salinas habere. *Salis,* inquit Cic. *satis est;* sed ridendi causas adversa reip. tempora eripiunt. *Idem.*

(17.) *Cicero L. Papirio Pæto S.*
Anno U. C. 707.

(18.) *Cicero L. Papirio Pæto S. D.*
Anno U. C. 707.

Discipulos] Hirtium et Dolabellam.

Conciliarent] Mollissimum mihi aditum ad Cæsarem pararent, qui eos habet familiares. *J. F. Gronov.*

Ateriano jure] Ludit in voce *jus,* quod et liquidum cibi et leges significat. Videtur Alterium jurisconsultum penes se habuisse Pætus. *J. F. Gronov.*

Προλεγομένας] Disce, inquit, e cœnis Hirtianis, quales tuæ futuræ sint. Προλεγομένας vocat, quia, sicut ἐκ τῶν προλεγομένων, quæ præponuntur libris, docemur ea, quæ ad ipsos libros attinent; sic Hirtii cœnæ Papirium, quas cœnas dare deberet, admonere et erudire possent. *Manut.*

Sus Minervam] Usurpatur hoc adagium in eos, qui, cujus rei scientia carent, in ea peritissimos conantur erudire. *Idem.*

Æstimationes] Possessiones per æstimationem a debitoribus acceptas. *Idem.*

Ollam] Qualis est Euclionis in Aulularia Plauti. *J. F. Gron.* Fortasse scripserat Pætus, tunc velle se, cum ollam denariorum, æstimationibus venditis, implevisset, Romam redire. *Manut.* Aliter Victorius.

Sella tibi erit in ludo] Quem me apernisse dixeram. *J. F. Gronov.*

Hypodidascalo] Ei, qui subdoceat. *Manut.*

(19.) *Cicero L. Papirio Pæto S. D.*
Anno U. C. 707.

Balbos] Jocatur in ambiguo Balbi nomine. 'Balbi' enim dicuntur, qui linguæ vitio parum expedite loquuntur. *Manut.*

In ista loca] Neapolim.

(20.) *Cicero Pæto.*
Anno U. C. 707.

Velitem] Velites, genus militum, quod ante justam aciem telis, hastis pugnat, leviter armatum.

Contubernalem] Diutius enim, quam solent hospites, apud te mansissem. *Manut.*

Promulside] Vide supra, Epist. 16.

Integram famem ad ovum affero] Quasi nihil gustassem in promulside juxta jejunus et esuriens aggredior caput cœnæ. *Gronov.*

Ad assum vitulinum] Nec minus strenue ad carnes assas accedo. *Idem.*

Commentationem causarum] Meditationem litium forensium, quæ omnia scilicet antehac me parci cibi faciebant. *Idem.*

Insolentiam] Est hic *insolentia* ni-

mius sumptus, qui fiebat in cœnas. *Manut.*

'Οψιμαθεῖς] *Sero discentes.*

Artolagani] Panes melliti, placentarum instar. *J. F. Gronov.*

Artis] Hic alii aliter legunt. Videat, si quis vult, Turneb. Advers. VI. 1.

Comedim] Pro *comedam:* ex Nonio.

(21.) *Cicero Pæto S.*

Anno incerto.

Trabea] Non opus est, ut verba Trabeæ poëtæ in te convenire dicas; in me enim potius conveniunt. Trabeæ versum posuerat Pætus, quo significabatur, non succedere illi, quod aggressus erat; id est, non posse eum consequi fulmina verborum Ciceronis. *Manut.*

'Απότευγμα] *Aberratio;* quia non assequor id, quod cupio. Cum Papirius ostendere velit Ciceroni, se frustra ipsius orationes imitari, Trabeæ poëtæ verbis id ostenderat. Quod rejicit Cicero, ac potius sibi illud ipsum a Trabea opus esse affirmat. Nam cum Papirius non solum consequatur, sed etiam vincat; *suum esse frustra conari affirmat: ἀπότευγμα igitur meum*, subaudi 'est.' Tu enim omnia, quæ vis, consequeris. Quod ego non possum: itaque ἀπότευγμα meum est, non tuum. *Manut.*

Minorum gentium] Quos post Romulum in senatum Tarquinius Priscus adlegerat, ii *minorum gentium* sunt appellati, quasi secundæ dignitatis patres. Liv. lib. XXXV. *Cellar.*

Tredecim... sella curuli] Scilicet, usi, qui magistratus curules gesserunt. *Gronov.*

Sutorio atramento absolutus] Id est, corruptis judicum tabellis. *Corrad.* Sutorium atramentum Græci χάλκανθον vocant. Galenus XIII. 20. nominat inter ea pharmaca, quæ non leviter nocendi vim habent; quam ille δύναμιν φθαρτικὴν appellat: subjungitque non tuto medicamentis immisceri, quæ per os assumuntur. Itaque licet opinari, Carbonem hunc, sumpto atramento sutorio, voluntaria morte damnationis a judicio liberatum. *Manut.*

(22.) *Cicero Pæto.*

Anno incerto.

Vel potius libertatem loquendi] Aut hoc per jocum dicit: aut legendum, *alii potius libertatem.* Alioqui pugnantia loqueretur. *Manutius.* Legendum est, *amo verecundiam, tu potius libertatem,* reclament omnes libri licet. *Lamb.* Hunc locum, si quis attentius Epistolæ finem inspiciat, sane intelliget, ne ipse sibi Cicero adversetur, ἀπορηματικῶς cum nota interrogationis esse enuntiandum: atque eam ob causam *vel* eo in loco *an* significare. Finis autem est hic: 'Ego servavi, et servabo... Platonis verecundiam.' Quem quis non videt ex adverso cum initio pugnare? Interrogative legatur ergo; qua loquendi forma, non semel ad Atticum scribens, et alibi usus est. *Malaspina* in Epist. ad Q. Fratr. I. 2. Est mihi notus acerrimo ingenio criticus, qui legat *amo verecundiam,* velut porticus *libertatem, &c.* Hoc est, uti Stoici amant libertatem, &c. Audacius, quam necesse sit, ni fallor. *Olivet.*

Demiurgo] Turpilii Comici fabula. *Modo*] Id est, nuperrime acta. *Cellar.*

Quæ mulier] Accii verba. Vide Cic. in Orat. cap. 46.

Usurpata duplex cubile] Hoc proxime sequitur post illud, *quæ mulier una?* Nam verba sunt mulieris de pellice querentis. Et fortasse loquentem hæc poëta induxerat Theben, uxorem Alexandri, Pheræi tyranni, quem arbitror infra nominari. Hæc enim, ut Cicero Off. lib. II. prodidit, propter pellicatus suspicionem virum interfecit. *Usurpata* verbum deponens temporis præteriti; cum tamen 'usurpo' sit usitatius, quam 'usur-

por.' *Manut.*

Alterum] Obscœnum verbum, quo dissoluti homines pro 'violo' libere utuntur. *Idem.*

Alienó nomine] Proprium nomen 'podex;' alienum 'anus,' a vetula; quod utrique similis deformitas et fœditas. *Idem.*

Sed quia multi] Post eum, scilicet, sic appellaverunt, ut ipse antea appellarat, cum amplius non tectum esset, et obscurum, factum est tam obscœnum, quam id verbum quo usus est Pætus. Postquam enim non latuit, nec clam fuit quid ea voce significaretur, statim factum est turpe et obscœnum; non enim intelligi ab omnibus quid ea denotaretur, ipsum verecundiorem faciebat. Ideoque infinitis pene nominibus apud Græcos, nec paucis etiam apud Romanos, hæ hominis partes quæ honeste nominari non possunt, indicantur: unusquisque reconditam vocem sectatur, vulgatam, et nimis apertam propter turpitudinem fugit et aspernatur. *Victor.*

Culpam] Politianus *pulpam.* Sed hæc diligentius interpretari nolim.

Bini] Βινεῖ apud Græcos, a βινέω, *coëo.*

Non licet] Quia 'mentula' dicerem; quod obscœnum est. *Manut.*

Non potes] Quia diceres 'pavimentula;' in quo verbo 'mentula' nominatur. *Idem.*

Intercapedo] Vide Quintil. VIII. 3. Plura Franciscus Vavassor, lib. de Epigrammate, cap. 11. extremo.

Aurelia, aut Lollia] Scortis nobilibus. *Manut.*

Batuit, inquit, impudenter: depsit, multo impudentius] 'Batuere,' et 'depsere,' cum non obscœna proprie sint verba; nam illud est, verberare, vel pugnare; hoc, subigendo tenerum reddere; ad obscœnam tamen significationem transferuntur. 'Batuere' enim sic accipitur pro βατεύειν, ut, 'bini,' pro βίνει. Est autem βατεύειν, cum mares insiliunt feminas rei venereæ causa. Quo verbo Theocritus usus est. 'Depsere' vero, est subigere, miscere. *Idem.*

Stultorum plena sunt omnia] H. Stephanus quatuor illas voces habet pro spuriis, auctoritate veteris codicis. Vide Schediasm. I. 66.

Colei Lanuvini] Familia Lanuvina, sic appellata, vel familiæ cognomen. *Manut.*

Cliternini non honesti] Quia familia Coleorum ibi non est; et ideo, 'Cliterninos coleos' qui dicit, non familiam, sed testes viriles dicit. *Idem.*

Suppedit, flagitium est] Quia, cum deducatur a 'pedo,' significat, crepitum ventris emittere. *Idem.*

Scholam] Disputationem, quemadmodum in schola. Vide Tuscul. I. 4.

Ὁ σοφὸς εὐθυῤῥήμων ἔσῃ] *Sapiens recte loqueris.* Opinor contra scholam Stoicam hoc esse. Ut dixerit Cicero; Stoici superiora illa disputant: mihi autem hoc videtur, sapientem ita loqui debere ut obscœnitatem vitet: quod ego facio, Platonis verecundiam servans. *Manut.*

Honorem] Habere volui. *Kalendis Martiis*] Quem præcipue diem matronas, Junoni dicatum, cum religione coluisse, scripsit Ovidius Fast. III. et Servius in Virg. Æn. VIII. *Idem.*

(23.) *Cicero Papirio Pæto.*

Anno U. C. 707.

Sylva Gallinaria] Est inter ostia Vulturni et Literni in Campania.

Arthriticum] Articulis ita laborantem, ut cœnam apparare non possit. *Manut.*

(24.) *Cicero Pæto.*

Anno U. C. 710.

Rufum] Non is, de quo V. 19. XIV. 14.

Aquini] Aquinum Volscorum oppidum, ut et Fabraterea.

Consilia sunt inita] Ab Antonio. *Manut.*

Convivia] De Senectute, cap. 13.

(25.) *Cicero Imp. Pæto.*
Anno U. C. 703.

Pyrrhi libros, et Cineæ] Pyrrhus Epirotarum rex fuit, Cineas ejus legatus. Utrumque scripsisse libros de re militari, ex Plutarcho et Æliano perspicuum fit. *Manut.*

Παιδείαν Κύρου] *Cyri institutionem*, a Xenophonte conscriptam.

Ades ad imperandum] Scripta veterum interiere, in quibus hic loquendi modus crebrior fuit: unius igitur Sallustii utemur testimonio: 'Jugurtha ubi armis, virisque, et pecunia spoliatus est, cum ad imperandum Tisidium vocaretur, rursus cœpit flectere animum suum.' 'Ad imperandum,' id est, ut ei imperaretur, ad parendum: quod Cicero subjunxit. Hunc loquendi modum et Servius agnovit in illo Virg. vs. 'Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.' 'Cantando,' inquit, 'dum incantatur.' *Manut.*

Proscriptum] Ut venderetur. *Idem.*

(26.) *Cicero Pæto S. D.*
Anno U. C. 707.

Eutrapelum] Ita vocatum a festivitate et lepore. Ep. VII. 32. *Manut.*

Philosophum] Dionem, cujus consuetudine Pætus utebatur. Infra. *Idem.*

Ζήτημα] *Quæstionem.* Dioni petenti qua de re vellet Pætus disserere, responderat, 'de cœna.' Et hoc unum.

Cytheris] Volumnii liberta, et amica. Quam postea dilexit Cornelius Gallus poëta, et post eum M. Antonius. Vide Philippicam II. 24. *Idem.*

Quem adspectabant, &c.] Carmen Ennianum in Telamone. *Corrad.*

Græce] Aristippi Græca verba sunt, Ἔχω, καὶ οὐκ ἔχομαι· quæ recitat Athenæus lib. XII. quod Ciceroni Græce melius videtur, quam Latine, non quia Græce dicatur brevius; æque enim breviter Latine dicitur: sed quia verbum Ἔχω quiddam amplius, quam *habeo*, significat; quod referri ad concubitum potest. *Manut.*

Quod in solum, ut dicitur] Hoc proverbium, 'quod in solum venit,' vel 'quodcunque in solum venit,' quidlibet significat, et quidquid occurrit, quidquid casus fert; non pro ratione, aut pro recta voluntate, sed temere, casu, fortuito. Vide de Nat. Deor. I. 23. *Idem.*

Quæreret] Ex instituto Gorgiæ Leontini, qui primus est ausus in conventu poscere quæstionem, id est, jubere dicere, qua de re quis vellet audire. De Fin. II. in principio. *Idem.*

A mane] Non hoc significat, quod Manutius putat, se quærere cœnam, quæ a mane inciperet; sed se a mane quærere, qui illum invitaret ad cœnam hora solita instituendam, aut saltem 'de die:' sicut illi sodales Catulliani, qui in triviis quærebant vocationes. *Græv.* Habuit fere Manutii sententiam altera pagina.

Ibi præsertim] *Tibi*, non *ibi*, lego cum omnibus libris antiquis. *Manut.*

LIBER X.

(1.) *Cicero Planco.*
Anno U. C. 709.

Proficiscens in Græciam] Desperata libertate, Antonio consule, post Cæsaris necem, pro sua libidine cuncta administrante. Vide Epist. XII. 25. et Philipp. 1. *Manut.*

De meo] Nonnulli *de medio*.

Maximæ curæ est, non de mea] Sic Gruterus et Grævius; sed Victorius *maxime curæ est, &c.* Manutius *maxima cura est, &c.* Lambinus *maximæ curæ est, non mea quidem, &c.* Varias id genus lectiones enumerare liceat, non ponderare.

Ita longa est] Hoc anno consules erant Antonius et Dolabella, interfecto Idibus Martiis Cæsare, cujus locum Dolabella occupavit. His anno sequenti successuri erant Hirtius et Pansa, Hirtio et Pansæ Plancus et D. Brutus. *Manut.*

Acta] Singulorum dierum. *Idem.*

Judicii] Beneficii. Nam beneficia honoratorum hominum argumentum sunt, illos bene de rebus judicare. *J. F. Gronov.*

(2.) *Cicero Planco S.*

Anno U. C. 709.

Armati] Ab Antonio consule.

(3.) *Cicero Planco S. D.*

Anno U. C. 710.

Liberalitatem] Non largitionem, sed summam quandam humanitatem et consuetudinem gratificandi, ut Epist. I. 7. et V. 9. *Manut.*

(4.) *Plancus Ciceroni.*

Anno U. C. 710.

Te scripsisse] Tua manu, non amanuensis. *Manut.* Sed vetus commentator, *ex sermone Furnii*, id est, propter ea, quæ Furnius de me locutus est tecum. *Cellar.*

Ut præter bonam famam] Ut unicum, quod iis addere possum, sit bona hominum de his existimatio. Tacite significat propter mala tempora, et quod serviendum esset Cæsari, nondum eam mereri se potuisse. *J. F. Gronov.*

In Gallia citeriore] Cisalpina: cui præerat D. Brutus, et ipse consul designatus, Mutinæ inclusus, obsidente M. Antonio. *Manut.*

Aliena vitia] Nostra scilicet, dum inter nos contendimus. *Idem.*

(5.) *Cicero Planco S.*

Anno U. C. 710.

Attulerat] Manutius *attulerunt*.

Id erit totum et proprium tuum] Optime priscus codex, quem Lambinus consulnit, *id erit totum proprium et tuum*. Vulgata nullius est pretii; copula sane suo loco posita non est. Venuste autem, ut et apud alios scriptores, *proprium et tuum*, tanquam *συνώνυμα*, conjunguntur. Lambinus conjicit *id erit totum proprie tuum*. Græv.

(6.) *Cicero Planco.*

Anno U. C. 710.

Collega tuus] D. Brutus, consul cum Planco designatus. *Manut.*

Obsideretur] Mutinæ. Epist. II. 14. *Idem.*

Lepidi] Hic est M. Æmilius Lepidus, qui, decreta sibi Hispania, in Gallia tamen adhuc, civilis belli, ab Antonio suscitati, exitum expectans, morabatur. Postea, prodita rep. triumvir cum Antonio et Octavio fuit, evertendæ, non, ut aiebant ipsi, constituendæ reip. *Idem.*

Auctorem, principem, ducem] Augetur sententia singulis verbis. Nam 'auctor' est, non qui alios sequitur, sed qui movet; 'princeps' autem plus est, quam 'auctor;' et 'dux' plus quam 'princeps.' *Manut.*

Ea ratione] Iis rebus agendis. *Idem.*

(7.) *Plancus Ciceroni.*

Anno U. C. 710.

Publicis litteris] Quæ sequuntur. *Corrad.*

Cum alii occupare possessionem laudis viderentur] Qui ante me bonam voluntatem in remp. sunt professi. *Corrad.*

Rerum spe] Honoribus propositis. *Manut.*

(8.) *Plancus Imp. Cos. Des. Coss. Pr. Trib. Pleb. Sen. Pop. Pl. Q. R. S. D.*

Anno U. C. 710.

Suspensam] 'Plancus,' inquit Paterc. II. 63. 'dubia fide, quarum esset partium, diu secum luctatus, senatuique se litteris venditans, mox D. Bruti proditor fuit.'

Sed optimæ mentis] Cum optimum propositum nunquam non habuerim, nunc demum id palam præferendi maturum et commodum tempus apparuit. *J. F. Gronov.*

Superiore anno] Antonio consule. *Manut.*

Quam cum paucioribus] Malui, inquit, plures socios habere, indeque minorem laudem adipisci ejus victoriæ, quam cum paucis, ut majorem gloriam, si recte res cessisset, consequerer, partiri et dividere victoriam. Jacturam enim potius æquo animo laudis facere volui (defendendæ reip. socios quærens, cum pluribusque victoriam communicans) quam cum paucioribus periculose nimis et temerarie eam dividere. Etsi enim eam adeptus cum paucioribus, majorem gloriam acquirerem; nimis magno tamen reipublicæ damno id fecissem, funesta enim victoria fuisset. *Victor.*

Provinciam] Re, et nomine. *Corrad.*

Jam expeditis omnibus rebus] Profligato ad Mutinam Antonio. *Manut.*

Eos vero] Milites. *Idem.*

(9.) *Plancus Ciceroni S.*

Anno U. C. 710.

Ita ab imminentibus malis] Est hoc jurandi et affirmandi genus non invenustum. Augustus in Epist. ad Tiberium apud Sueton. 'Jucundissime, et, ita sim felix, vir fortissime, et dux *νομιμώτατε*.' Cicer. Catilin. IV. 'Ita mihi salva republica vobiscum perfrui liceat, ut ego, quod in hac causa vehementior sum, non atrocitate animi moveor.' Idem ad Att. XVI. 15. de Octavio: 'Jurat, ita sibi parentis honores consequi liceat.' *Græv.*

Concupisco autem nihil mihi, contra quod ipse pugno] Difficilis ad intelligendum locus, nec veteres libri consentiunt; nam plerique *contra quod;* unus *contra quam;* alius *contra quem.* Fortasse autem hoc dicitur: Et nihil mihi mea causa concupisco; cum ad reip. salutem dignitatemque omnia referam; et contendo tamen atque elaboro, ut ea consequar, quæ minime concupisco. *Manut.* Quid si? *contraque me ipse pugno.* Vel *contraque ipse pugno.* Atque his verbis verecunde præmia postulat. *Rutil.*

Temporis, et rei] Volo te judicare ac statuere, et quando, et quid petam; vel, et quo tempore, et quibus me honoribus afficere debeatis. Epist. 21. 'Tu videris, quantum, et quando tuum munus apud me velis esse.' *Manut.*

Vienna] Alii *Viennam;* quod non placet. Est autem Vienna Allobrogum, quam Strabo principem urbem vocat. *Idem.*

Ab Lepido] De cujus in remp. animo nondum constabat. Epist. sequenti. *Idem.*

(10.) *Cicero Planco.*

Anno U. C. 710.

Consulem] Nam aberat uterque consul, Hirtius et Pansa, ad Mutinam obsidione liberandam profecti. *Manut.*

Denique] Ut paucis dicam, ex quibus reliqua colligi possint. *Græv.*

Invitamentum] Hoc dicit, quia voluntatem quidem Plancus, transjecto Rhodano, ostenderat, nihil tamen adhuc re ipsa præstiterat; ut, si quid ei tribueretur, invitamentum potius,

quam præmium, videri posset. *Manut.*

(11.) *Plancus Ciceroni.*

Anno U. C. 710.

Sententiæ] Dictæ in senatu. *Manut.*

Muneribus] Quæ mihi decernebas. *Idem.*

Exitu rebusque] Hoc est, si ipsis factis me talem præstem, qualem tu me esse omnibus testatus es. Ovid. Met. III. 'Vana diu visa est vox auguris: exitus illam Resque probat.' Cic. Tusc. I. 'His et talibus auctoribus usi, confirmant causam rebus a Diis immortalibus judicatam.' Hoc est, ipso facto Dii declararunt. Ovid. Fast. II. 'Nil opus est verbis: credite rebus, ait.' *Græv.*

Laterense] M. Juventio Laterensi, Lepidi legato. *Manut.*

Majore] Quia socium et participem ejusdem gloriæ Lepidum non habebo. *Idem.*

(12.) *Cicero Planco.*

Anno U. C. 710.

Etsi reip.] Hanc Epistolam arbitror illi, quæ est ad senatum populumque Rom. a Planco scripta, subjungi debere; tum huic eo loco sitæ eam quæ incipit, 'Nihil me tibi:' post eam vero addi superiorem, cujus initium, 'Immortales ago tibi gratias.' Nam eam quidem quæ incipit, 'Etsi satis ex Furnio,' vel omnibus hisce quas modo nominavimus, atque adeo illi ipsi quæ sic inchoatur, 'Plura tibi,' puto præponendam, ut sit numero septima. Hoc arbitror ad sententiam litterarum consequendam percipiendamque pertinere: in quo jam vel Tironis culpa esse potest. Quod si quis etiam eam quæ sequitur, præponat huic Planci, quam ultimam hactenus fecimus, cujus initium, 'Immortales ago,' non inepte meo judicio fecerit: atque etiam eas quæ incipiunt, 'O gratam famam;' nam ne interpres quidem absurde est ratiocinatus de conjungendis duabus istis Planci Epistolis. *Rutil.*

Adferat] In Mediceo *adfert* scriptum est; *affert* igitur legi debet: contaminata ab imperito vera lectio fuit, qui, dum credidit se emendare, corrupit. *Victor.*

Graviores] Manut. *gratiores.*

De domo] Mos fuit, ut principes viri, quoties prodibant, a clientibus deducerentur, reducerenturque; etiam ab amicis et familiaribus. *Cellarius.*

Munatius] T. Munatius, de quo in extrema Epistola. Hic Planci cognatus potius, quam frater, fuit. Nam ille alter T. Munatius, quem Pedianus ait hujus L. Planci fratrem fuisse, in castris Antonii fuit, ut patet Epist. 3. 4. 25. *Manut.*

More majorum] Ejus prima dignitas erat absentibus coss. *Idem.*

Oblata religio Cornuto est] Hoc est, religione, auspiciis impeditus fuit ne in senatu quicquam ageretur. *Religio* est metus Deorum, qui inhibet facere quæ velis. Plaut. Mercator, v. 2. 'Religionem illic objecit: recipiam me illuc.' Hoc est, ex observatione ominis δεισιδαιμονίαν incussit. Christiani dicerent 'scrupulum conscientiæ injecit,' ne hoc vel illud faciat. *Græv.*

A nostro collegio] Augurum. *Corrad.*

(13.) *Cicero Planco.*

Anno U. C. 710.

Contexes extrema cum primis] Bellum a consulibus et Octavio magna jam ex parte profligatum, ipse penitus, oppresso Antonio, conficies. *Manut.*

Non Ajacem, nec Achillem] Utrumque Ulysse fortiorem. *Idem.*

Ulyssem] Quia bello Trojano, astutia sua capto Ilio et incenso, finem fecit. *Idem.*

Πτολίπορθον] *Vastatorem urbis.* Sem-

per eum vocat Homerus πτολίπορθον, ut ait Strabo lib. I. *Idem.*

(14.) *Cicero Planco S.*
Anno U. C. 710.

(15.) *Plancus Ciceroni.*
Anno U. C. 710.

Flumine maximo] Plinius Isaram Rhodano comparat III. 4. *Manut.*

Cohortibus] Tres manipuli, qui et centuriæ dicebantur, unus hastatorum, alter principum, tertius triariorum, cohortem faciebant. Erant autem in singulis manipulis milites 120. exceptis manipulis triariorum, in quibus erant 60. tantum; ita fit numerus 300. militum in cohorte. Aliter Vegetius, mutata militia. Nos Polybium in manipulis, Ciceronem et Varronem in cohortibus; nam eas Polybius nunquam nominavit. Et cohors quidem, cum legio peditum sena millia habuit, id est, Ciceronis ætate, ex quadringenis militibus constabat, quod ex Epist. ad Att. I. 1. licet intelligere: cum vero quaterna tantum millia, et duceni in cohorte fuere, id est, belli secundi Punici tempore, et deinde aliquanto post, non plures quam tercenos viginti cohors habuit, ex tribus manipulis supra dictis. *Idem.*

(16.) *Cicero Planco.*
Anno U. C. 710.

Institit Cornutum] Hoc est, cœpit flagitare. Liv. lib. XXIV. 'Pro se precibus, puellis saltem ut pareerent, orare institit.' Terent. Hecyr. III. 3. 'Hanc habere orationem mecum principio institit.' *Græv.*

(17.) *Plancus Ciceroni.*
Anno U. C. 710.

Ventidius] P. Ventidius Picens, humili loco natus, qui hoc anno, prætor cum esset, consul factus est in locum demortui Q. Pedii, suffecti in locum Hirtii ad Mutinam interfecti. Hic a Pompeii Magni patre, ut ait Valerius lib. VI. in triumphum ductus, postea victum sordide quæsivit, mulis et vehiculis magistratibus, qui sortiti provincias essent, comparandis. Extulit eum deinde sic aut fortuna, aut ejus industria, non modo ut præturam, et consulatum gesserit, verum etiam de Parthis primus triumphaverit, et mortuus publico funere, quod paucissimis contigit, quasi gratiam ejus virtuti populo referente, sit elatus. Suetonius, Gellius, Plutarchus, et alii. *Manut.*

Abest ab eo] Conjunxit se cum Antonio. Epist. 33. 34. et XI. 10. *Idem.*

Consulum] Hirtii, et Pansæ. Epist. 33. *Idem.*

Fide] Pro 'fidei.' Ut 'die' pro 'diei,' Georg. I. 208. Vide Gellium, IX. 14.

De tribus fratribus] Probavit, inquit, mihi, in Apella ad me mittendo, studium suum Gellius; in trium autem fratrum negotio, (hoc quale fuerit, ignoratur) Sex. Gaviano. *Manut.*

Sex. Gaviano] Mss. *Segaviano;* vetus editio *Segavianis;* unde H. Valesius *Segalaunis,* Notit. Gall. p. 581.

(18.) *Plancus Ciceroni.*
Anno U. C. 710.

Cum Lævus] Quidam legunt *Lernus,* vel *Lerinus;* nos vetustam scripturam reposuimus *Lævus,* eundemque credimus esse hunc et illum de quo sic non multo post, 'Lævo Cispio dabo perferenda.' *Victor.*

Legatorum] Lævi Cispii et Nervæ. *Corrad.*

Etsi cautius] Lambinum hic sequimur, jubente Grævio, tomo ejus II. p. 411. Præiverat H. Steph. Comment. de variis generibus Ep. Cic. p. 225.

Non suis contractis] Nulla sua culpa, ex iis quæ ipse non contraxit. Et sic ad Q. Fr. I. 1. *Græv.*

Si exercitus Lepidi absit] Nulla enim tunc infidelitas mihi timorem faciat. *Corrad.*

Magnam affert sollicitudinem] Ingentem mihi subjicit curam, ne scilicet Antonius recipiatur ab exercitu Lepidi, quod evenit. *J. F. Gron.*

Mulionis] Quia victum comparandis mulis, farreque in castra convehendo, adolescens sibi comparaverat. Vide Plin. VII. 43. *Manut.*

Nisi uno loco me tenerem] Nisi consisterem uno eodemque in loco, in quo exercitum Lepidus haberet. Vel pro *nisi*, legendum *si;* ut hoc dicat: Si manerem in eodem loco, nec ad Lepidum prope accederem. *Manut.* Idem tamen in suis posterioribus editionibus habet *nisi uno loco metaremur*. Quod J. F. Gronovio placet. Sed vide infra, Epist. 23.

(19.) *Cicero Planco.*
Anno U. C. 710.

(20.) *Cicero Planco.*
Anno U. C. 710.

Propter inanem lætitiam litterarum superiorum] Inanis Planci lætitia fuit, quam significavit Epist. 15. cum dixit 'Sedulitas mea reip. tulit fructum.' Quod tamen re ipsa comprobatum postea non est, Lepido neutram in partem inclinante. Propterea non audes, aut Cicero, id credere de Lepido, quod quia credidisti antea, errasse te sentis. *Manut.*

Errare] Quia turpius est decipi, quam errare; cum erremus, ut humani; decipiamur, ut incauti; propterea Plancum excusat, et quasi consolatur; quod erraverit quidem, quia crediderit se esse bono Lepido usurum; deceptus tamen non sit, quia prudentia valeret. Præterea verbum 'voluisti' Plancum liberat ab imprudentiæ culpa. Ipse, inquit, errare voluisti, cum ea sperasti de Lepido, quæ vera esse cupiebas; non te quisquam in errorem induxit: decipi enim non potes. Quod si cui *errare id*, pro errare in eo, videatur durius, non esse dissimile sciat, 'peccare multa,' pro in multis; et hujus generis alia. *Idem.* Alii *ut errare, mi Plance, &c.*

Bis ad eundem] Proverbium, quo reprehendi solet is, qui bis ad eundem lapidem offendit. Senarius Græcus de altera ad eundem lapidem offensione a Zenodoto inter adagia refertur: *Δὶς πρὸς τὸν αὐτὸν αἰσχρὸν εἰσκρούειν λίθον.* Simile illud Publii Mimi apud Gellium et Macrobium: 'Improbe Neptunum accusat, qui iterum naufragium facit.' Et illud Horatii in Epistola ad Pisones: 'Ridetur, chorda qui semper oberrat eadem.' *Manut.*

Ita se res habet] A Lepido non recipi Antonium. *Corrad.*

(21.) *Plancus Ciceroni.*
Anno U. C. 710.

Jejuni hominis] Non est laudem appetentis, sed maligni, qui quicquid in alium laudis et gloriæ confertur, sibi decedere existimat. Sic supra Epist. II. 17. 'Illud vero pusilli animi et ipsa malevolentia jejuni atque inanis; quod Ariobarzanem, quia senatus per me regem appellavit, mihique commendavit, iste in litteris non regem, sed regis Ariobarzanis filium appellat.' Sic alibi dicit 'animum nimis angustum et jejunum.'

Suam fidem solutam esse] Se jam promissis non teneri. Obstrinxerat enim suam fidem Laterensis, promiseratque omnia de Lepido; mox, ubi recipi Antonium a Lepido vidit, scripsit Planco, se destitutum a Lepido, nec jam ea, quæ antea, polliceri. Contrario sensu Terentius in Andr. dixit 'Solvisti fidem,' pro, fregisti. *Manut.*

Canidios, Rufrenosque] Legatos, vel tribunos militum, aut præfectos, et centuriones. *Manut.*

Singularibus] Hittorpianus non agnoscit, et vereor ne ex *consulibus* sit corruptum. Nec enim video quem

hic locum commode possit habere, et cur milites illos consules appellarint singulares. Lambinus mallet *singularibus viris;* sed præstat *singularibus* recidere. *Græv.*

Omnibus] Antonium secutis. *Manut.*

Defuturum] Vide Gell. I. 7. et Sanctii Minerv. III. 11. *Græv.*

Parique felicitate] Ut ad Mutinam.

(22.) *Cicero Planco.*

Anno U. C. 710.

Uti eo] Vel deest, vel certe subauditur, S. C. ut infra patet. *Manut.*

(23.) *Plancus Ciceroni.*

Anno U. C. 710.

Mea patientia] *Mea pertinacia* aliis magis placet. *Corrad.*

Consedi] Hoc est, castra metatus sum.

Vocontii] Plin. III. 4.

Sub manu] Propinqui. Græcum loquendi genus. *Manut.*

Victurus] Non vixit; ut Velleius lib. II. Dio lib. XLVI. scriptum reliquere. *Idem.*

Elapsus sum his] Dictio *his*, cum oleret mendum, scripsi ad amicissimum meum, ut is mihi, de ea quid sentiret, exponeret. Rescripsit, corruptam se jam pridem judicasse: nuper autem rarissimæ virtutis, et summæ nobilitatis hominem, Benedictum Accoltum, Ravennæ Cardinalem, quem ego honoris amplitudinisque causa nomino, cum has Ciceronis Epistolas succisivis temporibus legendo percurreret, eam emendasse, nempe sic, *elapsus sum bis:* ut se dicat Plancus periculum bis effugisse, semel, cum ad Lepidum non accessit, neque se unquam cum eo voluit conjungere; quod si fecisset, ipse cum universo exercitu in Antonii potestatem Lepido prodente devenisset; iterum, cum audito Lepidi Antoniique adventu, celeriter se recepit. *Manut.*

Colloquia facta] A Lepido cum Antonio, vel cum iis, quos ad eum Antonius miserat. *Idem.*

Fide Lepidi] Promiserat Lepidus, Antonii legatos, ab eo ad Plancum missos, incolumes esse reversuros. Ii qui fuerint, non constat. Nam C. Catium, infra statim nominatum, non ad Plancum, sed ad Lepidum esse missum suspicor: et hic exceptus est, illi in conspectum venire vetiti. *Idem.*

Cæsar] C. Octavius Cæsar. *Corrad.*

Cujus ipsius magnum periculum agitur] Erat enim et Antonius inimicus. Epist. XII. 23. *Manut.*

Cularone] 'Cularo' nominatur in Tabula Itineraria Peutingeri, et in Notitia Imperii, quæ tribunum cohortis primæ Flaviæ *Cularone* in Sabaudia stationem habuisse docet. Unde muri 'Cularonenses' hodieque leguntur in antiqua inscriptione portæ civitatis. Postea ab Imperatore Gratiano dicta Gratianopolis. In Epist. Planci ad Ciceronem, quæ est ad Fam. X. 23. legendum jam olim censuimus in ultimis verbis, *Culatone*, in finibus Allobrogum, non *Civarone*, ut vulgo edi solet. Fines Allobrogum facit Gratianopolim, quia ad Isaram posita est, qui Allobroges claudit, separatque a Vocontiis. Sirmondus in Sidon. Apollin. III. 14.

(24.) *Plancus Imp. Cos. Design. Ciceroni S. D.*

Anno U. C. 710.

Indulgentia] Id est, obsequio. *Cellar.* Mallem *diligentia.* Lamb.

De militum commodis] 'Commoda' proprie dicuntur in re militari dona et præmia, quæ militibus præter stipendium tribuuntur. *Græv.*

Novissime] Tiro scripsit in Pandectis, non recte dici *novissime;* adjicitque, quod sua cœperit ætate id adverbium, ubi Flavius Caper de Latinitate, 'Miror,' inquit, 'id dixisse

Tironem: cum Valerius Antias libro secundo, 'Mater, cum novissime ægrotasset,' inquit, 'vovisse fertur.' Idem 22. 'Quod novissime nobiscum fœdus fecissent.'' Hæc Carisius. *Manut.*

Integra sustinuimus] Non nihil damni passi sumus, sed, rempub. in discrimen non adduximus, prælium vitavimus. Confirmant hanc sententiam ea, quæ sequuntur. Epist. 21. alio sensu dixit, 'Omnia ut integra servem.' *Idem.*

Impetu] Pro *impetui;* ut Virgilius Georg. IV. 'Concubitu indulgent.' *Idem.*

Firmitate exiguus] Tirones enim multis partibus plures, quam veterani. *Manut.*

Africanus exercitus] Cui T. Sextus et Q. Cornificius præerant. *Corrad.*

In discrimen] In discrimen Martis, sive prælium, rem deducerem, nec dubitarem pugnare. *Cellar.*

Propius] Propior erat Cæsaris Octaviani exercitus, quam Africanus. *Idem.*

Ad alia consilia] Triumphi et consulatus petitionem. *Corrad.*

Vestro judicio] Testimonio adoptionis publicæ a prætoribus ex more descripto, et illo Cæsaris nomine, et tot honoribus ornato. *Idem.*

Adversissimam] Propter Asinium Pollionem, qui ibi habet exercitum. *Idem.*

Bimestris] Aut *quinquemestris* legendum, cum quinque menses, non duo, superessent ad exitum anni, ut dies huic epistolæ adscripta declarat; aut *bimestris* dixit pro exigui temporis. *Manut.*

Ut exigeret cum eo] Frustra Lambinus *ut ageret cum eo.* Atqui hoc ipsum est *exigeret cum eo.* Senec. Epist. 28. 'Sic itaque me audi, tanquam mecum loquar; in secretum te meum admitto, et te adhibito mecum exigo.' Plin. V. 12. 'Ex illis enim vel præcipue sentio, quantopere me diligas, cum sic exegeris mecum, ut solitus cum tuo filio.' Liv. XXII. 49. 'Hæc exigentes prius turba fugientium civium, deinde hostes oppressere.' *J. F. Gronov.*

Expeditissimam] A verbo 'expedit.' *Manut.*

(25.) *Cicero Furnio S. D.*
Anno U. C. 710.

Furnio] Planci legato. Ad petendam præturam contendere cupiebat, cum nondum ipsius annus esset. *Manut.*

Scientiaque omnium] *Sententiaque omnium* placeret. *Idem.*

Comitia] Prætorum; nam consulum sequentis anni necessaria non erant: cum Plancus et Brutus jam antea designati essent a Cæsare Parthicum bellum cogitante. *Idem.*

Consecuti sumus] Quam consecutus es. Conjunxit utriusque laudem, ut ostendat amorem suum; amicorum enim omnia communia. *Manut.*

Darent operam] Foris. *Non obierunt*] Non venerunt ad petendum. *Idem.*

Nihil] Si manebis in provincia, et ad comitia prætoria non venies. *Idem.*

(26.) *M. Cicero Furnio S. D.*
Anno U. C. 710.

Illud magis tinui] Ut omitteretis Narbonenses, quod non fecisse vos lætor. *J. F. Gronov.* Corradus et Quarterius de dimicatione interpretantur.

Cognovimus] Tua videlicet opera excitatum; id enim Furnius modeste significaverat. *Manut.*

In Sextilem] Indicta sint. *Cito te*] Venturum Romam. *Manut.*

Tam facile discas] 'Docere causam' dicitur, qui pro se acturum patronum instruit; 'discere,' qui defensurus est. Cicer. de Orat. II. 'Nihil est negotii hujusmodi causam cognoscere. Recte igitur de causa discenda nihil præci-

pitur.' Et rursum; 'Nisi forte existimatis a Manio Curio causam didicisse L. Crassum.' *J. F. Gronov.*

Officio] Honestati, quam non nisi emendatissimi propositam habent. *Idem.*

(27.) *Cicero Lepido S.*
Anno U. C. 710.

Ornatus summis honoribus] Supplicatione ei decreta, ut Phil. III. legimus, post etiam triumpho, ut Phil. XIII. et statua equestri inaurata: de qua, Phil. V. *Manut.*

In possessionem] Unde prælio Mutinensi dejectus erat Antonius. *Idem.*

(28.) *Cicero Trebonio S.*
Anno U. C. 710.

Trebonio] Viro consulari, Asiam regenti, post obitum Cæsaris. Epist. XII. 16. et Plutarchus in Bruto. Unus fuit ex iis, qui de Cæsare necando conjuraverant. Occidit eum postea Dolabella. Epist. XII. 12. Dio lib. XLVII. *Manut.*

Ad illas pulcherrimas epulas] Ad facinus illud egregium, cum Cæsarem Idibus Mart. occidistis. *Idem.*

Reliquiarum nihil haberemus] Non modo Cæsar, sed Antonius quoque interfectus esset. Simile principium Epist. VI. 4. 'Vellem Idibus Mart. me ad cœnam invitasses: reliquiarum nihil fuisset. Nunc me reliquiæ vestræ exercent.' *Idem.*

Seductus est] Philipp. XIII. 'O Spartace, sceleratum Trebonium ausus es scribere? quo scelere, nisi quod te Idibus Mart. a debita tibi peste seduxit?' Idem ex Dionis lib. XLIV. cognovimus. *Idem.*

Fœdissimum discessum] Ex urbe in Galliam Cisalpinam. *Corrad.* Vide Philip. III. 9. extremo.

Deque alia re] De præsidio coss. designatorum. Epist. XI. 6. *Corrad.*

In Servio] Sulpicio. Vide Philip. IX.

Avunculus] M. Antonii. *Corrad.*

Puer egregius Cæsar] Modo adolescentem, modo puerum, quo magis laudet, Cæsarem appellat. Annum enim agebat 19. ut Velleius Tacitusque litteris mandarunt. Epist. I. 7. 'Ne adolescentem vel puerum potius Cæsarem judices temere fecisse.' Et XII. 25. 'Puer egregius præsidium sibi primum et nobis, deinde summæ reip. comparavit.' Et Epist. ad M. Brutum: 'Cæsaris pueri mirifica indoles virtutis.' Et Phil. III. 'C. Cæsar, adolescens, pene potius puer,' &c. Item Phil. IV. et alibi. *Manut.* Indignissime tulit Octavius, se 'puerum' appellari, et inter præcipuos prætextus bellorum civilium hic fuit, teste Dione lib. XLVI. Hinc senatus decrevit, ne Octavius vocaretur 'puer,' ut notavit Servius ad Virgil. Ecl. I. 44. Vide Casaub. ad Sueton. August. cap. 12. et Cic. Philip. XIII. 11. Novendecim annorum erat Octavius, cum hoc bellum susciperet contra Antonium. *Græv.*

Veteranos] Cic. Philip. V. 8. et 16. Sueton. Aug. cap. 10. Hæc legio *Evocatorum* fuit appellata, quod missi facti a militia rursus ad eam convocarentur. Dio, lib. XLV. *Idem.*

Legionesque duæ] Martia et quarta. *Corrad.* Vide Vell. Paterc. II. 61. Cic. Philip. V. 11. et XI. 8.

Contulissent] Relicto M. Antonio, Brundusium revertente. *Corrad.*

(29.) *Cicero Ampio Balbo.*
Anno U. C. 710.

Ampio Balbo] Sic Manutius, et Sigonius. Alii, *Appio Sal.* Quis tamen Appius ille fuerit, nesciunt interpretes.

(30.) *Galba Ciceroni S.*
Anno U. C. 710.

Galba] Periti rerum Romanarum, Sulpiciæ gentis cognomen esse Galbam, non ignorant. Si quis testimonium quærit, Suetonium legat, qui nepotem hunc fuisse ait Ser. Galbæ

illius, temporum suorum eloquentissimi, proavum autem Galbæ imperatoris: quem utrumque Sulpicium fuisse, tum Suetonius ipse, tum alii testantur. Addit idem: Galbum hunc, ob repulsam consulatus, infensum Julio Cæsari, cujus legatus in Gallia fuerat, conspirasse in eum cum Cassio et Bruto. Quod Appianus lib. II. et Antonii confirmat Epistola, ad Hirtium Octavianumque Cæsarem missa: cujus habes verba Phil. XIII. 16. *Manut.*

Cohortes prætorias] Erant grandes et edecumatæ, quæ circa imperatorem erant, institutæ primo a P. Scipione. Vide Festum in v. 'Prætoria cohors.' Olim autem tantum unam habebat imperator, sed per bella civilia auctæ sunt hæ cohortes, et unus plures habebat. Vide J. Lips. de Milit. Rom. II. 4. *Græv.*

Evocatorum] Sunt veterani, qui expletis stipendiis sponte in gratiam consulum aut ducum militiam sumebant, et precibus, litteris, ac nunciis evocabantur, non in delectu scribebantur, ideo dicti sunt 'evocati.' Vide Lips. de Milit. Rom. I. 8. *Idem.* Vide paulo superius, ubi de veteranis.

Forum Gallorum] Id ipsum castellum, quod nunc vocatur *Castel Franco*, esse *Forum Gallorum*, vicum olim, quem celebrem reddiderint bella civilia, ostendit Cluverius I. 28. *Græv.*

Legionem ire] Martiam. *Corrad.*

Scuto rejecto] In humerum, ut ita pectore non munito intelligerent tiroues me amicum et suarum partium esse, et ab illis nihil mali metuere. *J. F. Gronov.*

Aquilæ] Legionum insignia, aquilæ: signa, manipulorum et centuriarum. *Cellar.* Vide Plin. III. 3.

XII Kal. Maii] Malim, *XVI Kal.* ut postridie, quam gesta res est, scripserit Galba; quod verisimile videtur. Nam, si *XII Kal.* id est, quatriduo post prælium scripsisset; omnino aliquid de Pansæ vulneribus, ipsoque Bononiam delato, cognovisset, et Ciceroni significasset. Nam Hirtius postea, cum Antonii castra oppugnaret, occisus est. *Manut.*

(31.) *C. Asinius Pollio Ciceroni S. D.*

Anno U. C. 710.

C. Asinius Pollio] Cæsar, Parthicum bellum cogitans, et magistratus per triennium creavit, et provinciis rectores dedit, et aliis quidem alios, Hispaniis vero duabus duos, Lepidum citeriori, Asinium ulteriori. Asinius, vivo adhuc Cæsare, in provinciam ivit. Lepidus ad urbem mansit. Post Cæsaris necem, ubi Antonium, Lepidum, Octavianum conjunctos vidit, ad eorum partes cum duabus legionibus se contulit, primum fortunam secutus, deinde amicitia quoque permotus Antonii. Triumphasse eum de Parthis, ex fastis Capitolinis intelligitur. Valuit eloquentia, orationesque scripsit multas; de quibus non semel Quintilianus. Ait idem, dictum esse omnium horarum hominem, quod seriis jocisque pariter accommodatus esset, lib. VI. in Livio deprehendisse Patavinitatem quandam lib. I. et VIII. tristem et jejunum in dicendo habitum esse, lib. X. insectatum esse pluribus locis, etiam inimice, vitia orationis Tullianæ, idemque filium ejus fecisse, lib. XII. Vide et Senecam, Epist. I. 16. Suasoriarum. Primus bibliothecam de manubiis Romæ publicavit, et in ea M. Varronis imaginem viventis posuit. Plin. VII. 30. et XXXV. 2. *Manut.*

Castulonensis] Castulo fuit Oretanorum urbs maxima, Bæticæ finis versus Orientem, sita ad Bætis ripas, hodie *Castona*, de qua vide Ludovici Nonii Hispan. Antiq. cap. 64. et Sam. Bocharti Geographiæ Sacræ part. II. lib. I. cap. 34. *Græv.*

Sermonibus] Antonii, aut Lepidi.

Quia utrobique] Non videtur hæc ratio esse commoda, sed potius con-

trarium suadere, sive præcedentia, sive subsequentia rejicias. Nam si utrobique erant inimici, consultius utrimque abesse. Lego *qui*. Ut tantummodo exponat æstum, in quo fuerit. *J. F. Gronov.*

Eo] Ad Cæsaris exercitum.

Consules] Antonius, et Dolabella. Non enim Hirtius et Pansa significari possunt, qui tantum ante duos menses consulatum inierant, nec multo post ad eum Pansa litteras misit. Loquitur autem Asinius de toto tempore post Idus Martias, id est, post Cæsaris necem. *Manut.*

Invito illo] Præerat enim Lepidus Hispaniæ citeriori, et (ut scripsit Dio) Narbonensi Galliæ; quod etiam confirmatur Epist. 33. *Idem.*

Contentiones] Hic erit sensus: Quam vehementer Lepidus et Antonius litteris a me contenderint. Quod sequentis Epistolæ testimonio comprobatur. Sin autem, quod est in omnibus meis antiquis libris, *conciones* placet, vehementes litteras, quales conciones ad populum, vel ad milites sunt, interpretemur; quod tamen paulo durius videtur, nisi sit ferendum in Asinio, cujus orationem duram fuisse Tacitus auctor est. *Idem.*

Quæres, quanti æstimem] Ita distinguendum. Mirabere forsan et rogabis, quanti æstimem illud ambulare et jocari cum Cicerone? *J. F. Gronov.*

(32.) *C. Asinius Pollio Ciceroni.*

Anno U. C. 710.

Balbus] Gaditanus, filius fratris L. Cornelii Balbi, pro quo extat Ciceronis oratio. *Manut.*

Ad Calpen] Est mons præaltus Hispano littori freti Gaditani adjacens, cui opponitur in Africa Abyla, qui crediti sunt esse Herculis Columnæ. Vid. Pomp. Mel. II. 6. et Bocharti Geograph. Sacræ tom. 2. I. 34. *Græv.*

Bogudis] Regis Mauritaniæ Tingitanæ, quæ Bogudiana olim est dicta, quamdiu in ea rerum potiebatur Bogud. Illo autem pulso a Boccho, Tingitanæ provinciæ nomen accepit. Extenditur a fluvio Mulucha, qui perperam Chylemath dicitur, usque ad Oceanum. Vid. Isaac. Voss. ad Pomp. Mel. I. 5. *Idem.*

Quæ C. Cæsar] Fecit Balbus Gadibus, in qua urbe natus erat, eadem, quæ C. Cæsar Romæ fecerat. *Manut.* Cæsar Laberium, cum mimum suum egisset, annulo aureo donavit et quingentis sestertiis. Vide Sueton. Jul. cap. 39. *Idem.*

In XIV] Hoc est, in equestria subsellia theatri; hoc est, equestri dignitate donavit. Ordines quatuordecim subselliorum in theatro assignati erant equestri ordini, quæ et *equestria* dicebantur. *Idem.*

Quatuorviratum] Qui summus in municipiis magistratus erat, ut Romæ consulatus. Erat autem municipium Gades. *Manut.*

Prorogavit] Cæsaris exemplo, qui sibi dictaturam prorogaverat. *Idem.*

Biennii] Iturus contra Parthos Cæsar, magistratus in tres annos creavit. *Idem.*

Senatus] Decuriones Gaditani. Is enim erat senatus in municipiis. *Idem.*

Prætextam] Fabulæ genus, in qua, Romano argumento, prætextati viri, id est, magistratus, inducebantur. *Idem.*

De quo itinere ad L. Lentulum sollicitandum] L. Cornelius Lentulus consul primo belli civilis anno Pompeium ex urbe fugientem secutus est, et cum eo post in Græciam transiit. Ad eum Balbus minor, ante quam ex Italia discederet, cum litteris, cum mandatis, cum promissione provinciæ, si Romam revertisset, a Cæsare missus est. Epist. ad Att. VIII. 9. 11. et ad eundem IX. 6. *Idem.*

Posuit] Hac de re tota fabulam edi-

dit, sive jussit ut ageretur. *Corrad.*

Depressus in ludum] Per vim et fraudem arenæ addictus, gladiator fieri coactus. Vide notas meas ad Sen. de Ira III. 8. *Gronov.*

Auctore sese] Id est, auctorante sese (et forte ita scripserat Asinius) vel auctoramentum promittente. *Id.* Pro *auctore*, H. Stephanus edidit *auctorari.*

Defodit in ludo] Cujusmodi exemplum a Carthaginensibus editum Cato senior prodidit: 'Homines,' inquit, 'defoderunt in terram dimidiatos, ignemque circumposuerunt, ita interfecerunt.' Gellius. *Gronovius.*

Nudis pedibus] Contra morem Romanum. Calceis enim in publico, domi soleis utebantur. *Idem.*

Circulatorem quendam auctionum] Solitum circumeundo, et ab una ad aliam se convertendo, nescio quam operam auctionibus dare. *Idem.*

Hispali] In Hispania ulteriore, Bætica dicta, cui præerat Asinius, juridici conventus quatuor fuere, Gaditanus, Cordubensis, Astigitanus, Hispalensis. Plin. III. 1. *Manut.*

Singulæ quædam cohortes] Non tota simul legio, sed cohortes quædam, sejunctæ ab aliis cohortibus. *Idem.*

Si quod jussistis, sed] Conjicio, *Quodcunque imperassetis facturum fuisse, sicut, quod non jussistis, feci*, nempe eo animo erga rempublicam. *J. F. Gronov.*

(33.) *Pollio Ciceroni S. P.*

Anno U. C. 710.

Palparer] In prima Pollionis Epistola: 'Unas enim post Idus Martias demum a Pansa litteras accepi, in quibus hortatur me ut senatui scribam,' &c. Purgat se quod non Pansæ litteris parnerit, senatuique scripserit; consilium enim ejus non sapiens esse vult, reipublicæque inutile, et maxime contrarium rationibus ejus, qui se quæ polliceretur senatui, posse præstare, et ad exitum perducere vellet. Cum enim respublica suo exercitu in Italia indigeret, Lepidusque cum Antonio consentiret, si ipse Pollio tam aperte senatui scripsisset se in ejus fore potestate, auctoritatemque ejus velle defendere, non potuisset suas copias in Italiam per Lepidi provinciam trajicere: nec enim commeatus suppeditasset Lepidus ei, qui contrariis partibus palam auxilio veniret. Cum igitur quod Pansa suadebat, contrarium esse velit, docet se recte texisse consilium suum, bonaque mente semper Lepido ostendisse, se Antonii salutis rationem habiturum, ut rempublicam juvare posset, et ut Lepidum falleret. *Victor.*

In contrariam partem] Dicerent, me in Italiam venisse, non ut reip. sed ut Antonio opem ferrem. *Manut.*

Non major tamen, quam Planco] Mecum, inquit, agatur iniquissime, si propter amicitiam, quæ mihi cum Antonio fuit, durius quidquam homines de me suspicentur; cum eundem Antonium haud minus, quam ego, dilexerit Plancus; cui tamen vos confidere cognovi, accersito simul cum Lepido in Italiam, ut Antonium bello persequerentur. Dolet, melius erga remp. animatum inimicum suum existimari. Inimicitias, aut certe simultatem, ut credam jam tunc fuisse inter Asinium et Plancum, adducor iis, quæ scripsit Plinius in præfatione librorum suorum ad Vespasianum. *Idem.*

Ex Gallia Lepidi] Est ea Gallia, quam tum Lepidus tenebat. *Græv.*

L. Fabatum] 'Fabatus' Rosciæ gentis cognomen Lanuvio municipio oriundæ. L. autem hic Fabatus descriptus est in argenteo quodam denario. *Ursin.*

D. Carfulenum] Qui cohortem prætoriam Cæsaris Octavii, et Martiam legionem ad Pansam venientem de-

duxerat. *Corrad.*

Quartam] Cum de cæsis Antonii legionibus mentio fiat; Quarta vero non Antonii, sed Hirtii fuerit, qui, ut in Phil. XIV. legitur, eduxit e suis castris contra Antonium et Quartam, et Septimam; et hic statim Hirtii Quarta nominetur, suspicari de mendo facile possum: et fortasse pro *Quarta*, legendum *Secunda*, non magna mutatione; nam *IV* et *II* non admodum differunt. Secundam autem cum Antonio fuisse, patet Galbæ Epist. 30. et Phil. V. *Manut.*

Pontium Aquilam] Unum ex percussoribus Cæsaris, legatum hoc tempore D. Bruti: qui T. Munatium Plancum, Antonii ducem, paulo ante prælio vicerat: ut est in Phil. XIII. et apud Dionem lib. XLVI. Periit in eadem pugna cum Hirtio. Vide ad Brut. Epist. 15. *Idem.*

Equitum] Numerus equitum desideratur in omnibus antiquis libris, præter unum minime recentem, in quo est, *Equitum* $\overline{V}$, id est, quinque millia. Nam veteres numerorum notæ, ducta supra linea, millia significant. Eam vero lineam sæpe a librariis omissam esse, ignorat nemo. *Idem.*

Tres] Falsum. Vide Epist. 34. et XI. 10. 'Sub signis' autem, pro non passim, sed ordinatim. *Idem.*

Septima] Fortasse aliter legendum; nam septima cum Hirtio fuit. Phil. XIV. *Idem.*

(34.) *M. Lepidus Imp. Iter. Pont. Max. M. T. C. S. P. D.*

Anno U. C. 710.

Itev.] Pro *iterum* scriptum esse credimus: conjungitur autem cum priore dictione *Imperator*. Nam quoties felici aliquo prælio facto imperatores ab exercitu appellati essent, toties in memoriis titulisque notabant. Quod ex numismatibus, et lapidibus antiquis tam clarum et testatum est, ut non necesse sit id magis confirmare; nam ad sequentem dignitatem nullo modo pertinet: non enim acceptum semel id sacerdotium aliquis nisi morte amittebat. *Victor.*

Ab confluente Rhodano] Ubi Lugdunum.

Argenteum] Argenteum amnem Plinius nominat in Gallia Narbonensi.

Habebat antea] M. Antonius. *Manut.*

Inermorum] Pro *inermium*, antique. Epist. II. 12. et 14. ad M. Brutum. Sallustius in Jug. 'Ab inermis pedibus auxilium petere.' Quadrigarius apud Gell. XVII. 2. *Idem.*

Amplius equitum] Numerus ex vetustis omnibus libris excidit.

Contra nostram voluntatem] Immo ex ipsius voluntate: occulte enim favebat Antonio. Vide Dion. lib. XLVI. *Manut.*

Proinde diligenter] Æque diligenter; nam *proinde* interdum valet *perinde*. Idem.

Et illa superiora] Cum ei statuam equestrem inauratam in rostris ponendam censuit. Vide Phil. V. *Idem.*

(35.) *Lepidus Imp. Iter. Pont. Max. Senat. Pop. Pl. Q. R. S. D.*

Anno U. C. 710.

Consuetudinem suam in conservandis civibus] Egregia tantæ proditionis excusatio. Sed alludit, quod refert Suetonius, Julium acie Pharsalica victorem, proclamasse, ut civibus parceretur, et cuique suorum, quem vellet, unum partis adversæ servare concessisse, cap. 75. *J. F. Gronov.*

Coëgit] Hoc et Dio, et Velleius, et alii prodiderunt. Vide ad hanc sententiam Planci verba, Epist. 21. Hostis tamen Lepidus est judicatus. *Manut.*

LIBER XI.

(1.) *D. Brutus M. Bruto, et C. Cassio S.*

Anno U. C. 709.

Provinciam] Galliam citeriorem, a Cæsare ipso, dum viveret, D. Bruto assignatam; mox, Cæsare mortuo, a senatu confirmatam, Suetonius in Augusto, Appianus, Dio, alii. *Manut.*

Legationem liberam] Legationes liberæ privatarum rerum causa senatoribus dabantur; tum quod iis, non permittente senatu, abesse non licebat; tum etiam, ut essent honoratiores apud exteras nationes, addito legationis nomine. Epist. ad Att. II. 18. XV. 11. et in Orationibus in Rullum; pro Flacco. *Idem.*

Aut aqua et igni interdicamur] Hæc est Gruteri lectio; sed Vict. Man. et Lamb. *aut aqua et igni nobis interdicatur.*

Præter Sex. Pompeium] Magni F. in Iberia. *Bassum Cæcilium*] in Syria. *Corrad.*

De Cæsare] De Cæsaris morte. *Idem.*

Invidiam] Odium. Indignarentur, inquit, boni cives, vindices libertatis egere præsidio. *Manut.*

(2.) *Brutus et Cassius Prætt. M. Antonio Cos.*

Anno U. C. 709.

In tua potestate] Percussores Cæsaris, data Antonio et Lepido fide, et ab eis vicissim accepta, de Capitolio, quo post Cæsaris necem populi metu confugerant, descenderunt, Cassiusque se Antonio, Brutus Lepido credidit. *Manut.*

Nostros necessarios] Qui, ut iis præsidio essent, in urbem convenerant. De M. Bruto vide Phil. X. 3.

Ara] Vide Epist. IX. 14.

Nec quidquam aliud libertate communi quæsisse] Genus loquendi sumptum a Græcis, pro, nec quidquam aliud, præter libertatem. Sic et Horat. Epist. I. 16. 20. 'Neve putes alium sapiente bonoque beatum.' Et Epist. II. 1. 240. 'alius Lysippo.' *Manut.*

Denuntiatum esse] Ut in urbem frequentes convenirent. *Idem.*

(3.) *Brutus et Cassius Prætt. Antonio Cos. S. D.*

Anno U. C. 709.

Simillimas edicti tui] Quo idem supplicium minabatur optimis civibus, quod Cicero de sceleratissimis sumpsisset, ut in Philippica tertia legitur. *Corrad.*

Edicto postulassemus] Licebat enim magistratibus de eo, quod ad officium eorum pertinet, edicere. Postulaverant autem, quia ultra decem dies essent ab urbe abfuturi, ut consule ad senatum referente legibus solverentur, quod nisi factum esset, ultra decem dies peregre esse non poterant. Phil. II. 13. *J. F. Gron.*

Nuntiis trans mare missis] Præsertim in Asiam ad Trebonium, et in Bithyniam ad Tullium Cimbrum. *Corrad.*

Concordiæ ac libertatis causa] Ideo enim abesse cupiebant, ne qua in urbe seditio propter Cæsaris mortem concitaretur. Timebant autem potissimum veteranos. Epist. 2. *Manut.*

Judicium nostrum] Judicio enim nostro, non armorum tuorum timore, nihil novi cogitamus. *Idem.*

Quam non diu regnarit] Regnavit, absoluta potestate, nullo Pompeianarum partium metu, post victos in Hispania Pompeii liberos, quinque tantum menses. Rediit enim Octobri mense: occisus est Idibus Mart. quod Velleius lib. II. Fasti Capito-

lini, et aliorum testimonia docent. *Idem.*

(4.) *D. Brutus Imp. Cos. Design. Ciceroni S. D.*

Anno U. C. 709.

Inalpinos] Qui Alpibus inhabitant.

(5.) *M. Cicero D. Bruto Imp. Cos. Des. S.*

Anno U. C. 709.

Quæ maxime optabam] Te scilicet Antonio provinciam nolle tradere. *Manut.*

Si enim iste] M. Antonius, qui Bruto provinciam conabatur eripere. *Idem.*

Ut principiis] Ut, quemadmodum rege, ita nos dominatu regio liberes. *Idem.*

(6.) *M. Cicero D. Bruto Imp. Cos. Des. S.*

Anno U. C. 709.

In senatu] Vide Philipp. III.

In concione] Vide Philipp. IV.

(7.) *M. Cicero D. Bruto Imp. Cos. Des. S.*

Anno U. C. 709.

Adhibuisset] Hic 'adhibere' significat quod alibi plenius 'in consilium adhibere.' Coëgerat autem familiaris D. Bruti Lupus Ciceronis domi consilium amicorum Decimi, ut illorum sententias de re Bruti exquireret, in quod etiam Ciceronem adhibuerat, id est, admiserat et receperat. *Victor.*

Nondum liberi] Erant enim in senatu, qui Antonio faverent, in primisque Q. Fusius Calenus. *Manut.*

Consulem] M. Antonium, quem reliquerunt, Octavium sequentes. *Corrad.*

(8.) *M. Cicero D. Bruto Imp. Cos. Des. S.*

Anno U. C. 710.

Polla tua] Id est, Valeria Paulla, uxor tua. *Polla* autem et *Paulla* dicebant veteres ἀδιαφόρως, ut 'caupo,' 'copo;' 'olla,' 'aula;' 'plostrum,' 'plaustrum,' &c. *Lamb.*

Expectationem legatorum] L. Pisonis, L. Philippi, et Servii Sulpicii, qui ad Antonium erant profecti. *Corrad.* Vide Epist. XII. 4. et Phil. VI.

(9.) *D. Brutus M. Ciceroni S. D.*

Anno U. C. 710.

Coss. sublatis] Hirtio et Pansa, in Mutinensi prælio. *Corrad.*

Elabatur] Elapsus tamen est, itinere facto difficillimo. Vide Epist. X. 17. 33. 34. et hoc lib. Epist. 10. *Manut.*

Ventosissimum] Levissimum, atque inprimis mobilem. Epist. ad M. Brutum: 'Datum Lepido tempus est, in quo levitatem ejus, sæpe perspectam, majoribus in malis experiemur.' *Idem.*

Pollione Asinio] Qui longius aberat, quam Lepidus; præerat enim Hispaniæ citeriori. Epist. X. 31. *Idem.*

Puto] Propter amicitiam. Non dubito, quin ille tibi suum sensum patefaciat. *Idem.*

Recte facturum nunquam] Favebat Lepidus Antonii partibus, tum quod percussores Cæsaris oderat, tum etiam, quod ejus filio nupserat Antonii filia, ipseque Antonii consulis beneficio pontifex max. in locum Cæsaris creatus erat. Appianus, Dio, Plutarchus. *Idem.*

Regii] 'Regium' cognomento 'Lepidum,' ante 'Forum Lepidi' appellatum, unde etiam Ciceroni 'Regium Lepidi' dicitur, est oppidum Galliæ Cispadanæ in via Æmilia, etiam nunc clarum, hodie *Reggio.* Vide pluribus de hoc oppido disputantem Ph. Cluver. Ital. Antiq. I. 27. *Græv.*

(10.) *D. Brutus M. Ciceroni S. D.*

Anno U. C. 710.

Gratiorem me esse] Videtur exci-

disse particula *nec*, ut fuerit *nec gratiorem;* hoc sensu: Nec arbitror, me tam gratum posse esse tibi, quam isti malevoli sunt in me perversi. *J. F. Gronov.*

Exploratum habes (sint, an hæc temporis videantur dici causa) malle me tuum judicium] Sic videtur legendum. Quæ isti, qui mihi obtrectant, prætexunt; hæc, sive revera ita se habeant, sive ab eis fingantur temporis causa; tu dubitare non debes, quin ego placere tibi malim, quam istis omnibus. *Idem.*

Vacivitas] Ad hanc lectionem *injiciat vacivitas* ducunt nos vestigia fere omnium librorum, qui aut *civitas* aut *novitas* præ se ferunt. Quem consensum librorum cur repudiemus non est. Plautus Curcul. 'Ita cibi vacivitate venio laxis lactibus.' Sic 'ædes vacivæ,' et 'aures vacivæ.' *Græv.*

Litteris commendari] Est litteris mandari, credi. Suspicionem autem de Octaviano significat, qui consulatum petiit; non adeptus, patriæ bellum intulit. *Idem.*

Ad Vada] Scilicet Sabatia, seu Sabatorum. Sabata erat oppidum maritimum in ora Genuensi præcipuum, non longe Savona distans, cui adjacent campi palustres, qui *Vada* dicuntur, et *Vada Sabatorum*, seu *Sabatia*, quæ describit Lucan. lib. I. 'Quaque jacet littus dubium,' &c. Ibi etiam portus fuit Vadorum Sabatiorum, cujus meminit Plin. III. 5. Is hodie dicitur *Vadi*, sive contracte *Vai*, vulgo *Ve*. Vide Cluver. Ital. Antiq. I. 8. *Idem.*

Neque Cæsari imperari potest] Qui jus imperii habeat ipse, et nullum sit imperium majus, quia consules non sunt. *Gronov.*

Nec Cæsar exercitui suo] Quia non justo delectu scriptus est, sed tumultuarie collectus et sine disciplina. *Idem.*

Homines interpellent] Videntur prohibuisse, ne pecunia in stipendium militum ex ærario decerneretur. Epist. 26. *Idem.*

Ut meæ rei familiaris sit liberum quicquam] Ut rationes explicatas habeam, in ære alieno vacem. Vide de Pec. Vet. II. 7. *Idem.*

Septenum numerum] Nec 'septenæ legiones,' nec 'septenus numerus' hic prisci Quirites agnoscerent. Hittorp. *Septem nunc numerum legionum alo.* Sane τὸ *nunc* in nullo meo, in nullo Palatino, in nullo Gulielmiano post numerum ponitur. Legendum itaque censeo, *septem nunc numeros legionum.* 'Numeri' sunt cohortes, uti sæpe apud Tacit. Sic et legendum in Epistola Cassii XII. 13. 'Græcorum militum numeros, speciem exercitus effecit,' ubi vulgo, *Græcorum militum numero.* Græv.

Varronis] Corradus alludi putat ad Varronis librum Περὶ Πλούτου. Manutius *Varonis*, sive *baronis*, mavult, ut Antonius notetur, qui thesauros Cæsaris rapuerat, et aliorum. *Cellar.*

Dertona] Urbs Liguriæ fuit inter Genuam et Placentiam sita, colonia Romanorum. In inscriptione antiqua dicitur 'Julia Dertona.' Hodie *Tortona.* Vide Cluver. Ital. Antiq. I. 10. qui ibi hunc locum laudans, scripsit *Ex castris Dertonæ.* Græv.

(11.) *D. Brutus Imp. Cos. Des. M. Ciceroni S. D.*

Anno U. C. 710.

Galliæ] Cisalpinæ; nam Transalpina ad Planci pertinebat imperium, excepta Narbonensi, quam Cæsar, cum ei finitima Hispania, Lepido regendam attribuerat. *Manut.*

Quæ istic opus erunt administrari] 'Hæc opus sunt' Latine dici scio: 'hæc opus sunt administrari,' quam Latine dicatur, videto. *Idem.*

Finibus Statiellensium] Hoc est, in agro, seu, ut barbari loquuntur, ditione Statiellensium. Aquæ Statiellæ, seu Aquæ Statiellonum, urbs Ligu-

riæ, inter Dertonam, et Vada Sabatia, hodie vulgari vocabulo appellatur *Acqui*, et ab incolis *Aich*. Cives hujus urbis *Statiellenses*, tota vero gens *Statiellates*, posterioribus scriptoribus *Aquenses*. Vide Cluver. de Ital. Antiq. I. 10. *Græv.*

(12.) *M. Cicero D. Bruto Imp. Cos. Des. S.*

Anno U. C. 710.

Alii facti sunt] Non iidem sunt, qui erant: mutati sunt. Plautus in Trin. 'Verbis paucis quam cito alium fecisti me!' *Manut.*

Is bellum confecerit, qui Antonium oppresserit] Idem X. 13. 19. 20. *Idem.*

(13.) *D. Brutus M. T. Ciceroni S. D.*

Anno U. C. 710.

Convenissem] Conveniri noluit. Appianus libro tertio. *Manut.*

Impeditissimus] Quia cœnosus.

Pollentiam] Plin. III. 5. oppidum Liguriæ supra Albam, haud procul Tanari ac Sturæ confluentibus, nunc exiguus vicus, vulgo *Polenza*. Græv.

Trebellius] Quem fraudatorem creditorum Cicero in Philippicis vocat. *Corrad.*

(14.) *M. T. C. D. Bruto Imp. Cos. Des. S. P. D.*

Anno U. C. 710.

Decemviris] Aut creatis, aut creandis, qui consulatus ab Antonio gesti rationem reposcerent. Appianus lib. III. et Epist. 20. 21. et ad Att. XV. 19. *Manut.*

Adolescente] Octaviano. *Idem.*

Frigeo] Languidiores factæ sunt actiones meæ. Ὄργανον, *instrumentum*, quo utebar; quo dissoluto, quid agere possum? itaque plane jam frigeo. *Idem.*

Σκιαμαχίαι] *Umbratiles pugnæ.*

De Bruto arcessendo] De M. Bruto, qui erat in Macedonia. *Corrad.*

Ex Africa] Vide Epist. X. 24.

Die tuo natali] Vide Epist. ad M. Brutum, cujus initium, 'Messallam.' *Manut.*

Retexunt superiora] Irrita faciunt, et vana. Cic. in Verr. II. 'Omnia erant Metelli ejusmodi, ut totam illius præturam retexere videretur.' Hoc est, illius acta rescindere. Non male Hittorp. et Stewech. *Hi novi timores retexunt superiora.* Græv.

(15.) *M. T. C. D. Bruto Imp. Cos. Des. S. P. D.*

Anno U. C. 710.

Planco collegæ mandasti] Jam se Plancus Bruto conjunxerat. Velleius lib. II. 'Plancus dubia, id est, sua fide, diu quarum esset partium, secum luctatus, ac sibi difficile consentiens, et nunc adjutor D. Bruti, collegæ sui, mox ejusdem proditor.' *Manut.*

Magistro brevitatis] Brevitatem in scribendo amabat Decimus. Epist. 24. 25. *Idem.*

(16.) *M. T. C. D. Bruto Imp. Cos. Des. S. P. D.*

Anno U. C. 709.

Relegatus est] Vide Epist. XII. 29. et Orat. pro Sextio, et pro Domo. *Manut.*

Magnificentissimo] Vocem hanc in editionibus Manutii et Lambini antecedit *usus*; quod idem valet ac 'functus,' et facile abesse potest. Victorium sequimur.

Mitte ad Lupum nostrum] Pro, significa Lupo nostro. Modus loquendi Tullio familiaris. Ad Att. XIII. 10. 'Hodie Spintherem expecto: misit enim Brutus ad me.' Et ad Tironem, XVI. 9. 'Curio misi, ut medico honos haberetur.' *Manut.*

(17.) *M. T. C. D. Bruto Imp. S. D.*

Eodem anno U. C. 709.

(18.) *M. T. C. D. Bruto Imp. Cos. Des. S. D.*

Anno U. C. 710.

Galbæ] Vide Epist. X. 30.

Victoria] Mutinensi. *Manut.*

Gratulatione] Hoc est, gratiarum actione. Est proprium in hac re verbum, cum in supplicationibus Diis gratias agunt. *Græv.*

(19.) *D. Brutus M. T. Ciceroni S. P. D.*

Anno U. C. 710.

Pauloque] L. Æmilio Paulo, qui consul fuerat cum C. Marcello. Epist. xv. 12. Frater fuit M. Lepidi, eoque mox triumviro proscriptus est. *Manut.*

Vicetini] *Vicentia* oppidum mediterraneum in Venetorum finibus, hodie *Vicenza*. Incolæ in monumentis antiquis modo *Vicetini*, modo *Vincentini* dicuntur. Vide Cluv. Ital. Antiq. I. 18. *Græv.*

Vernarum] Vernis comparat Vicentinorum adversarios, ut homines nequam abjectosque significet. *Manut.*

Inertissimum] Blanditur, quod in his duobus optimis libris, Hittorpiano et Palatino, legitur, *incertissimum*. Hoc est, infidum, inconstans. *Græv.*

Vercellis] Plin. III. 17. Oppidum Galliæ transpadanæ. *Idem.*

(20.) *D. Brutus Imp. Cos. Des. M. T. Ciceroni S. P. D.*

Anno U. C. 710.

Sui simillimus] Idem, qui solet esse. Accipiendum in malam partem. *Manut.*

Tollendum] Ambiguum verbum; nam et ad honorem, et ad necem pertinet. Velleius lib. II. 'Hoc est illud tempus, quo Cicero, insito amore Pompeianarum partium, Cæsarem laudandum et tollendum censebat; cum aliud diceret, aliud intelligi vellet.' Suetonius in Augusto: 'Ut cognovit, Antonium post fugam a M. Lepido receptum, ceterosque duces et exercitus consentire pro partibus; causam optimatium, sine cunctatione, deseruit, ad prætextum mutatæ voluntatis dicta factaque quorundam calumniatus, quasi alii se puerum, alii ornandum tollendumque jactassent, ne aut sibi, aut veteranis par gratia referretur.' *Idem.*

In decemviris] Creatis. Ut quæ senatus legionibus exercitusque pollicitus erat, persolverent, distribuerentque. *Corrad.* Ideo creatis, ut ab Antonio gesti consulatus rationem reposcerent. Epist. 14. et 21. Appianus lib. III. *Manut.*

Prius ut Alpes transgrederer] Mendosus videtur Epistolarum ordo; nam si nondum Alpes transgressus est, conjungi Planco nondum potuit. At conjunctus videtur Epist. 15. *Idem.*

Eos] Veteranos. *Corrad.*

Totam istam cantilenam] Totum hoc quod isti jactant, atque in te conferunt. *Cantilena* enim, et id, quod canitur, et id, quod crebris sermonibus usurpatur. *Manut.*

Ab utrisque nobis] Manut. *ab utrisque nostrum*; Lamb. *ab utroque nostrum.*

Eporedia] Plin. III. 17. Colonia Romanorum in Transpadana Gallia, Sibyllinis libris a populo Romano condi jussa in faucibus Salassorum vallis, inter duo altissima juga in edito vertice, munimentum contra Salassos: hodie *Ivrea*. Alii vero scribunt *Eporædia*. Vid. Cluv. Ital. Antiq. I. 13. *Græv.*

(21.) *M. T. C. D. Bruto Imp. S. P. D.*

Rex] Ex ambiguo dictum. *Corrad.*

Hanc ipsam] Vel hæreditate acceptam, vel a C. Cæsare, cum viveret, donatam. Quod verisimilius videtur. Nam et Octaviani amicus erat; et veteranis favebat, ut ex Epistola superiore intelligitur: et verbum 'devoravit' usurpatur Philip. XII. de veteranis. Fortasse igitur et hic Segulius ex veteranis Cæsaris militibus unus fuit. *Manut.*

Recentem novam] Ita differunt 're-

cens' et 'novum,' ut 'vetus' et 'antiquum.' Potest enim 'recens' aliquid esse, quod 'novum' non sit. Ut 'recens' hereditas, quæ alicui nuper obtigit, non tamen 'nova,' cum aliæ possint hereditates eidem antea contigisse. 'Novum' est enim, non quod nuper, sed quod nunc primum habemus; 'recens' vero, non quod nunc primum, sed quod nuper. Et 'novum' ad rem, 'recens' ad tempus refertur. Propterea, ut simul utrumque significetur, conjunguntur. *Idem.*

(22.) *M. T. C. D. Bruto Imp. S. P. D.*
Anno U. C. 710.

Caii F.] Distinguit ab aliis, qui eodem prænomine et nomine utebantur. *Manut.*

Conservatum velis] Ne hostis cum Antonio judicetur, quandoquidem eum secutus erat. *Idem.*

Propter patris restitutionem] Videtur pater ejus, cum exularet, ab Antonio consule in patriam restitutus. *Idem.*

(23.) *D. Brutus M. T. Ciceroni S. P. D.*
Anno U. C. 710.

Essent alienu] Apud Lepidum. Si scilicet cum Antonio sentiret. *Corrad.*

Tribus] Cæsaris, Planci, et meo.

Propriis reip.] Fidis et certis in defensione causæ publicæ. Sed opinio eum fefellit. Mox enim Octavianus et Plancus accesserunt Antonio. 'Proprium' eleganter constans, perpetuum. Terent. Andr. IV. 3. 1. 'Nihilne esse proprium cuiquam?' Plaut. Mostell. I. 3. 68. 'Atque illum amatorem tibi proprium futurum in vita.' *J. F. Gron.*

Si frenum momorderis] Id est, si nostris invidis et malevolis, qui velut freno coërcere te volunt, ostenderis te resistere et coërceri nolle. Ab equis contumacibus et refractariis desumpta translatio. Libertatem experiri. Sall. Jug. XXI. *Idem.*

(24.) *Cicero D. Bruto S. P. D.*
Anno U. C. 710.

Vigiliam meam] Id est, curam meam. Translatio ab excubantibus militibus, qui succedunt per vigilias. *Manut.*

Multa enim Romæ] Multa dicuntur ejusmodi, ut in Italia diutius morandum tibi non esse videatur. *Manut.*

Servium] De quo, Epist. 7. hujus libri. Alii *Servilium*, Isaurici filium.

(25.) *M. T. C. D. Bruto S. P. D.*
Anno U. C. 710.

Intestinum urbis malum] Erant enim, qui Octavianum, interfectis Pansa et Hirtio consulibus, ad petitionem consulatus impellerent. Epist. X. 24. et ad M. Brutum, 14. *Manut.*

Λακωνισμὸν tuum] *Laconicam*, qua tu soles uti, *brevitatem*. Idem.

(26.) *D. Brutus Imp. M. T. Ciceroni S. P. D.*
Anno U. C. 710.

Maximo] Man. Lamb. *in maximo.*

Ista] Conjunctionem Lepidi cum M. Antonio. *Corrad.*

Deliberent] Ironia cum stomacho. *Manut.*

Brutum] M. Brutum, qui erat in Macedonia. *Idem.*

Magnum] Verissimum augurium; nam, Novembri mense inita inter Lepidum, Antonium, Octavianum societate, et omnes, et omnia periere. Velleius, Plutarchus, Appianus, Dio. *Idem.*

(27.) *M. Cicero Matio S.*
Anno U. C. 709.

Formianum] Est villa Ciceronis, in medio oppidorum Formiæ et Caietæ in litore posita, unde etiam 'Caieta' dicta est, et 'villa Caietana,' in qua Cic. postea fuit cæsus. Etiam nunc

hodie visuntur ejus reliquiæ et rudera, diciturque *la villa di Cicerone*. Cluver.

Venisses] Manutius *venissem*.

Trebulano] Trebulæ in agro Sabino fueruut, ubi nunc est oppidum *Mons Leo* vocatum, cujus ad radices antiqui lapides, inscripta Trebularum mentione, aliquot extant: quibus etiam lapidibus intelligitur id, quod ait Servius in illo Virgilii versu, 'Hereti manus omnis, oliviferæque Mutuscæ.' Plin. III. 12. 'Trebulani, qui cognominantur Mutuscei.' *Manut.*

Veni Brundusium] Post pugnam Pharsalicam Cicero, armorum odio et victoriæ desperatione, in Italiam rediit. Ad Attic. II. 5. 6. *Idem.*

Φιλοσοφούμενα] Libros de Finibus, Tusculanas Quæstiones, et alia, quæ scripsit afflicta repub. *Manut.*

Suffragium tulisse in illa lege] Opinor legem significari, quam Cæsar, ut scripsit ipse de Bell. Civ. lib. III. pro debitoribus tulit, ut arbitri darentur, per quos fierent æstimationes possessionum et rerum, quanti quæque earum ante bellum fuissent, atque eæ creditoribus traderentur. Hoc eo magis existimo, quod ad hanc partem respondens Matius, 'Res,' inquit, 'mea familiaris lege Cæsaris diminuta est.' *Idem.*

Ludorum] Epistola sequenti. *Corrad.*

(28.) *Matius Ciceroni S.*
Anno U. C. 709.

Ut par erat, tuæ singulari bonitati et amicitiæ nostræ] Ita leg. et distinguendum est. Sic de Divin. lib. II. 'Casum autem prælii nemo nostrum erat, quin timeret, sed ita ut constantibus hominibus par erat, non aperte.' *J. F. Gronov.*

Lege] Vide superiorem Epist.

Ludos] Eos, ut opinor, de quibus Plin. II. 45. 'Cometes apparuit ludis, quos faciebat Augustus Veneri Genitrici, non multo post obitum patris Cæsaris.' Et Suetonius: 'Ludis, quos primos consecratos ei heres Augustus edebat, stella crinita per septem dies continuos fulsit.' Et Dio lib. XLV. 'Ludos fecit suis sumptibus, ob perfectam Veneris ædem.' *Manut.*

Cæsaris victoriæ] Voverat enim Cæsar ædem Veneri Genitrici, si Pompeium prælio Pharsalico devicisset. Appian. *Idem.*

Cæsare] Sic emendavimus ex Ms. cum antea legeretur *Cæsari*. Idem.

(29.) *Cicero Oppio S.*
Anno U. C. 709.

Oppio] C. Oppio, Cæsaris amicissimo, quem secutus est in bello civili, fuitque legatus ejus in Africa. *Manut.* et *Sigon.*

LIBER XII.

(1.) *M. T. C. C. Cassio S. P. D.*
Anno U. C. 709.

Illud malum] Tumultus, a sceleratis et servis de Cæsaris sepultura et columna excitatus. *Corrad.* Vide Suet. Jul. cap. 85. et Philipp. I.

Compressa] Primus hanc lectionem immutavit Manutius, et supposuit *compressum*. Sed *compressa* sensum respicit, non præcedentem vocem. *Compressa* est turba, et seditio hominum perditorum, qui tectis et templis et bonis viris minabantur. Hoc

enim erat illud malum, quod serpebat in dies et gliscebat. Sic Fam. I. 9. 'Primum illa furia muliebrium religionum, qui non pluris fecerat Bonam Deam, quam tres sorores.' Ut bene restituit Victorius. *Græv.* Et ipse tamen Grævius *compressum* legi vult in emendandis, tomo suo II. pag. 416. Posteriores cogitationes, an sapientiores? *Olivet.*

Sordidissimo] Quod ab infima plebe, atque a servis etiam impendebat. *Manut.*

Tabulæ figuntur] Æreas tabulas in publico figebat Antonius, decretum aliquod Cæsaris, aut beneficium continentes: quasi scriptum id reperisset in Cæsaris commentariis. Phil. V. 4. et Att. XIV. 12. *Idem.*

Immunitates dantur] Homines et populi stipendiarii et vectigales tributis liberantur. Phil. V. 4. *J. F. Gronov.*

Describuntur] Vel indicuntur et colliguntur, Justin. XVI. 3. vel assignantur et ex ærario tribuuntur, ut fere et Manutius, sed exemplis utitur non convenientibus. Terent. Phorm. V. 7. 29. 'Illud mihi argentum jube raptim rescribi, Phormio. PH. Quodque ego descripsi porro illis, quibus debui.' *Idem.*

Æra refigere] Leges antiquare, abrogare. *Æra* sunt leges aëneis tabulæ, incisæ, proprie ipsæ tabulæ, quibus leges inscriptæ. *Græv.*

(2.) *M. T. C. C. Cassio S. P. D.*
Anno U. C. 709.

Orationem meam] Secundam in Antonium, quæ extat. *Manut.*

Homo amens] M. Antonius. *Idem.*

Pisoni] L. Calpurnio Pisoni, C. Cæsaris socero. Vide Philipp. I. *Id.*

P. Servilio] Isaurici filio, qui consul fuerat cum C. Cæsare. *Idem.*

A. d. XIII Kalend. Oct.] Tota res ita se habet. Cum Cicero, post interitum Cæsaris, primum desperata repub. in Græciam abire cogitasset; deinde, allata spe quadam libertatis et otii, mutato consilio ad urbem revertisset; M. Antonius consul Kalend. Sept. de supplicationibus relaturus, eum de more in senatum vocavit. Cicero misit, qui se excusarent, quod de via langueret. Ille iratus, fabros se missurum, et domum illius disturbaturum esse, audiente senatu, dixit. Venit Cicero postridie in senatum, id est, IV Non. Sept. et locutus est, absente Antonio, de rep. liberius, quam pericula minæque postulabant: eaque nunc extat oratio, Philippicarum prima. Tum Antonius, furore percitus, adesse eum jussit in senatu ad XIII Kal. Oct. ipse interea totum illud spatium, quod est a quarto Non. Sep. ad XIII Kal. Oct. commentatus est in Tiburtino Metelli, quæ contra Ciceronem diceret. Eo die in senatum, dissuadentibus amicis, Cicero non venit; sed mox accurate scripta oratione respondit, quæ inter Philippicas secunda legitur. *Idem.*

Tres esse consulares] L. Pisonem, qui primus; Ciceronem, qui secundus; P. Servilium, qui tertius in Antonium est invectus. *Manut.*

Nec est præterea] Hoc tamen effecimus, multi ut doleant tam malo exemplo, sed nihil ultra, quia nemo aliquid audet, et qui maxime potentes fovere vestram causam deberent, silent. *J. F. Gronov.*

Tuus enim necessarius] Lepidus; nam Lepidus et Cassius duas M. Bruti sorores habebant uxores. *Corrad.*

Affinitate nova] Antonii filia suo filio uxore data. *Idem.*

Ludorum] Quia ludis Apollinaribus, quos prætor urbanus M. Brutus de more dederat, plaudi a populo viderat L. Cassio tribuno pl. fratri C. Cassii, propterea ludos non amplius amabat. Vide Epist. ad Att. XIV. 2. *Manut.*

Alter] Hujus nomen ignoratur. *Id.*

Vestro anno] Anno vobis destinato, post biennium; nam hoc anno præturam gerebant Brutus et Cassius, et præturam consulatus, interposito biennio, sequebatur. *Idem.*

L. Cotta] Aureliæ gentis, qui consul biennio ante Ciceronem fuerat. *Idem.*

L. Cæsar] Avunculus M. Antonii. Epist. IX. 5. 14. *Idem.*

Designatis] Consulibus, Hirtio et Pansa. *Idem.*

Si ne] Manutius ex uno Ms. *qui sive ad me referent, sive non.*

(3.) *M. T. C. C. Cassio S. P. D.*
Anno U. C. 709.

Amicus] M. Antonius. *Manut.*

Nonas Octob.] Pighius in Fastis ad annum U. C. 709. conjicit *Nonas Octavius productus, &c.* Gebhard.

Canutio] T. Canutio trib. pleb.

Legato tuo] Erat enim Cassius Syriæ proconsul. *Viaticum*] De publico dari solitum. *Manut.*

(4.) *M. T. C. C. Cassio S. P. D.*
Anno U. C. 710.

Me ad cœnam invitasses] Ad cædem Cæsaris. Epist. X. 28. *Corrad.*

Philippo et Pisone] L. Marcio Philippo, vitrico Octaviani, et L. Calpurnio Pisone, qui socer C. Cæsaris fuerat. *Manut.*

Certas res denuntiarent] Ita legendum. Juberent eum abstinere Mutina, dimittere exercitum, &c. Epist. 24. *J. F. Gron.*

Intolerabilia postulata] Phil. VIII.

In re salutari populares] Multi enim in re perniciosa populares, ut duo Gracchi, P. Clodius, C. Cæsar. *Manut.*

De Bruto] M. Bruto. *Corrad.*

Vituperabatur] Jocus est elegans in his verbis; nam senatus ademptam Dolabellæ Syriam Cassio dederat, Dolabella vero ita in Syriam iverat, quasi Cassio legitime successurus. Qua de re non insulsi, nec infaceti homines, nimium cito Dolabellam Cassio succedere, cavillabantur: itaque recipiendum omnino non esse, quoniam legitimum tempus, quo Cassius decedere deberet, expectare noluisset. *Manut.*

Constabat] Ideo constabat, eum recipi non oportere, quia tam cito succederet. Jocus; non enim succedere Dolabellam Cassio senatus voluerat, sed potius ereptam Dolabellæ Syriam Cassio tradiderat. *Idem.*

(5.) *M. T. C. C. Cassio S. P. D.*
Anno U. C. 710.

Brutus] M. Brutus. *Corrad.*

A prima enim ora Græciæ] Quam tenebat Brutus. *Usque ad Ægyptum*] Quam partem Cassius in potestate reip. continebat. *Manut.*

Claternæ] Oppidum Lingonum in Gallia Cispadana, nunc *Quaderna*, juxta amnem ejusdem nominis. Corrupte scribitur *Cliterna.* Tenuia supersunt nunc vestigia, quæ Ambrosius Epist. II. 8. jam suo tempore in ruinis jacuisse testatur. *Græv.*

Forum Cornelium] Et hoc oppidum Lingonum est ad viam Flaminiam; sic dictum a L. Cornelio Sylla. Hodie *Imola.* Idem.

Regium Lepidi] Oppidum Boiorum in Gallia Cispadana, quod et *Forum Regii* dicitur. Nunc *Reggio.* Idem.

Galliam] Cisalpinam. *Corrad.*

Sulpicii] In legatione ad Antonium vi morbi oppressi. Philipp. IX. *Idem.*

(6.) *M. T. C. C. Cassio S. P. D.*
Anno U. C. 710.

In te et Bruto] M. Bruto. *Corrad.*

Brutus Mutinæ] D. Brutus. *Idem.*

(7.) *M. T. C. C. Cassio S. P. D.*
Anno U. C. 710.

Nisi Pansa] Illa sententia captus, quæ dicta fuerat, et postea etiam in senatu valuit, ut coss. Dolabellæ

persequendi causa Asiam et Syriam sortirentur. *Corrad.*

Sententia] Mea, ut tu Syriam obtineres, et Dolabellam persequereris: Philipp. XI. *Idem.*

Invita socru tua] Servilia, M. Bruti et tuæ uxoris matre. *Idem.*

Offenderetur] Mea sententia, quæ provinciam illi eriperet, et tibi daret. *Idem.*

(8.) *M. T. C. C. Cassio S. P. D.*
Anno U. C. 710.

Confecto bello] Victoria Mutinensi.

(9.) *M. T. C. C. Cassio S. P. D.*
Anno U. C. 710.

Consulatus tui] Et M. Bruti: eodem anno consules futuri erant. *Manut.*

(10.) *M. T. C. C. Cassio S. P. D.*
Anno U. C. 710.

Sed maxime spe] Ms. codex *sed maxima spes;* quæ scriptura mihi præ aliis probatur. Potest et vulgata defendi commode. *Græv.*

Consilio atque auctoritate tua roboraremur] In nullis paulo antiquioribus libris *roboraremur* legi; et sane vacat, omnis enim periodi sensus ab extremo ejus verbo bis repetito pendet et regitur. Ut si hæc, inquit, ex sententia confecta essent, consilio atque auctoritate tua niteremur: sin quid forte titubatum (ut fit in bello) exercitu tuo niteremur. Ipse sententiam, structuramque verborum sine ea voce pulcherrime posse stare existimo. Quod autem inculcaverant verbum, etsi non malum est, non fortasse hic valde aptum, certe non necessarium. *Victor.*

(11.) *C. Cassius Procos. M. T. C. S. P. D.*
Anno U. C. 710.

Procos.] Non quia consul fuisset, verum quia proconsulari imperio Syriæ præesset. Nondum tamen ei Syria a senatu decreta fuerat. Decreta est enim post mortem Trebonii, ut Philippica XI. ostendit. Trebonius autem, cum hanc Epistolam scripsit Cassius, nondum perierat. *Manut.*

L. Murcum] L. Statium Murcum, qui tres legiones habebat. Phil. II. Appian. lib. IV. Dio lib. XLVII. Hunc postea Sex. Pompeius, Magni filius, cum ad eum, devictis Bruto et Cassio, se contulisset, virtutem ejus timens occidit. Dio lib. XLVIII. *Idem.*

Q. Crispum] Q. Marcium Crispum, ipsum quoque trium legionum ducem. Phil. II. Appianus, et Dio: quanquam Dio mendose *M. Crispum* vocat. *Idem.*

Quæ Romæ gererentur] Contra Antonium et Dolabellam, et pro ipso Cassio, tradita illi Syria S. C. *Idem.*

Q. Cæcilius Bassus] Qui præerat ei legioni, a Cæsare traditæ, cum de Parthico bello cogitaret. Phil. XI. Strabo lib. XVI. Dio lib. XLVII. Appianus lib. IV. *Manut.*

Allienus] Legatus Dolabellæ. Phil. XI.

Taricheis] Tarichea, oppidum munitum Palestinæ in Galilæa juxta lacum Tiberiadis. Plin. V. 15.

(12.) *Cassius Procos. M. Ciceroni Suo S. D.*
Anno U. C. 710.

Moliri] Apparare. *Moliri* enim absolute ponitur interdum. Terentius in Heaut. 'Dum moliuntur, dum comuntur, annus est.' *Manut.*

Occiso] Smyrnæ: quæstione primum tormentis habita pecuniæ publicæ, deinde cervicibus fractis, abscisso capite: quod affixum gestari in pilo, reliquum corpus trahi, atque laceratum in mare abjici Dolabella jussit. Phil. XI. Appianus lib. IV. Dio lib. XLVII. *Idem.*

Misere] Turpiter et infeliciter. Miser, quia noluit id, quod debuit. *Idem.*

Legionem] Al. *mihi legiones;* nam etsi in superiore etiam epistola *legionem* scribit, historia tamen habet, legioni, quæ Bassum mortuo Sexto Julio secuta est, alteram provincialem fuisse additam: ut supra primam, hic ambas intelligat. *Corrad.*

(13.) *Cassius Q. M. Ciceroni S. D.*
Anno U. C. 710.

Cassius] Non is, qui scripsit duas superiores Epistolas: ut infra. *Manut.*

Q.] Quæstor, alterius Cassii, ut opinor, ejus qui Cæsarem percussit. *Idem.*

Tum instauratione] XII Kal. Maii, quo die a toto pene populo in Capitolium est deductus, maximoque clamore et plausu in rostris collocatus. *Corrad.*

Reip. tenebris] Cæsare dominante, luce libertatis extincta. *Manut.*

Nec inconvenientia] Ita legitur in quinque libris antiquis, quos nunc habeo, et in aliis præterea, quibus olim sum usus: nec vero aliter postulat sententia. Duo veteres libri habent *disconvenientia;* nec improbo. Nam et Horat. Epist. I. 1. dixit, 'Æstuat, et vitæ disconvenit ordine toto.' Et Epist. I. 14. 'Non eadem miramur: eo disconvenit inter Meque et te.' Alii legunt *nec convenientia,* pro inconvenientia. Sua cuique sponsa, ut in proverbio est. *Idem.*

Non minimum] Adverbii loco. *Idem.*

Producendum] 'Produci' dicuntur, qui evehuntur ad dignitates, commendantur. Senec. Præf. Controv. lib. IV. 'Nisi illum magnitudo patris non produceret, sed abjiceret.' Augustus apud Sueton. Claud. cap. 4. 'Quid est quod dubitemus, quin per eosdem articulos et gradus producendus sit, per quos frater ejus productus fuit?' Vide ibi Casaub. *Grævius.*

Me excipere] Suscipere in curam tuam, et mihi suffragari ad honores, quibus me dignum putabis. *J. F. Gronov.*

Spem transitionis præbendo] Qui simulabat identidem sese jam deditum et ad nos accessurum, et tamen, cum audiret me venire, ulterius semper recedebat. Lege *recedendo.* Gron. Nihil quidem ausim contra tot veterum librorum consensum, qui hanc lectionem tuetur, nisi quod in Menteliano, omnia hæc verba omissa sint: tamen non abest, quin in animum inducam scripsisse Cassium, quod nonnullæ editiones præ se ferunt, *deducendo,* scilicet ex portu et statione; aut *recedendo,* quod solebant facere pugnam detrectantes, aut ex prælio fugam molientes, ut Iones apud Justin. II. 12. quod proprie vocabant 'inhibere remis.' Veteres enim ex prælio marino fugientes, non vertebant navem, ut puppibus quasi tergis inhærere victores possint; sed proram semper obversam habebant hosti, ac sic cessim remigabant ac retro, donec paulatim ex hostium conspectu se subducere possent, ut pridem viri doctissimi præceperunt. Dicit itaque Cassius Lucilium reducta classe sæpe spem transitionis fecisse, ejusque rei dedisse signa, sed semper (hoc enim est *neque unquam non,* pro quo vulgarius dicitur 'et nunquam non') simul ac propius illius classem venisset Cassius, recessisse, nec voluisse naves tradere. 'Decedere' autem hoc sensu non accipitur. Novi 'decedere' præfectos provinciis, præsidia de locis quæ tenebant, homines 'de via,' 'sententia,' 'jure,' 'moribus;' sed classem decedere ponto in adventu hostium, Latinis, si recte memini, non dicitur. *Græv.*

Corycum] Non hic mons intelligitur, ut docti interpretes existimant, sed oppidum Ciliciæ Corycus, 'quod portu saloque incingitur, angusto tergore continenti annexum,' ut Mela

ait I. 15. *Idem.*

Turulius] Qui postea secutus Antonium contra Octavium, tandem contemptæ religionis, Valerio auctore, Æsculapio pœnas dedit. *Corrad.*

Græcorum militum numero] Sc. coacto, tantam multitudinem paravit, ut sit instar justi exercitus. *J. F. Gronov.*

Πάλτῳ] Paltus, oppidum Syriæ. Plin.

Ternis tetradrachmis] Hoc est, duodecim drachmis, seu denariis, qui schellingis Batavorum respondent, venditur medimnus tritici. Nam apud Livium pro 'trium fere denariorum in singulis tetradrachmis argenti est pondus,' legendum *quatuor fere denariorum,* ut recte animadvertit Budæus de Asse, et Gronovius de Sestertiis. *Græv.*

Crommyacride] Verba Græca Latine prolata. Nam Κρομμύου ἄκρα Cypri promontorium est, auctoribus Strabone et Ptolemæo: ἀκρὶς autem diminutiva forma dictum. Cassius, cum Latine loqui vellet, ex duobus nominibus unum fecit, omissa una littera *u. Manut.* Integrum edidit Grævius *Crommyu-acride.*

(14.) *Lentulus Ciceroni Suo S. P. D.*
Anno U. C. 710.

Lentulus] Filius Lentuli Spintheris, ad quem sunt libri primi Epistolæ. Augur erat, ut lib. XXXIX. scripsit Dio. Quæstor in Asiam profectus erat cum Trebonio proconsule. Quo mortuo, proprætoris nomen assumpserat, quo majore auctoritate sociis imperare posset: nec tamen quæstoris officium intermiserat: itaque proquæstor vocabatur, ut inscriptio docet Epistolæ sequentis. *Manut.*

Mei laboris] Quæsturæ. *Corrad.*

Nos et remp. quam valde desperaverint] Quam insolentes erga nos fuerint, quod de rep. et bonis partibus actum putarent. Vide me ad Plin. XXII. 25. *J. F. Gronov.*

Et quidem multo parcius scripsi. Mirari noli] Nonnulli hic plura verba inculcant, quæ tradunt in manuscripto codice se invenisse. De quorum fide non dubito: videndum tamen est, an novæ sint, et ab aliquo adpositæ, quod quidem ego facile credo, nam duriusculus in illis sermo est, neque satis concinnus. Existimarunt fortasse imperiti aliqui homines elegantem locutionem *mirari noli* sine illis mancam esse, ideoque quod deesse crediderunt, restituere. *Mirari* autem *noli* arbitror hic dictum, ut in Epistola ad Sulpitium, 'noli quærere.' Nihil tamen de hac re statuimus. Quid suspicaremur, solum enuntiare voluimus: multæ hujusmodi maculæ sunt in impressis libris, quorum major pars ab aliquo manuscripto fluxit. Accepi postea a doctis viris, qui summo studio has Epistolas cum manuscriptis sex septemve exemplaribus contulerunt, in nullo eorum aliter atque in Mediceo legi. *Victor.* Suppositiitia illa servavit Lambinus. Sic enim edidit, *Et quidem multo parcius scripsi, quam revera furere eos inveni. Quod vero aliquid de kis scripsi, mirari, &c.*

Moverunt] Vocem hanc omittunt Vict. et Grut. Agnoscunt Lamb. et Car. Steph. Sed Manutius *nec in me ullæ,* et subaudit 'fuerunt.'

Fugientem] Ex acie Pharsalica.

Prædicasti] Philippica XI.

Illius facti] Cæsaris cædis, in qua hic Lentulus falso se Bruti et Cassii socium fuisse gloriabatur. *Corrad.*

Πατρίδα] *Patriam meam magis amans.* Integrum senarium recitat Plutarchus ἐν τῷ Πολιτικῶν Παραγγελμάτων· Φιλῶ τέκν', ἀλλὰ πατρίδ' ἐμὴν μᾶλλον φιλῶ. Quem dimidiatum, et parva quadam mutatione, Lentulus attulit. *Manut.*

Pergæ] Perga oppidum Pamphyliæ. Vide Plin. V. 27. et Mel. I. 14.

(15.) *P. Lentulus P. F. Proquæst. Propr. Coss. Prætt. Tribb. Pl. Sen. P. Q. R. S. P. D.*

Anno U. C. 710.

Proquæst. Propræt.] Quæstor fuit, vivo proconsule Trebonio: eo mortuo, proquæstoris, et proprætoris nomen assumpsit, præsidio comparato, ut provinciam ab injuria defendere posset. Infra. *Manut.*

Omnibus] Redundat, judice Græviо.

Divenditis] Manutius *divexatis.*

Duum millium amphorum] Antiquissimus grammaticus Julius Romanus admonuit, *amphorum* dici, cum additur numerus; *amphorarum,* per se; ut est apud Carisium. *Manut.*

Hæc] Non est, a quo verbo regatur; et subaudiri videtur 'faciunt.' *Idem.*

Viros clarissimos] Lentulum, et Pompeium. Epist. 14. *Idem.*

Maximos magistratus gerentes] Qui antea pari contumelia viros clarissimos affecerant, iidem nunc maximos magistratus cum gerant. *Idem.*

Neque vestra ex parte] Neque studio vestrarum partium. *Idem.* Quidam legi volunt *neque ulla ex parte;* et interpretantur, ne ulla quidem ex parte. Ego ex antiquæ scripturæ vestigiis repono *neque nostræ partis:* subintellige 'periculo,' seu repete ἀπὸ κοινοῦ. *Lamb.* Sed præstat lectio Hittorpiani, Stewechiani, Gruter. Amstelod. et mei secundi, *neque nostra ex parte;* hoc est, quod nostris partibus non erat proficuum. Alii dicerent *neque e re nostra.* Græv. Legendum *vestro,* ut referatur ad τὸ *periculo.* Quod quodammodo ad vos quoque pertinebat. *J. F. Gron.*

Neque nostro præsentium] Cic. pro Planc. c. 10. 'Cui nomen meum absentis honori fuisset, ei meas præsentes preces non putas profuisse.' Epist. ad Att. XI. 15. 'Solius enim mei peccatum corrigi non potest.' *Idem.*

Voluerunt] Sic duo veteres libri; reliqui *noluerunt:* sed Latini sermonis consuetudo postulat *voluerunt.* Non enim dicitur, *Neque nostro præsentium, neque imminenti Italiæ periculo mederi noluerunt:* nam id esset *mederi voluerunt;* cum ex geminata negatione fiat affirmatio. *Manut.* Ex omnibus tamen, quos consului multos, nemo, præter Carolum Stephan. et Quarter. Manutio morem gessit. *Olivet.*

Demorati esse] Amstelodam. *demorari esse.* Mallem, *detinuisse nos, et demorari, dum classis.* Non modo nos detinuisse, sed etiamnunc demorari. *Græv.*

Usque Sidam] Ultra non licuit; nam provinciæ fines præterire leges vetabant. Sida vero in Pamphylia fuit; et Pamphylia ad imperium Asiæ pertinuit. *Manut.*

(16.) *Trebonius Ciceroni S.*

Anno U. C. 709.

Cratippus] Qui philosophiam Peripateticam eximia cum laude Athenis docebat. Epist. lib. XVI. 21. et de Officiis I. et III. *Manut.*

Cum magno nostro honore] Ergo non omnia Ciceronis dicta, sed ea tantum, quæ Trebonii cum honore dixerat, in eo libro continebantur. 'Dicere dicta' usitatum apud Ciceronem. *Idem.*

Conclusi] Non simpliciter ipsa Ciceronis dicta posuerat; sed præfatus nonnulla in extremo dicta subjunxerat. Quod Epist. XV. 21. Cicero declarat his verbis: 'Antequam ad me veniatur, risus omnis pene consumitur.' *Manut.*

Versiculis] Non poëticis, verum oratione soluta; nam utrique versus dicuntur. *Idem.*

Εὐθυρρημονέστερος] *Rectiloquentior,* hoc est, liberior in loquendo.

Ad tuos sermones] Dialogos, in quos includi volebat. *Manut.*

Me minimam partem et rei, et amoris tui ferre] Non patieris extremo loco me collocari inter eos, qui Cæsarem occiderunt, et qui a te diligunturur. Laudabis me neque minimum, neque vulgari cum indicio benevolentiæ tuæ. *Manut.*

(17.) *Cicero Cornificio Collegæ S. D.* Anno U. C. 708.

Collegæ] In auguratu. *Manut.*

Tumultuosiora] De Q. Cæcilio Basso, et Sext. Julio inter se dissidentibus, et bello ex ea re excitato. Nisi famam de bello Parthico intelligere malimus. *Corrad.*

Tibi] Prætori Africæ.

De Optimo Genere Dicendi] Quem librum Orator inscripsit. Epist. VI. 18. XV. 20. *Manut.*

Ut doctum hominem] Scripsit et Cornificius de Arte Rhetorica, ut auctor est Quintil. lib. III. *Idem.*

(18.) *Cicero Cornificio Collegæ S. D.* Anno U. C. 708.

Facere] In agendis causis, cum ad extrema primum respondeatis. *Manut.*

Cæcilius Bassus] Totam historiam vide apud Dion. lib. XLVII. *Idem.*

Ludis] Quos Cæsar dedit victor ex Hispania reversus. Suetonius. *Manut.*

T. Plancum] Bursam, Ciceronis inimicum, lege de vi stante rep. damnatum, a Cæsare restitutum. Epist. VII. 2. *Idem.*

Laberii et Publii poëmata] Mimos. Vide Macrob. Sat. II. *Idem.* Vide et Vossium de Poët. Sat. cap. 1. et 2.

(19.) *M. T. Cicero Cornificio S. D.* Anno U. C. 709.

Bellum, quod est in Syria] A Cæcilio Basso commotum. *Corrad.*

Tenuit] Antiochiæ. Vide Epist. ad Att. VI. 8. extrema.

(20.) *Cicero Cornificio.*

Hæc Epistola scripta videtur, quo tempore Cornificius per hæc loca in Africam proficisceretur, ut superioribus præponenda sit. *Corrad.*

Ut es] Quæ tua consuetudo est. *Manut.*

Nec tua ignavia etiam inertiam afferet] Scientiam auget exercitatio, negligentia minuit. Non agendo enim efficitur, ut male agere discamus. Quapropter ignavia parit inertiam, id est, agendi inscientiam. *Idem.*

(21.) *M. T. Cicero Cornificio S. D.* Anno U. C. 709.

Legatione libera] Senatoribus ad sua negotia proficiscentibus concedi solita. Epist. XI. 1. et ad Att. II. 18. *Manut.*

Quod idem acceperam] Duas rationes affert, quibus impulsus senatoribus, qui in suam provinciam venerant, etiam non rogantibus dederit lictores: et quod ipse cum senator esset, et in aliorum provincias se contulisset, acceperit lictores cum fascibus a præfectis; et quod hoc summi viri facere sint soliti. Mentelianus liber legit, *quod id acceperam et cognoveram a summis viris factitatum.* Quod et ipsum pervulgatæ lectioni præferendum. *Græv.*

(22.) *M. T. Cicero Cornificio S. P. D.* Anno U. C. 709.

Collega] In auguratu.

Similem] In tuenda libertate. *Man.*

Censui] Vide Philip. III.

Retinendæ] Ne C. Calvisius in Africam iret, ei traditam ab Antonio, sine senatus consulto.

In Sempronio] Infra Epist. 25. *Manut.*

Cherippo] Epist. 30. hujus libri. Hic olim cum Q. Cicerone in Asia fuerat. *Corrad.*

Excuses] Quod ei non rescripsi. *Manut.*

(23.) *M. T. Cicero P. Cornificio S. D.*
Anno U. C. 709.

Acciderunt] Dio lib. XLVIII. prodidit, T. Sextium, Numidiæ rectorem, impetu in Africam facto, Adrumetum cepisse, et aliquanto post Cornificium prælio victum occidisse. *Manut.*

Crimen] Dicebat Antonius comprehendisse se domi suæ quos ad se occidendum Octavianus misisset. *Idem.*

Factum] Vere missos ab Octaviano credunt, qui Antonium domi suæ interficerent. Quod Suetonius quoque confirmat in Augusto. *Idem.*

Macedonicis] Ex Macedonia profectis. Ibi enim Cæsar eas collocarat, ducturus in Parthos, quibus inferre bellum cogitabat. *Idem.*

Canutium] Tribunum plebis. *Apud eos*] Id est, Ciceronem et similes patriæ defensores. *Cellar.*

(24.) *M. T. Cicero Cornificio S. P. D.*
Anno U. C. 710.

Legati] Missi ad Antonium a senatu, ut Mutinæ obsidionem omitteret. Epist. XI. 8. Epist. 4. hujus lib. *Manut.*

Dionysii nostri] Opinor esse, qui nominatur Epist. ad Attic. IV. 15. *Idem.*

(25.) *M. T. Cicero Cornificio S. P. D.*
Anno U. C. 710.

Liberalibus] XVI Kal. Apr. qui dies Baccho dicatus erat. *Manut.*

Altero vicesimo die] Die vicesimo secundo; nam *alter* secundum obtinet locum.

Quinquatribus] XIV Kal. Aprilis Minervæ festus dies. Ovid. Fast. III. 809. 'Una dies media est, et fiunt sacra Minervæ, Nominaque a junctis quinque diebus habent.'

Non invita Minerva] Feliciter. Jocatur autem in nomine 'Minervæ.' *Manut.*

Minerva nostra] Nullus est, ut existimo qui nesciat Ciceronem antequam Roma exiret expulsus a Clodio, simulacrum Minervæ, quod domi suæ longo tempore religiosissime coluerat, in Capitolium detulisse, ibique dedicasse, cum in basi inscripsisset 'Minervæ custodi urbis.' Vide Dion. lib. XLV. *Victor.*

Cum offensione summa Minotauri] Quod valde doluit Calvisio, qui tuam provinciam sibi desponderat, et ejus individuo sodali Statilio Tauro. Sed priusquam eos nominet, junctim ambos vocat Minotaurum, id est, portentum, quod Pasiphaë Minois uxor edidisse ferebatur, et confecisse in Labyrintho Theseus, significans, hos duos non minus malum et portentum esse in rep. quam Minotaurus in Creta insula. *J. F. Gronov.*

Obtinendis] Ab iisdem, qui obtinerent. Supra Epist. 22. *Manut.*

Absens obtinebat] Per legatos: cum ipse (Calvisius) ad urbem esset cum imperio. Revertit autem in urbem, deposito imperio. Vide Epist. 30. *Idem.*

Honestissimoque convicio] Ad Att. I. 14. 'Cato advolat, convicium Pisoni consuli mirificum facit, si id est convicium, vox plena gravitatis.' *J. F. Gronov.*

Rapiebar] Post Cæsaris necem, vexata ab Antonio consule rep. Ep. X. 1. Phil. I. Offic. lib. I. *Rapiebar*, summam voluntatem discedendi ex Italia demonstrat. Discessit autem ea mente, ut adesset Kal. Jan. quo die novi consules, Hirtius et Pansa, senatum habituri erant. *Manut.*

Etesiæ] Venti euntibus in Græciam secundi, in Italiam adversi. Vide Epist. II. 15. *Idem.*

Tribules tuos] Municipia, quæ civitate donata fuerant, suffragiorum causa, certæ tribui singula adscribebantur. De Regio supra, VII. 19. *Cellar.*

Elicere vellet ad cædis causam] Nam,

a. d. XIII Kal. Oct. ideo Ciceronem Antonius adesse jussit in senatu, ut ab eo cædis initium faceret. Quod Cicero suspicatus, in senatum non ivit. Hoc dilucide narratur Phil. v. et Epist. 2. hujus libri. *Manut.*

Terentius] Andr. I. 2. 18.

P. Lucceium] Quis non videt initium esse alterius Epistolæ? cum infra de Pansa mortuo, supra de vivo fiat mentio. De eodem Lucceio Epist. 39. *Manut.* Illud quidem affirmare possumus in pervetere libro hanc Epistolam, et sequentes, ita conjunctas, atque adeo confusas fuisse, ut nullius principium appareret. Unde liberum unicuique fuit, ad suum arbitrium eas describere et dividere. *Corrad.*

(26.) *Cicero Cornificio S. D.*
Anno U. C. 709.

(27.) *M. T. Cicero Q. Cornificio S.P.D.*
Anno U. C. 709.

(28.) *M. T. Cicero Q. Cornificio S.P.D.*
Anno U. C. 710.

Lilybæo] Tria Siciliæ promontoria; Pelorus in Italiam spectans, Pachynum in Græciam, Lilybæum in Africam. *Manut.*

Ne nimis liber in ulciscendo] Amstelodam. meus secund. Stewech. Pal. 1. *ne minus liber in ulciscendo viderere.* Et sic in sequentibus Amstelodam. Hittorp. Stewech. Pal. 6. Mentel. meus secundus, *Metuisti igitur ne gravis civis, ne minus fortis, ne minus te dignus viderere.* Quæ lectio omnino melior est vulgata. Sententia est, se metuisse, ne si pœnas sumpsisset de iis qui Lilybæo insidiati sint, fecisset hoc magis alterius, cui obnoxius erat, causa, quam reipublicæ, neve aliter fecisset quam gravem civem, et virum fortem deceret, quodque se esset indignum. Quid est *nimis se dignus?* Grævius. Mihi vero Græviana emendatio præ vulgata sordet. *Olivet.*

A patre] Q. Cornificius, pater, Ciceronis in consulatu competitor fuit. *Asconius,* in Tog. Cand.

Appellaretur] Sic unus omnino vetus liber, et recte. Quanquam et *appellaret* sententiam habet, sed, ut arbitror, minus aptam. Potius enim pro alicujus dignitate senatus appellatur, quam appellat. *Manut.*

Absentibus] Mutinam profectis ad D. Brutum obsidione liberandum. *Idem.*

Tibi ex S. C. imperandum] Quoniam tibi S. C. imperium est datum, potes mutuam sumere pecuniam, nempe ut milites alere possis. *Idem.*

Quibusdam] Si hæc Epistola scripta est ante prælium Mutinense, notat eos, qui Antonii causam in senatu defendebant, ut Calenum, et alios; si post, Lepidum, et eos qui Octavianum, cæsis Hirtio et Pansa, in spem consulatus impulerant. *Manut.*

(29.) *M. T. Cicero Q. Cornificio S.P.D.*
Anno U. C. 710.

Familiam] Servos. *Manut.*

Semproniano] Supra Epist. 19. et 25.

(30.) *M. T. Cicero Cornificio S. P. D.*
Anno U. C. 710.

Renovatum bellum] Lepidi scelere, qui Antonium recepit. *Manut.*

Tributo] Quod impositum populo non erat post devictam ab Æmilio Paulo Macedoniam. Offic. lib. II. *Manut.*

Attio] Si est idem, de quo in Epist. 24. *Attico* legi malim, quam *Attio:* ut ab Attico et cognomen, et nomen acceperit. Quod etiam Corrado placuit. *Idem.*

Magistris] Cum bona alicujus in auctione venirent, ut inde aut hæredes aut creditores caperent partes, de eorum sententia legebatur, qui præesset illi auctioni. Is dicebatur *magister.* Græv.

Venuleio, Latino, Horatio] Legatis C. Calvisii, per quos Africam provinciam absens obtinebat. Epist. 25. *Manut.*

Laudo] Quod lictores illis ademeris. *Idem.*

LIBER XIII.

(1.) *M. T. Cicero C. Memmio S. P. D.*
Anno U. C. 702.

Vid. Plutarch. in Lucul. Suet. Cæs. cap. 23. et Epist. ad Att. IV. ult.

De suis commodis et præmiis] Quænam hæc sint commoda et præmia, divinare non licet; nisi si, quod inter Epicureos excelleret, commoda sibi aliqua et præmia postulavit: qua de re lite orta, Romam venit, et patrono inprimis Cicerone, quæ voluit, a senatu consecutus est. *Manut.*

Phædro] Epicureo, quem cum Attico frequenter audivi. *Corrad.*

Philonem] Academicum. *Idem.*

Ædificationis tuæ consilium] Areopagitæ, decreto facto, Memmio concesserant, ut ædes Epicuri veteres, quas Cicero ut in contemptinnem adduceret, *parietinas* vocavit, commodi sui gratia exædificare posset. *Manut.*

Gentem illam] Græcam. *Corrad.*

Testamentorum jus] Tuenda enim testamentorum jura sunt. Hoc dicit, quia suos hortos Epicurus, in quibus habitare ac docere solitus erat, amico suo Metrodoro moriens testamento reliquerat, eo jure, ut post ejus obitum ad alios Epicureæ sectæ principes possessio perveniret. Laërtius. *Manut.*

Phædri obtestationem] Obtestatus erat Phædrus, cum viveret, ne hortos Epicuri negligerent, neve occupari a quoquam sinerent. *Idem.*

Non quo sit ex istis] Hoc dicit, ut Attico petenti auctoritatem augeat; non quod is revera Epicureus non esset. Epist. V. 19. ad eum, et de Leg. lib. I. *Idem.*

Ὑπομνηματισμὸν] Ad rei memoriam litteris mandatum. *Idem.*

(2.) *Cicero Memmio S.*
Anno U. C. 702.

Sacrario] Parte ædium urbanarum exulis C. Memmii. Nam *sacraria* non modo in sacris ædibus, verum in profanis etiam esse poterant, loca quædam consecrata, vel ubi sacræ res custodirentur, vel ubi sacra gentilitia fierent. *Manut.*

Subitum est] Nimis angusta præfinita dies facit, ut subitum sit incommodum ob temporis brevitatem. *Id.*

Kal. Quint.] Præfinita Evandro die, qua e sacrario migraret. Kalendæ Quintiles in Urbe primus erat locationum dies. Ad Q. Fr. II. 3. 'Post Kal. Quint. in tuam domum commigrabis,' hoc est, finito locationis tempore demigrantibus iis, quibus eas locaveras. *Idem.*

(3.) *M. T. C. S. P. D. C. Memmio.*

(4.) *M. T. C. Q. Valerio, Q. F. Orcæ, Leg. Propræt. S. D.*
Anno U. C. 708.

Beneficio] Quod legem a tribunis pl. promulgatam, de agris eorum dividendis, perferri consul non sum passus. Infra. *Manut.*

Primo] Quibusdam libris deest. Grævio videtur glossema. *Cellar.*

In lege Agraria] Quam de agro Campano et Stellate dividundo tulit. *Manut.*

(5.) *M. T. C. Q. Valerio, Q. F. Orcæ, Leg. Propræt. S. P. D.*
Anno U. C. 708.

Cæsar] Senatores bellum civile abstulerat, in quorum locum legit ex sua secta, etiam peregrinis adscitis. Ita Suet. *Cellar.*

Tueri vix potest] Nemo enim senator esse poterat, nisi 800. millia possideret. Suetonius in Augusto. *Manut.*

(6.) *M. T. C. Q. Valerio, Q. F. Orcæ. Procos. S. P. D.*
Anno U. C. 708.

Procos.] Supra proprætor est dictus; sed tunc præpositus erat a Cæsare agris dividundis: nunc Africam administrat, et proconsul vocatur, licet consulatum non gesserit. *Manut.*

Societatis] Publicanorum, qui Africæ vectigalia exigebant. *Manut.*

Notam] Inter Ciceronem et Valerium in Africam proficiscentem convenerat, ut, quibus litteris ei Cicero aliquem vere atque ex intimo animi sui sensu, non ex aliorum voluntate, commendaret, signum quoddam apponeret, ut graves commendationes a levibus distinguerentur. *Idem.*

(7.) *M. T. Cicero Cluvio S. P. D.*
Anno U. C. 708.

Galliam] Cisalpinam. *Manut.*

Vectigali] Qui vectigal Atellanis pendit. Quamvis enim in Campania est Atella, tamen agrum etiam alibi potuit possidere: sicut de Arpinatibus ex hujus libri Epist. 2. confirmatur. *Cellar.*

Non judicium] Non arbitrium. *Id.*

(8.) *M. T. Cicero M. Rutilio S. P. D.*
Anno U. C. 708.

P. Sextium] Qui tribunus pl. Ciceronem ab exilio reduxit. *Manut.*

Prædia in æstimationem accepit] Hoc est, Laberii prædia pro debito accepit æstimata tanti, quanti erant ante bellum civile. Vide superius Epist. IX. 16. et 18. et Epist. V. 20. Sic enim Cæsar satisfieri volebat creditoribus ab iis qui non erant solvendo. Vide Suet. Jul. cap. 44. *Græv.*

(9.) *M. T. Cicero Crassipedi S. P. D.*
Anno U. C. 702.

Socios] Publicanos. *Corrad.*

Ex cæteris societatibus] Cum essent multæ publicanorum societates, ex omnibus Bithynica constabat. *Manut.*

Men.] Cives Romani a tribu ostendi soliti, quæ quidem tribus plerumque in antiquis et lapidibus et libris prima tantum syllaba scripta legitur. Hinc *Men.* est Menenia tribu. Vide VIII. 8. *Græv.*

In operis] Hoc est, inter ministros societatis, qui ejus res gerebant. 'Operæ,' ministri, mercenarii. *Cellar.*

(10.) *Cicero Bruto S.*
Anno U. C. 707.

M. Varro] Manutio ille doctissimus Romanorum est, qui de re rustica, et pluribus aliis scripsit. At ille piratico bello Pompeii classibus præfuerat (Plin. III. 11. VII. 30.) et ejusdem legatus in Hispania ulteriore, exercitum et provinciam rexerat (supra, IX. 13.); ut dubites, nunc demum Bruti junioris quæstorem fieri voluisse. Præterea eo ingenio et doctrina fuit, ut doctissimo Bruto ignotus esse non potuerit, aut cui amicitiæ fores primum Tullius aperiret. Alium ergo vel hujus, vel mutati prænominis commendari crediderim. *Cellar.*

Liberorum necessitudini] Epist. 26. et in Divinatione, et in Orat. pro Plancio. *Manut.*

In forum venit] Cum prætexta deposita, virilem induit, et in virorum numerum est transcriptus, pro quo in XV. 16. dicitur 'forum attingere.'

Vide et superius v. 8.

Ut se corroboravit] Ut ad virilem ætatem accessit. Sic in Orat. pro Cælio: 'Cum is jam se corroboravisset, ac vi inter viros esset.' In eadem, 'Non modo hæc ætas, sed etiam corroborata,' id est, non modo adolescentes, sed etiam viri. Et supra ejusdem orationis initio, eos, qui non, ut Cælii accusator, adolescentes essent, sed viri, 'robustiores' appellavit. Alibi etiam in hanc sententiam eodem verbo usus est. Inde 'robusta ætas.' *Manut.*

In hoc studio nostro] Philosophiæ. *Corrad.* Eloquentiæ. *Manut.*

In utrisque subselliis] In publicis privatisque causis, id est, in majoribus et minoribus. Sunt enim subselliorum, si habetur hominum ratio, tria genera; si causarum, duo. Nam et judices, et patroni, et accusatores in subselliis considebant: causæ vero vel de publicis rebus erant, vel de privatis. *Manut.* Imo *in utrisque subselliis* est, et patronus fuit, et judex. *Græv.*

Petitioni] Honorum. An etiam gesserit, incertum, quia nunc tandem quæsturam gerit, qui primus gradus honorum erat. *Cellar.*

His temporibus] Post cladem Pharsalicam. Brundusii autem Cicero Cæsarem, saltem reconciliationem ejus, expectabat. Supra, XI. 27. *Id.*

(11.) *M. T. Cicero Bruto S. P. D.*

Anno U. C. 707.

Nec alius ullus] In aliis enim municipiis vel dictator creari solebat, ut Lanuvii; (Orat. pro Milone) vel consul, ut Tusculi, &c. *Manut.*

(12.) *M. T. Cicero Bruto S. P. D.*

Anno U. C. 707.

(13.) *M. T. Cicero Bruto S. P. D.*

Anno U. C. 707.

(14.) *M. T. Cicero Bruto S. P. D.*

Anno U. C. 708.

Volcatio] Prætore urbano.

(15.) *M. T. Cicero C. Cæsari Imp. S. P. D.*

Anno U. C. 708.

Hem, hic ille est] Insignis ad movendum locus: tum quia sensus Præcilii et studium erga Cæsarem declaratur; tum etiam, quia Cicero, qua sibi re offensum Cæsarem putat, in ea dat operam, ut illum sibi, erroris confessione, reconciliet. *Hem*, particula non delentis, sed indicantis potius; ut Phil. v. 'Hem causam, cur lex tam egregia ferretur, ut eos judices,' &c. Terentius in And. 'Obsecro te, quamprimum hoc me libera miseram metu. D. hem libero.' In And. 'Hem tibi, rescivit omnem rem.' Et alibi. Similiter Plautus in Asin. 'Hem nunc, si velis da, commoda homini amico.' Et in Capt. 'Hem mihi jam otium est.' Et alibi. *Manut.*

Nostros proceres] Pompeianos. *Proceres* vocat cum ironia, qui defendi a se remp. gloriarentur. *Idem.*

Ὡς νεφέλη] Id est, ita non vidi, quod utilius mihi fuit; ita mihi quasi nebula quædam videndi facultatem ademit. *Idem.*

Etiamnum gloria] *Etiamnum* non placet; videtur enim abundare, cum jam dictum sit *etiam.* Veterum librorum varietas dubitationem mihi quidem non parvam affert. Placuit olim *inani gloria:* placet idem nunc, ita si docti viri probant. Non enim is sum, qui meas opiniones mordicus retineam. *Idem.*

Μισῶ σοφιστὴν] Vide Ennianum carmen Epist. VII. 6. Odi igitur istos Pompeianos sapientes, qui sibi non sunt sapientes, cum tecum adhuc pugnent. *Corrad.*

Ἅμα πρόσσω, καὶ ὀπίσσω] Præterita simul et sequentia inspicere; quod

qui facit, errare non potest. Facit autem is, aiebat Præcilius, qui cum Cæsare, opibus, honoribus, gloria florentissimo, non contendit. *Manut.*

Genere novo] Ob interpositos Græcos versus. *Idem.*

(16.) *M. T. Cicero C. Cæsari Imp. S. P. D.*

Anno U. C. 708.

Ex eo] Forte *de eo.* J. F. Gronov.

(17.) *M. T. C. Ser. Sulpicio S. P. D.*

Anno U. C. 707.

Vide Epist. VII. 29.

Patris] Quæ urbs est in Peloponneso.

Post mea] Manutius conjiciebat, *Quam maximus potest, mea, &c.*

(18.) *Cicero Servio S.*

Anno U. C. 707.

Quod] Si enim id mea causa fecisses, gratias ipse agere deberem: cum vero ipsius causa feceris, ad eum pertinere gratiarum actio videtur. Quanquam ne ille quidem gratias debet agere; non enim ab eo rogatus, aut admonitus, sed ultro ipse nec opinanti voluntatem ei tuam tantam per litteras detulisti. Itaque gratiarum actio nulla æquare potest officium tuum. *Manut.*

Epiroticis] Possessiones in Epiro Atticus habuit, ut Epistolæ ad eum scriptæ, et Nepos in vita demonstrat. Epirus autem hoc tempore ad imperium Sulpicii, Achaiam regentis, pertinuit: antea Macedoniæ provinciæ pars fuit, ut ostendit oratio in Pisonem. *Idem.*

(19.) *M. T. C. Ser. Sulpicio S. P. D.*

Anno U. C. 707.

Quas Cæsar ad te dedit] Potest eas litteras Cæsar in Hispania scripsisse; sed verisimilius est, in urbe: cum dicat Cicero, 'Et nostro, reliquorumque hospitum studio.' Quid si ita est, ivit Sulpicius in Achaiam, antequam in Hispaniam; (Epist. IV. 4.) mansit usque ad exitum belli: nam, ut diximus jam, Cæsar et Sulpicius, hic ex Achaia, ille missis ex Hispania litteris, in obitu filiæ consolati sunt. *Manut.*

C. Memmius Gemellus] Potest esse is Memmius, ad quem supra leguntur Ciceronis Epistolæ. Nam et prænomen idem est, et exulavit uterque. *Idem.*

Patrensis civis] Amissa Romana civitate; nam duarum civitatum civis esse nemo poterat. *Idem.*

(20.) *Cicero Servio S.*

Anno U. C. 707.

Medico] Medicinam Romæ ingenui homines, ut artem illiberalem, non colebant. *Manut.*

Meorum] Tironis, quem ex Cilicia decedens ægrum Patris reliquit. Epist. XVI. 6. 9. *Idem.*

(21.) *M. T. C. Ser. Sulpicio S. P. D.*

Anno U. C. 707.

In omni genere officii diligendus] Non delector mutatione: facio tamen libenter, ut in locis mendum redolentibus testificer sententiam meam. *In omni genere officii diligendus*, ferri potest, et eo magis, quod omnes libri veteres consentiunt; veruntamen, quia *diligens*, et *diligendus*, non admodum diversa sunt, scripsi olim, nihil tamen affirmans, magis mihi placere *diligens*, quam *diligendus;* ut mentio fiat in officio diligentiæ potius quam amoris, ex consuetudine Ciceronis: quam si quis contemnit, eum a me dissentire nec miror, nec moleste fero. Ciceronis hæc sunt, pro Plancio: 'In omni officio diligentissimus.' Pro Cælio: 'Viro omnis officii diligentissimo.' Pro Cluentio: 'In omnibus officiis retinendis diligentior esse nemo potest.' *Manut.* Edidit Grævius *et omni, &c.* deleto *in.*

(22.) *Cicero Servio S.*
Anno U. C. 707.

Thespiis] Urbs Bœotiæ, sub Helicone, ad sinum Crisseum, Musis sacra. *Græv.*

(23.) *Cicero Servio S.*
Anno U. C. 707.

(24.) *Cicero Servio S.*
Anno U. C. 707.

(25.) *Cicero Servio S.*
Anno U. C. 707.

(26.) *Cicero Servio S.*
Anno U. C. 707.

Eli] Nonnullis visum est rectius hic *Elide* legi, quam *Eli*, adeo ut in posteriorum editionum codicibus ita fere scriptum sit: quod miror, cum frequenter hujus urbis nomen in obliquis casibus parem syllabarum numerum cum recto habeat. Plin. lib. XVI. (edit. Hard. tom. II. pag. 7.) 'Sunt qui fœminam Ilicem vocent, atque ubi non nascitur ilex, pro ea subere utuntur, ut in carpentariis præcipue fabricis, ut circa Elim et Lacedæmonem.' Eadem ignorantia decepti ita emendarunt hunc locum Nat. Deor. lib. III. 'Venus prima Cælo et Die nata, cujus Elide delubrum vidimus;' cum in veteribus exemplaribus ibi etiam *Eli* legatur. *Victor.*

Disceptatore] Rei, quæ in controversiam vocatur, moderatore. In Partitionibus hoc verbum Cicero ipse interpretatur: 'Aut auscultator est modo, qui audit, aut disceptator, id est rei sententiæque moderator.' Eo usus est Asinius, cujus hæc recitat Quintil. IX. ult. 'Si, Cæsar, ex omnibus mortalibus, qui sint ac fuerint, posset huic causæ disceptator legi, non quisquam te potius optandus nobis fuit.' *Manut.*

(27.) *Cicero Servio S.*
Anno U. C. 707.

De eadem re alio modo] Est formula jurisconsultis antiquis usitata in præscribendis actionibus, cum ostenderent ejusdem rei consequendæ vias complures esse, et actiones varias posse institui. Ideo Cicero ad S. Sulpicium, jurisconsultum primarium, scribens, ait, 'ut soletis in formulis, sic ego in epistolis de eadem re alio modo.' *Briss.*

Cum tuo Servio] Epist. IV. 3.

(28.) *Cicero Servio S.*
Anno U. C. 707.

Studia] Philosophiæ. *Manut.*

Amplius eo nomine non peti] Est solemnis formula jurisconsultorum, ad quam etiam Cicero alludit in Bruto: 'Mihi quoque, inquit Brutus, et expectanda sunt ea quæ Attico polliceris, et fortasse ego a te hujus voluntarius procurator petam, quod ipse, cui debes, se incommode exacturum negat. At vero, inquam, tibi ego, Brute, non solvam, nisi prius a te cavero, amplius eo nomine neminem, cujus petitio sit, petiturum.' *Græv.*

Illud quod supra scripsi, id tibi confirmo] *Id* non abundat, sed additum confirmationis gratia; ut Epist. 57. 'Illud, quod tecum et coram, et per litteras diligentissime egi, id et nunc etiam atque etiam rogo.' Et VII. 26. 'Lex sumptuaria, quæ videtur λιτότητα attulisse, ea mihi fraudi fuit.' Et pro Cælio: 'Illud tempus ætatis, quod ipsum sua sponte infirmum, aliorum libidine infestum est, id hoc loco defendo.' Plautus in Pseud. 'Tibicinam illam, tuus quam gnatus deperit, eam circumducam lepide.' *Manut.*

(29.) *M. T. Cicero L. Planco S. D.*
Anno U. C. 707.

Planco] Cum Cæsare in Africa contra Scipionem et Jubam regem pug-

nante. Hic est, ad quem sunt Epistolæ lib. x. *Manut.*

Patre] Epist. x. 4.

Cum signaretur] Pompeii jussu.

Ex parte dimidia, et tertia] Tota hereditas nomine assis avocatur, partes autem hereditatis partibus assis. Dividitur in unciam, sextantem, quadrantem, trientem, quincuncem, semissem, septuncem, bessem, dodrantem, dextantem, deuncem. Pars igitur hereditatis dimidia, et tertia, si ab assis partibus vocetur, erit semis, et triens, vel, unico vocabulo, dextans. Quanquam neque dextantem, neque deuncem, neque quincuncem, septuncem, bessem, pro partibus hereditatis usurpari a veteribus video: sed tantum hæc, unciam, sextantem, quadrantem, trientem, semissem, dodrantem, assem. *Manut.*

Publica potest esse] Antistii bona, ut Pompeiani, publica esse, victore Cæsare, debebant. Partem Capitoni relictam Cicero conservare conatur, adjutore Planco. Reliquum sextantem, ait, posse Cæsarem capere, nulla cujusquam querela, fortasse quod ii, quibus sexta hæreditatis pars legata fuerat, Pompeianarum partium fuissent; cum Capito abstinuisset omnino ab armis, Cæsaremque potius quam Pompeium dilexisset. *Idem.*

In me ipso experiri] Quanti Cæsarem fecerit Capito, in me ipso sum expertus. Quod enim fuerim moderatior, ac temperatior in civili bello, quam quisquam Pompeianus; id auctore Capitone potissimum feci. *Idem.*

Munitus] Hunc locum vacare mendo, persuaderi mihi vix potest. *Idem.*

(30.) *M. T. C. Acilio Proc. S. P. D.*
Anno U. C. 707.

Sosis] Est Siculum Manlii nomen, quod solum habuit antequam civitate donaretur. Qui enim peregrini Romanam civitatem assequebantur, eorum assumebant et prænomina, et nomina, quorum opera et beneficio cives Romani facti erant, vetere nomine conservato. *Manut.*

Fuit Catinensis] Esse desiit, posteaquam in municipium Neapolitanum adscriptus est: civis enim duarum civitatum esse nemo potest. *Idem.*

Erat enim] Rationem affert, quo modo Catinensis cum fuerit, civis Romanus factus sit. Quo tempore, inquit, sociis et Latinis data civitas est, (datam esse lege Julia, ostendit Cicero, in Orat. pro Balbo) adscriptus jam erat Manlius in municipium Neapolitanum: ita cum reliquis Neapolitanis civitatem est adeptus. *Idem.*

Est hodie in bonis] Argumentum, cur nullam sit habiturus de ea hereditate controversiam; quia nemo prohibuit, quo minus eam adiret: cum facilius esset excludere, quam de possessione dejicere. 'Esse in bonis,' 'esse in possessione bonorum,' 'bona possidere,' et idem sunt, et æque Tulliana. *Idem.*

(31.) *M. T. C. Acilio Proc. S. P. D.*
Anno U. C. 707.

(32.) *M. T. C. Acilio Proc. S. P. D.*
Anno U. C. 707.

Halesina] *Halesæ*, quæ et *Alesa* et *Halæsa* scribitur, urbs Siciliæ est ad fluvium Halæsum, in colle octo stadiis a mari remoto. Hodie non nisi rudera et vestigia quædam ejus urbis supersunt, de qua vide Diodor. Sic. lib. xiv. *Græv.*

Archagathum, et Philonem] M. Clodium Archagathum, C. Clodium Philonem. Horum cognomina Græca sunt, prænomina vero et nomina Romana. Primum enim Siculi cum essent, civitatis Romanæ jus adepti, simul appellationem susceperunt, vetere nomine retento, more libertorum. *Manut.*

(33.) *M. T. C. Acilio Proc. S. P. D.*
Anno U. C. 707.

Ordinis] Equestris forsan; sed Manutius 'conditionis,' aut 'sortis' interpretatur.

(34.) *M. T. C. Acilio Proc. S. P. D.*
Anno U. C. 707.

(35.) *M. T. C. Acilio Proc. S. P. D.*
Anno U. C. 707.

Meo beneficio] Me rogante. *Manut.*

In Novocomenses retulit] In eos, quos Novumcomum deductos in primo consulatu civitate donavit. Ii fuere quinque millia, et Græci maxime illustres quingenti. Philoxenus autem Græcus, quia Siculus. Suetonius et Strabo. Postea vero dictator idem Cæsar Transpadanos omnes, ut ait Dio, civitate donavit. *Idem.*

Aviano] De quo infra Epist. 75. et 79.

(36.) *M. T. C. Acilio Proc. S. P. D.*
Anno U. C. 707.

Tabulam] Aëneam. *Manut.*

Revelli] Ne valeret. *Idem.*

(37.) *M. T. C. Acilio Proc. S. P. D.*
Anno U. C. 707.

Calactinum] Calacta est oppidum Siciliæ ultra Alæsam. In secunda Verrina *Calatini* male scribi, pro *Calactini*, docet Cluv. de Sicil. Antiq. II. 3. *Græv.*

Publice possidentur] Legem apud Calactinos fuisse crediderim, quæ vetaret, ne quidquam publice, nisi publico nomine possideretur. Hippiæ autem bona alieno nomine, puta cujuspiam absentis, vel pupilli, publice possidebantur. *Manut.*

(38.) *M. T. C. Acilio Proc. S. P. D.*
Anno U. C. 707.

(39.) *M. T. C. Acilio Proc. S. P. D.*
Anno U. C. 707.

(40.) *M. T. C. Q. Anchario Q. F. Proc. S. P. D.*
Anno incerto.

Quod scio multas] Potest legi *quas scio;* potest et τὸ *plurimum* deleri. Potest et *quod* accipi supervacuum, ut in 'quod nisi,' 'quod si,' 'quod utinam.' *J. F. Gron.*

(41.) *M. T. C. L. Culleolo S. P. D.*
Anno incerto.

(42.) *M. T. C. L. Culleolo Proc. S. P. D.*
Anno incerto.

Bulliones] Sic omnes libri veteres, pro *Bylliones;* interdum tamen Græca littera *Y* servatur, ut in 'Pyrrhus,' 'Phryges;' quod Cicero, contra veterem consuetudinem, probat in libro de perfecto oratore. Populi sunt supra Epidamnum, a Byllide, sive Bullide urbe, quæ est in Illyrico. Dicuntur 'Bullienses' in Pison. 40. ubi F. Ursinus rescribebat *Bullidenses,* ex Bullide, seu Byllide, quæ memoratur Phil. XI. 11.

(43.) *M. T. C. Quintio Gallo S. P. D.*
Anno incerto.

Philomeli] Philomelium oppidum Magnæ Phrygiæ. Sup. III. 8.

Litterarum aliquid] Aut nondum ingressus fuit provinciam, ad quam se parabat; aut e provincia litteras jubetur mittere, quæ polliceantur quod Oppius petiturus erat. *Cellar.*

(44.) *Cicero Gallo S.*
Anno incerto.

(45.) *M. T. C. Apuleio Proquæstori S. P. D.*
Anno incerto.

(46.) *M. T. C. Apuleio Proquæstori S. P. D.*
Anno incerto.

(47.) *M. T. Cicero Silio S. P. D.*
Anno U. C. 702.

Illa nostra scilicet ceciderunt] Abierunt illa tempora, cum et dignitate, et honoribus, et hominum amplissimorum amicitiis in rep. florebamus. Consolemur igitur nos, non exquisita aliqua ratione, sed quo modo solet vulgus: cujus hæc fere in adversis rebus est sententia: 'Quid, si hoc melius?' *Manut.*

(48.) *M. T. C. C. Sextilio Rufo, Quæst. S. P. D.*
Anno U. C. 698.

A me] Tunc procos. in Cilicia, quam qui obtinebat, Cyprum etiam obtinebat. Epist. I. 6. *Corrad.*

(49.) *Cicero Curio Procos. S. P. D.*
Anno incerto.

(50.) *M. T. Cicero Aucto Procos. S. D.*
Anno U. C. 709.

Aucto] Al. *Aristo.* Etsi neutrum nomen memini me apud scriptores frequenter legere, facile tamen adducor, ut credam hunc Servii Sulpitii in Achaia successorem fuisse. *Corrad.*

Brundusii fuimus] Post victum Pompeium. Sic enim existimo. *Idem.*

Ex mea amicitia] H. Stephanus non male legit *ex ea amicitia.* Græv.

(51.) *M. T. Cicero P. Cæsio S. D.*
Anno incerto.

(52.) *Cicero Regi S. D.*
Anno incerto.

Regi] Cognomen gentis Marciæ; ut e Sallustio, Valerio, Suetonio constat, addito etiam testimonio Ciceronis ep. 14. ad Att. lib. I. et Plutarchi in vita Ciceronis. Absurde nonnulli putant hunc esse Deiotarum regem: cum tamen *Deiotaro regi* non sit in titulo, sed tantum *Regi.* Præterea inepta familiaritas illa esset in iis verbis, quæ infra: 'Fac igitur, mi Rex,' &c. *Manut.*

Aristoteles] Græcus genere, Romano nomine, forsan et civitate, donatus. *Melitensis*] A Melita insula. *Cellar.*

Liberavi] Venia impetrata. *Manut.*

Melius] His verbis adducor, ut suspicer, in causa Pompeii Regem fuisse. *Idem.*

(53.) *Cicero Thermo Propr. S. D.*
Anno U. C. 702.

Pariana civitas] Parion civitas in Hellesponto. Plinius, &c. *Manut.*

(54.) *M. T. Cicero Thermo Propr. S. D.*
Anno U. C. 703.

In longa apparitione] In suo munere multorum mensium. Nam Laodiceam primum venit prid. Kal. Sex. eodem rediit ineunte mense Februario, ut conjicere licet ex Epist. ad Att. v. 21. mansit usque ad Idus Maii, ut ex eadem constat. Ad eum igitur, cum esset iterum Laodiceæ, Marcilius adolescens venit. Ex quo de anno Epistolæ conjecturam fecimus. *Manut.*

Apparitione] Omnes, qui apparebant, id est, præibant magistratibus, 'apparitores' dicebantur; et 'apparitio' munus ipsum. 'Apparitores' autem erant scribæ, interpretes, accensi, præcones, lictores, viatores, statores, et hujus generis alii. Quos omnes ut libertos fuisse putem, multis adducor exemplis. *Idem.*

(55.) *M. T. Cicero Thermo Propr. S. D.*
Anno U. C. 702.

Ephesi] Quo veni ad XI Kal. Sext. in Ciliciam proficiscens. *Corrad.*

Sardianis] Sardes Lydiæ civitas, de qua Plin. lib. v. ed. Hard. novissimæ tom. I. pag. 277.

(56.) *M. T. C. Thermo Propr. S. D.*
Anno U. C. 702.

Mylasii] Victorius, Græcam declinationem secutus, scripsit *Mylaseis*, et *Alabandeis*. Mylasa et Alabanda sunt Cariæ urbes in Asia Minore. Vide Plin. v. 28. et 29. *Victor.*

Ecdici] 'Ecdicus' Justiniano defensor civitatis appellatur, vindex reipublicæ, qui inprimis publicas pecunias curabant et persequebantur. Aliter dicitur 'syndicus.' Plin. Epist. x. 111. 'Ecdicus nomine Amisenorum civitatis petebat apud me a Julio Pisone denariorum circiter 40. millia donata ei publice ante annos viginti, et Bule, et Ecclesia consentiente.' Dicebantur et 'cognitores.' Glossæ: *Cognitor*, ἔκδικος. De quo Gronov. de Pec. Vet. iv. 3. *Græv.*

Ὑποθήκας] *Hypotheca* proprie est pignus quodvis, quod debiti causa creditori obligatur; sed strictius Latinis hypotheca dicitur, quod non traditur in manus creditori, sed subjicitur ejus potestati et juri, possessione penes debitorem remanente: contra pignus possidendum traditur creditori. Hinc 'dare hypothecas' est res immobiles creditori obligare, ut multis docet Cl. Salmas. de Modo Usurarum, cap. 12. *Idem.*

Hæ commissæ sunt] Hoc est, possessiones: quoniam ad diem solutum debitum non est, venerunt in potestatem creditoris, ut illas possit vendere. 'Hypothecæ' enim 'committi' dicuntur, quæ cessante solutione debiti, creditoris fiunt. Sic 'merces commissæ' dicebantur, quas apud publicanum non professi erant, et hanc ob causam amittebantur. Vide Salmasium de Modo Usurarum, cap. 14. *Idem.*

De hypothecis decedat] Hoc est, possessiones oppigneratas quoniam non solvit, creditori vendendas tradat. *Idem.*

Heracleotæ et Bargyletæ] Heraclea et Bargylos civitates sunt Cariæ. *Id.*

Caunii præterea debent] Caunus est Cariæ oppidum, valetudine habitantium infame, ut Mela ait i. 16. *Idem.*

(57.) *Cicero Thermo Propr. S.*
Anno U. C. 703.

Bellum] Parthicum. Epist. ad Att. vi. 3. et 4.

(58.) *M. T. C. Titio L. F. Rufo, Præt. Urbano S.*
Anno U. C. 703.

(59.) *M. T. C. C. Curtio Peducæano, Præt. S. D.*
Anno U. C. 703.

Servabis edictum et institutum tuum] Nihil facies aliter atque edixisti, et adhuc solitus es. Solebant autem prætores et in urbe publice proponere, et provinciales, antequam in provinciam venirent, præmittere edictum de summis capitibus jurisdictionis. Superius Epist. vi. 9. ad Att. v. 21. 'Possumne contra meum edictum?' Erat C. Curtius Peducæanus prætor peregrinus, cum C. Titius Ruffus prætor urbanus esset. *Gron.*

(60.) *M. T. C. Munatio C. F. S. D.*
Anno incerto.

Temporibus] Cum exularet. Vide Epist. ad Att. iii. 17. *Manut.*

(61.) *M. T. C. P. Silio, Propr. S. D.*
Anno U. C. 702.

Studioso] Nota dictum simpliciter.

(62.) *M. T. C. P. Silio, Propr. S. D.*
Anno U. C. 702.

Venissem] In provinciam. *Manut.*

Te in meo ære esse] Meum esse. Ducta similitudine a nummorum possessione. Epist. xv. 14. 'Multi sunt anni, cum ille in ære meo est.' *Idem.*

Lamiæ] L. Lamiæ, de quo vide Epist. xi. 16. et xii. 29. *Idem.*

Impudentia prosequor] Quia tibi alios quoque commendo, ut Q. fratrem. *Idem.*

Sarciam] Remunerabor officia tua. *Idem.*

(63.) *M. T. C. P. Silio, Propr. S. P. D.*
Anno U. C. 702.

(64.) *M. T. C. P. Silio, Propr. S. D.*
Anno U. C. 702.

Nero meus] Non vulgarem benevolentiæ significationem habet pronomen *meus*. Hic est T. Claudius Nero, cujus uxorem Liviam Drusillam Augustus postea prægnantem abduxit. Matrimonium Tulliæ, Ciceronis filiæ, hoc ipso tempore videtur expetisse: nec recusavit Cicero, sed, quos homines ea de re ad uxorem et filiam miserat, ii Romam venerunt factis cum Dolabella sponsalibus, Epist. ad Att. VI. 6. Quæstor fuit C. Cæsaris Alexandrino bello: pontifex in locum P. Scipionis substitutus: colonias Narbonem et Arelate duxit: occiso Cæsare, de præmiis tyrannicidarum referendum censuit: præturam gessit: Antonios in dissensione civili secutus est: postremo pace facta, in urbem reversus, uxorem suam Liviam, ante jam Tiberium, qui postea imperator fuit, enixam, petenti Augusto concessit; nec multo post e vita cessit. *Nero* Sabinum vocabulum est, pro, fortis ac strenuus, ut ait Suetonius. *Manut.*

Nobilitate] Nerones Claudii, et Pulchri, patricii; Marcelli vero plebeii. Sed nobilitas non a genere patricio, (multi enim patricii nullos gessere, aut male gessere magistratus, itaque nobiles non fuere) sed a parentum aut majorum virtute sumitur, unde plebeii multi nobiles. *Idem.*

Magnum theatrum] Plus ex ista provincia petit Tiberius, quam ex nostra, magisque in illa conspicietur, quam hic, ubi assecutus est sane quæ potest adolescens. Vel, valde conspectum te facit et illustri loco ponit hæc provincia: vel, quam celsus et potens es, cum adolescens summo genere natus, ingenio florentissimo, sanctis et priscis moribus in tua provincia peregrinatur, et per te producitur atque ostentatur, digna ipso gloria, apud avitos familiæ clientes; ut Epist. 12. 29. *J. F. Gronov.*

(65.) *M. T. C. P. Silio, Propr. S. D.*
Anno U. C. 702.

Opera in scriptura] Negotia publicanorum curat. Eodem sensu dixit Epist. 9. 'Est in operis societatis.' *Scriptura* vero est ratio tota publicanorum, qui vel decumas, vel portoria, vel pascua redimunt. *Manut.*

Pactiones] Pro pecunia publicanis debita. Nam inter sociorum civitates et publicanos Romanos controversia fere semper oriebatur in exactione vectigalium. *Idem.*

(66.) *M. T. C. P. Servilio, Propr. S. D.*
Anno U. C. 707.

Hujus fortuna] Exulabat, quia Pompeianas partes secutus erat, et Cæsari præterea, scripto libro, maledixerat. Epist. VI. 7. *Manut.*

Collegæ tui] Cæsaris, qui secundum consulatum cum Servilio gessit. *Idem.*

In reliquiis] Veram lectionem ostendunt libri veteres. In Palat. sex, et in Mentel. et in meo secundo scribitur recte *in reliquis veteris negotiationis colligendis.* 'Reliqua' enim, ut notum, sunt quæ rationibus subductis debita solvenda remanent, ut et pensiones, ac vectigalia ad diem non soluta. Cic. ad Att. XVI. 2. 3. In Pandect. 'Reliqua vectigalis,' 'reliqua conductionis;' et 'reliquari' ac 'reliquatores' de iis qui non ad diem solvunt vectigal, pensionem. *Græv.*

(67.) *M. T. C. P. Servilio, Propr. S. D.*
Anno U. C. 707.

Τρεῖς διοικήσεις] *Tres jurisdictiones.* Eæ fuere, Laodicea, Cibyra, Apamæa. *Manut.*

(68.) *M. T. C. P. Servilio Isaurico, Proc. Collegæ S. D.*
Anno U. C. 707.

Collegæ] In auguratu. Quanquam enim pontifex maximus fuit, tamen etiam augur. Philipp. II. 33. *Cellar.*

(69.) *M. T. C. P. Servilio, Collegæ S. D.*
Anno U. C. 707.

(70.) *M. T. C. P. Servilio, Collegæ S. P. D.*
Anno U. C. 707.

Frugi] *Frugi* et *nequam* opponuntur. Est autem propria laus in servo, et in liberto; sed transfertur etiam ad ingenuos: et in rege quoque Deiotaro frugalitatem Cicero laudavit; nam in Orat. pro illo habita, 'Omnes,' inquit, 'sunt in illo regiæ virtutes, sed præcipue singularis et admiranda frugalitas.' *Manut.*

(71.) *M. T. C. P. Servilio, Collegæ S. D.*
Anno U. C. 707.

(72.) *M. T. C. P. Servilio, Collegæ S. D.*
Anno U. C. 707.

Cærelliæ] Hæc mulier, philosophiæ dedita, valde Ciceronem observavit, ejusque scripta libenter legit. Ep. ad Att. XIII. 21. 'Mirifice Cærellia, studio videlicet philosophiæ flagrans, describit a tuis: istos ipsos De Finibus habet.' Dio l. XLVI. Caleni verba recitat, lascivam, ac libidinosam cum Cærellia consuetudinem Ciceroni exprobrantis. *Manut.*

Interpretabere] Judicabis, an eam, quam ego arbitror, facultatem habeas ex eo S. C. Cærelliæ commodandi. *Idem.*

(73.) *M. T. C. Q. Philippo, Procos. S. D.*
Anno incerto.

Procos.] Suspicor hoc verbum abundare, et additum ab aliquo, qui putavit, cum in sequentis Epistolæ inscriptione *Proconsul Philippus* vocetur, multo magis in hac, quæ ordine antecedit, vocari debere: cum perversus, ut jam diximus, ordo sit, et illam, quæ sequitur, huic omnino præponendam esse constet. Quo modo enim proconsul appellari potest, cum in urbem, deposito imperio, redierit? In urbe enim potius Philippum esse, quam ad urbem, facile credo; cum dicat Cicero: 'Quod si Romæ te vidissem, coram gratias egissem;' et quia qui ad urbem morabantur, triumphum expetebant: cujus rei nulla fit mentio in Epistola: nec vero triumphavit unquam hic Q. Philippus. *Manut.*

Quod si Romæ: te vidissem] Ita Victorius; sed Manut. et Lamb. *Quod si Romæ te vidissem, coram gratias, &c.* Grævius vero ex Mss. *Quod si Romæ fuissem, te vidissem, &c.*

(74.) *M. T. C. Q. Philippo, Proc. S. D.*
Anno incerto.

(75.) *M. T. C. T. Titio T. F. Legato S. D.*
Anno U. C. 701.

(76.) *M. T. C. Quatuorviris et Decurionibus S. D.*
Eodem anno.

Quatuorviris et decurionibus] Fregellanis. Fregellæ, colonia fuit deducta, ut ostendit Velleius, anno urbis 424. Quatuorviri igitur non modo municipiis, verum coloniis quoque præerant, item ut consules Romæ; quanquam et duumviri in plerisque coloniis, atque adeo in nonnullis municipiis fuere. Quod lib. I. de Antiq. Ital. Jure Carolus Sigon. egregie docuit. *Manut.*

Hippianum] Hippii filium naturalem, adoptatum autem a C. Valgio, a quo prænomen et nomen accepit. *Idem.*

(77.) *M. T. C. P. Sulpicio Imp. S. D.*
Anno U. C. 708.

P. Sulpicio] Bernardinus Rutilius,

qui opiniones quasdam suas in Familiares, ut vocant, Ciceronis Epistolas, me puero, edidit, legendum arbitrabatur *P. Vatinio*, adductus in hanc sententiam ea ratione, quia Cicero de servo suo Dionysio scribit in hac Epistola: de quo item Vatinius ad Ciceronem in duabus 9. 10. lib. v. et ad eum Cicero Ep. 11. ibidem. Sensit idem postea Corradus in suis scholiis. Mihi non satis neque Rutilii, neque Corradi sententia, quam alii postea secuti sunt, probatur. Nam, ut illud omittam, quod hæc hujus Epistolæ verba, ' Salvo jure nostræ veteris amicitiæ;' et quæ sunt infra, ' Pro tuo perpetuo in me studio;' non videntur in Vatinium convenire, cujus erga Ciceronem perpetuum certe studium non fuerat, inimicitiis, oratione adversus eum notissimis, interruptum: ut hoc, inquam, omittam, quod exigui ponderis non est, valde me movet ea ratio, quod post supplicationem decretam scribit Cicero de servo suo ad Sulpicium: at Vatinio decreta supplicatio videtur Octobri mense, ut ex Epist. v. 10. non dubiam facere conjecturam licet. Scripsit enim Vatinius Nonis Dec. eam Epistolam cum de supplicatione decreta jam e Ciceronis litteris cognovisset. Ante Novembrem autem alteram ejusdem Epistolam acceperat Cicero, datam v Id. Quint. in qua de fuga servi Dionysii se audivisse significavit. Quod cum ita sit, cui verisimile videatur, hanc Epistolam, *Sulpicio* inscriptam, in qua de supplicatione decreta fit mentio, ad Vatinium de Dionysii fuga, multo ante supplicationem ei cognita, ut ignota de re missam esse? Ad hanc rationem accedit altera, ipsa quoque, ut arbitror, non contemnenda. Nam cum Cicero supplicationem decretam Sulpicio significat, eodem tempore M. Bolanum commendat. Vatiuius autem in Epistola sua de supplicatione sibi decreta respondens, verbum de Bolano nullum facit. Consensum omitto veterum librorum, quibus in omnibus perspicue scriptum video, ne una quidem littera veritatem obscurante, *P. Sulpicio*. Manut. Placet conjectura Rutilii et Corradi. Vatinium enim tum Illyrico, Sulpicium Achaiæ præfuisse, præter adducta loca ostendunt lib. IV. Epist. 5. et 6. *J. F. Gronov.*

Nostræ veteris amicitiæ] Hoc convenire in Vatinium negat Manutius, ut et *pro tuo perpetuo in me studio*. Sed sic etiam loquebantur, qui amici olim, dein inimici fuissent, post reconciliatam gratiam, quasi medio odiorum tempore memoriæ exempto. *Idem.*

Naronæ] In Dalmatia.

(78.) *M. T. C. Allieno Proc. S. D.*
Anno U. C. 707.

(79.) *M. T. C. Allieno Proc. S. P. D.*
Anno U. C. 707.

LIBER XIV.

(1.) *Tullius Terentiæ suæ, Tulliolæ suæ, Ciceroni suo S. D.*
Anno U. C. 695.

Terentiæ] Hæc quater nupsit, Ciceroni, Sallustio historico, Messalæ Corvino, Vibio Rufo. Dio lib. LVII. et D. Hieronymus adversus Jovinianum lib. I. Vixit annos 103. Plin. VII. 48. *Manut.*

Cum primum] Hoc tempore annum agebat ætatis suæ Cicero filius octavum. Natus enim erat Cotta et Torquato coss. ut ex Epist. ad Att. I. 1. licet intelligere. *Idem.*

De familia] De servis, quos postea liberavit, veritus ne cum cæteris bonis publicarentur. Epist. 4. *Idem.*

Plancius] Co. Plancius, quæstor in Macedonia: pro quo extat oratio. Vide et eam post reditum in senatu habitam. *Idem.*

Hispo] Hic nonnulli veteres libri habent *ipso;* alii *ipse;* quinque nostri *Hispo.* Ex hac varietate legendum fortasse *Piso;* vel potius *ipse;* ut de eodem accipiatur: cujus nomen omitti potuit, cum Terentiæ litteris, L. Pisonem, Ciceronis inimicum, ejus anni consulem, ad Macedoniam regendam propediem iturum significantibus, responderet. Nominare, qui consul adhuc erat, non audebat. *Idem.*

Pisonis] C. Calpurnii Pisonis L. filii, Frugi, Ciceronis generi. *Idem.*

Volui esse quam conjunctissimos] Discordiæ igitur aliquid inter Q. fratrem, et Terentiam extiterat. *Idem.*

Vicum venditurum] Ut mihi pecuniam suppeditare possis. *Idem.* Hanc elegantiam reddidi Tullio, et hic eandem vindicant Palatinus primus, Vaticani excerpta, Victorii editio. Plebeii magistelli fecerunt *vendituram.* Gebhardus. De similibus elegantiis vide Gell. I. 7.

Efficere] Id quod effici opus est, ut ego in hac misera fortuna non egeam. *Manut.*

Brevis expectatio est] Fore arbitror ut brevi litteras vestras accipiam. *Idem.*

(2.) *Tullius Terentiæ Suæ, Tulliolæ, et Ciceroni Suis S. D.*

Anno U. C. 695.

Timidi] Quod e patria discedere maluerit, quam armis decertare. *Manut.*

A Vestæ] A templo Vestæ. Quidam legunt *a Vesta,* id est, a lare et foco. *Lamb.*

Ad Tabulam Valerium] Locus in foro fuit, quo tribuni plebis convenire soliti sunt. In Vatinium, c. 9. *Manut.*

De area] Eversa enim domo, area supererat: quæ postea reverso in patriam Ciceroni restituta est, et superficies æstimata. *Idem.*

Si conficitur negotium] Si restituor.

Reliquias tuas] Quæ tibi facultates reliquæ sunt, amissis meis. *Manut.*

(3.) *Tullius Terentiæ, et Tulliolæ, et Cicer. Suis S. D.*

Anno U. C. 695.

Legatione] Nam si legationem, a Cæsare, Galliæ proconsule, delatam, accepisset; Clodii tribuni plebis furorem vitasset. Diem enim ei dicere, qui reipublicæ causa abesset, non licebat. *Manut.*

(4.) *Tullius Terentiæ, et Tulliolæ, et Cicer. Suis S. P. D.*

Anno U. C. 695.

Quod utinam] *Quod* pro 'sed;' ut Epist. VIII. 14. 'Quod non dubito, quin te quoque hæc deliberatio sit perturbatura.' Et Philipp. X. 'Quod qui ab illo adducit exercitum, et respectum pulcherrimum, et præsidium firmissimum adimit reipublicæ.' Et in Verr. lib. I. 'Quod vos oblitos non arbitror, quæ multitudo se ipsum accusat, qui Clodianis armis cesserit.' Infra: 'Peccatum est nullum, nisi quod non una animam cum ornamentis amisimus.' *Manut.*

Quibus ego servivi] Man. et Lamb. ediderunt *quos ego servavi.*

Præ mea] Iidem, *pro mea.*

Legis improbissimæ] Ne Cicero intra quingenta passuum millia hospitio acciperetur. *Corrad.*

Afflictum] Janus Gulielmius ad Plauti Cistell. II. 1. testatur se in vetustissimis membranis reperisse, O

me perditum! me afflictum! quod verum est. Bis apud Ciceronem legitur verbum, 'effligere;' nam vide Epist. ad Att. IX. ult.

Matrimonio] Dixi jam, hoc tempore uxorem C. Pisonis Tulliolam fuisse. Ejus doti et famæ, se absente, Cicero timebat. *Manut.*

Cæterorum servorum ea causa est] Veritus Cicero amissionem servorum cum tota re, manumisit eos hac conditione, ut, si per legem Clodiam bonis omnibus privandus esset, ii suo beneficio liberti essent, si modo id obtineri posset; sin autem lex servos non adimeret, et, ut ad veterem dominum pertinerent, concederet; servirent ut antea, præterquam paucissimi, quos ob fidem et diligentiam omnino liberatos vellet. Dixit autem *cæterorum servorum*, cum de suis loqueretur. Nam ex Terentiæ servis neminem manumiserat; neque enim poterat; tantum iis, eam facturam esse, ut quisque esset meritus, promiserat. Hic locus in omnibus libris impressis mendose legebatur. Nos eum distinctione tantum restituimus. *Idem.*

(5.) *M. T. C. Terentiæ et Tull. Suis S. P. D.*
Anno U. C. 703.

Sive nos ipsos] Erant enim cum ipso, filius, frater, fratris filius. *Manut.*

Ad arma rem spectare] Cæsare et Pompeio dissidentibus. *Corrad.*

(6.) *M. T. C. Terentiæ Suæ S. P. D.*
Anno U. C. 705.

Quod nostra] Quam intelligat *nostram* non plane perspicio, nisi Tulliam significet, quod puto. De rebus autem domesticis, cum uxore, suisque loquens, non mirum est rem tantum indicasse, quod etiam supra facit, cum dicit 'quomodo satisfiat ei;' nec tamen nomen ponit, cui satisfieri cupiebat. Cum enim ad suos scribat, qui et manum ejus agnoscerent, et res quas innueret, optime callerent, non necesse fuit apertius scribi. *Victor.*

(7.) *M. T. C. Terentiæ Suæ S. P. D.*
Anno U. C. 704.

Omnes molestias] Manifesto scripta Epistola cum jam navem conscendisset, in Pompeiana castra navigans. *Victor.*

Χολὴν ἄκρατον] *Bilem puram*, ex qua oriebantur molestiæ et sollicitudines. *Manut.*

Cicero] Filius; nam et is ad bellum cum patre profectus est: eumque Pompeius alæ equitum alteri præfecit. Off. lib. II. *Idem.*

(8.) *M. T. C. Terentiæ S. P. D.*
Anno U. C. 705.

(9.) *M. T. C. Terentiæ S. P. D.*
Anno U. C. 705.

(10.) *M. T. C. Terentiæ Suæ S. P. D.*
Anno U. C. 706.

(11.) *M. T. C. Terentiæ Suæ S. P. D.*
Anno U. C. 706.

Venit ad me] Post victoriam Cæsaris in Pharsalia scripta, cum decessisset a Pompeianis, et Brundusii esset. Quod multis conjecturis intelligi potest: et quantum ego suspicor, post illam quæ sequitur, data; ea enim scripta esse videtur, cum paucos dies in Italia fuisset: gratulata enim erat illi Terentia de reditu in Italiam, et salute ipsius e tot tantisque periculis. Cui illa Epistola Cicero respondit. Tulliam ad eum, cum Brundusii esset, venisse, multi auctores tradunt, et ipse quoque ostendit: quod causa inimicitiarum ac divortii illi cum uxore fuit; neque enim viaticum ei dedit, neque comites præbuit, quos ætas illius, ac dignitas patris poscere videbatur. Omne autem illud tempus Cicero ibi mansit quod in Alexandria et Asia Cæsar

consumpsit, quod longum fuisse ex historia illarum rerum intelligitur, et a Plutarcho etiam aperte narratur. *Victor.*

Ciceronem ad Cæsarem mittere] Qui peteret, ut ei, quod Pompeium in bello secutus esset, ignosceret. Epist. ad Att. II. 18. *Manut.*

(12.) *M. T. C. Terentiæ S. P. D.*
Anno U. C. 705.

(13.) *M. T. C. Terentiæ S. P. D.*
Anno U. C. 707.

De nuntio remittendo] Divortio faciendo inter Tulliam et Dolabellam. Epist. ad Att. II. 20. et 23. *J. F. Gronov.*

Quæ sit istius vis hoc tempore] Quantum possit et valeat cum maxime Dolabella. *Idem.*

Quæ concitatio multitudinis] Cum legem ferret de tabulis novis, et mercedibus ædium. Dio lib. XLII. *Id.*

Quies tamen] Manutius ait in uno libro inventum *quiesces.* Forte, *si metuendus iratus, quiesces.* Si putes nobis metuendum fore Dolabellam irritatum divortio, melius non remitti nuntium. Dein breviter, *Tamen ab illo fortasse nascetur.* Scilicet causa divortii. Ipse luxuriosus et perditus, offensus moribus longe diversis uxoris nuncium illi remittet. *Idem.*

Hactenus J. F. Gronovius. Videtur enim propius ad veri speciem accedere, quam Manutius, cæterique interpretes, qui omnia hæc de nuntio Terentiæ ipsi remittendo dicta volunt. *Olivet.*

(14.) *Tullius Terentiæ, et Pater Tulliolæ, duabus animis suis: et Cicero Matri optimæ, suaviss. Sorori S. P. D.*
Anno U. C. 704.

Intercludamur] Manutius et Lambinus ediderunt *intercludamini.*

Ut] Fortasse, *ubi.* Lambinus non *videndum,* sed *verendum* legit, idque, ut prædicat, libris omnibus invitis.

Labienus] T. Atius Labienus, qui multos annos Cæsaris legatus in Gallia fuerat, egregiamque in re militari virtutem ostenderat, orto civili bello ad Pompeii partes transiit. Vide infra XVI. 12. et ad Att. VII. 13. *Manut.*

Ab urbe discedit] Non contulit se ad Pompeium, sed ab urbe discessit: in quo non probare Cæsaris, generi sui, consilia visus est. Nam si probaret, eum in urbe expectaret. *Idem.*

Minturnis] Oppidum Aurunconum paulum supra Liris fluvii ostia in Latio, cujus tantum rudera supersunt. *Græv.*

(15.) *M. T. C. Terentiæ Suæ S. P. D.*
Anno U. C. 706.

(16.) *M. T. C. Terentiæ Suæ S. P. D.*
Anno U. C. 705.

(17.) *M. T. C. Terentiæ Suæ S. D.*
Anno U. C. 705.

(18.) *Tullius Terentiæ Suæ, Suaviss. Filiæ Tulliolæ, Cicero Matri et Sorori, S. P. D.*
Anno U. C. 704.

Regio] Campana et maritima ora, cui præerat. Epist. XVI. 16. *Manut.*

In nostris] Carolus Stephanus, aliique ediderunt *in nostris prædiis.* Vox tamen ultima non minus eleganter omittitur.

Isto loco] Ista dignitate.

(19.) *M. T. C. Terentiæ S. D.*
Anno U. C. 705.

(20.) *M. T. C. Terentiæ Suæ S. P. D.*
Anno U. C. 706.

Ut sint] Man. et Lamb. *fac ut sint,* Etiam infra, 'sit in balneo non est, fac ut sit.' Potest impune *fac* abesse, vel scribi.

(23.) *M. T. C. Terentiæ Suæ S. P. D.*
Anno U. C. 706.

(24.) *M. T. C. Terentiæ Suæ S. P. D.*
Anno U. C. 706.

Adventu] Ex Ægypto. *Manut.*

De litteris] Cæsaris, Philotimo ad Ciceronem datis. Philotimum Cicero, mutato mittendi filii consilio, ad Cæsarem miserat. Epist. ad Att. XI. 24. *Idem.*

LIBER XV.

(1.) *M. Tullius M. F. Cicero Proconsul, S. P. D. Coss. Prætt. Tribb. Pl. Senatui.*
Anno U. C. 702.

Proconsule] Syriæ.

Commageni] *Commagene* Syriæ pars ad Euphratem et Taurum montem sita, posterioribus temporibus *Euphratensis* dicta, et *Augusteuphratensis*, quam Seleucidis Romani, cum Syriam occupassent, reliquisse videntur: ejus reges dicti Antiochi Commageni. Isti, cujus hic Cicero meminit, Lucullus, captis Tygranocertis, uxorem captivam restituit, et Cn. Pompeius Seleuciam Mesopotamiæ castellum donavit. Strabo lib. XVI. Huic bellum intulit Ventidius Antonii legatus, cupiditate ejus pecuniæ incensus, quam possidebat. Sed cum egregie se tueretur, clam Antonius cum eo de pace egit, ut honeste posset recedere. Ad quam sanciendam ei tradidit Antonius Alexandrum interficiendum, qui ad Romanos transfugerat. Dio lib. XLIX. Ejus filius Antiochus Commagenus accusatus capitis et damnatus est, quod legatum fratris, cum quo exercebat inimicitias, Romam missum perfide interfecit. Dio lib. LII. Tiberius in provinciæ formam redegit Commagenen, cum mortuus esset Antiochus ejus rex, qui forte filius fuit damnati. Tacit. Ann. II. 56. Sed Caligula Seleucidis restituit regnum Commagenæ, adjectis Ciliciæ maritimis, et quidem Antiocho, Antiochi hujus filio, qui videtur fuisse pronepos hujus Antiochi, cujus hic Cicero meminit. Fuit tota vita clarus et vetustis opibus ingens, et inservientium regum ditissimus et felicissimus. Tacit. Hist. II. 81. Tandem fuit sub Vespasiano accusatus, et Lacedæmonem relegatus, et Commagene iterum in provinciæ formam redacta. Josephus Bell. Jud. VII. 27. Suet. Vespas. cap. 8. *Rupert.*

In Ciliciam] Erat enim in Asia, cujus tres diœceses administrabat. Epist. XIII. 67. De hoc itinere Epist. ad Att. V. 20. *Manut.*

Lycaoniæ] Regio Asiæ inter Galatiam, Cappadociam, Pamphyliam et Ciliciam, cujus caput Iconium. *Grævius.*

Cappadociæ] Cappadocia Asiæ regio magna inter Armeniam Minorem, Ciliciam, Pamphyliam, Galatiam et Pontum Euxinum. *Idem.*

Tarcondimoto] Partis Gallogræciæ, vel Ciliciæ secundum Dionem, tetrarcha. *Corrad.*

Pacorum] Dux esse videbatur, quia regis filius: re vera autem copias Osaces ducebat, quem postea C. Cassius prælio victum occidit. Pacorus autem hoc tempore nondum ex ephebis excesserat. Dio lib. XL. Eum post aliquot annos cum omnibus copiis cæsum a Ventidio, qui de Parthis primus triumphavit, idem

Dio lib. XLIX. Justinus lib. XLII. et alii prodiderunt. *Manut.*

Tybæ] Hujus trans Euphratem sive pagi, sive urbis, præter Ciceronem nemo veterum meminit. *Græv.*

Ab Iamblicho phylarcho Arabum] Fuit Iamblichus phylarchus Emesenorum in Syria ad Euphratem. Strabo lib. XVI. Ἀρέθουσα καὶ ἡ Σαμψικεράμου, κ. τ. λ. *Et Arethusa Sampsicerami, et Iamblichi ejus filii, qui phylarchi populi Emessenorum fuerunt.* Illam vero regionem tenebant Arabes, ut ibidem docet Strabo. Arabum autem gens fuit in ἔθνη divisa, ipsi φύλας vocant. Unde suos dynastas vocarunt 'phylarchos;' sicut etiam Saraceni suos duces sic vocabant. Vide Strabon. d. l. Joseph. Antiq. Jud. I. 13. Suidam in Φυλάρχης, et Is. Casaubon. ad laudatum locum Strabonis. *Idem.*

Consuetudinem] *Mansuetudinem* habet vetus liber manuscriptus, aliquanto, ut videtur, meliore sententia. *Ursin.* Non meliore, sed eadem.

(2.) *M. Tullius M. F. Cicero Procos. S. P. D. Coss. Prætt. Tribb. Pl. Senatui.*

Anno U. C. 702.

Cybistra] Vide ad Attic. v. 20.

Artuasdes] Cujus soror Pacoro, regis Parthorum filio, nupta erat; filia vero Deiotari regis filio pacta. *Manut.*

Euseben et Philorhomæum] Id est, *pium et amicum Romanis*, Græcis nominibus ad Latinam consuetudinem transductis. Unde in vett. nummis: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΡΙΟΒΑΡΖΑΝΟΥ ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥ. Quidam codices, *Philonicum.* Puteanus. Extant apud me duo antiqua numismata ex argento, quorum alterum habet imaginem Ariobarzanis circumscripto titulo ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΡΙΟΒΑΡΖΑΝΟΥΣ ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥ: alterum Ariarathi cum litteris, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΡΙΑΡΑΘΟΥ ΕΥΣΕΒΟΥΣ. Ex quibus inscriptionibus intelligimus, Ariobarzanem quidem appellatum fuisse *Philorhomæum*, Ariarathem vero *Euseben.* Cicero tamen utrumque titulum soli tribuit Ariobarzani; nisi forte aliquod mendum sit in his verbis, et nomen Ariarathes desit, cum scriptum antea fuisset, *Ut ego reges Ariarathem et Ariobarzanem Euseben et Philorhomæum, &c.* Incidi postea in argenteum nummum Ariobarzanis hujus, quem hic describit Cicero, in cujus una parte Ariobarzanis ipsius imago, in altera inscriptio incisa est, ΑΡΙΟΒΑΡΖΑΝΟΥΣ ΕΥΣΕΒΟΥΣ ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥ. *Ursinus.*

In consilio meo] Præsentibus qui majoris apud eum dignitatis erant, quæstore Mescinio, legatis quatuor, &c. *Manut.*

(3.) *M. Cicero M. Catoni S. D.*

Anno U. C. 702.

(4.) *M. T. C. Imp. M. Catoni S. D.*

Anno U. C. 703.

Evocatorum] Vide ad Epist. III. 6.

Præstanti magnitudine] Ita Lambinus ex Memmianis libris. Cum vero Medicæus habeat *præsentia magnitudine*, Victorius emendabat *præsenti magnitudine.* Olivet. Postquam omnia diu consideravi, in eam discessi sententiam, *magnitudine* esse interpretationem τοῦ *præsentia*, quæ margini illita postea in ipsum contextum irrepsit. *Græv.*

Athenaidis] Reginæ, matris regis impotenti dominatione. *Cellar.*

Sacerdos] Comanorum sacerdos Archelaus, a Pompeio Magno, ut scribit Appianus, Mithridate devicto, præfectus: post quem sacerdos fuit Nicomedes, a Cæsare, post superatum Pompeium, præpositus. Ejus sacerdotis potestas, quæ fuerit, ostendit Hirtius de Bello Alexandrino, his verbis: 'Comana, vetustissimum et sanctissimum in Cappadocia Bellonæ templum, quod tanta religione coli-

tur, ut sacerdos ejus Deæ, majestate, imperio, et potentia secundus a rege consensu gentis illius habeatur.' Videndus et Strabo lib. XII. *Manut.*

Et toto iis, qui] Cum et in vulgatis libris et in manuscriptis legeretur *et toto iis*, Ranconetus conjectura ductus, legendum putabat *extorta iis qui, &c.* Sed Victorius melius *et omnino iis qui, &c.* Alii *et sociis, qui, &c.* Lamb. Et quod summam rem continet, iis quoque, qui ipso in regno quærebant mutationem, paratus et succinctus. Epist. ad Att. v. 20. 'Est totum, quod Kal. Martiis futurum sit.' ad Quint. Fr. III. 1. 'Totum in eo est, tectorium ut continuum sit. Totum hi, qui aliquid novi,' per appositionem, quam dicunt grammatici. *J. F. Gronov.*

Epiphaneæ] Epiphanea est oppidum Ciliciæ, aliud ab illo quod ad Orontem in Syria fuit. *Græv.*

Utriusque provinciæ] Syriæ et Ciliciæ. Est enim terminus inter utramque, et utrique communis, aquarum divortio divisus. Epist. II. 10. *Manut.*

Tullius] Plerique alii *Tulleius.*

Repugnantibus] Videtur legendum *repugnantes:* veruntamen nihil muto; subintelligi enim potest, 'hostibus,' vel aliquid tale. *Lamb.*

Aras Alexandri] Vulgo *Issus:* quo de oppido Strabo, lib. XIV. Curtius, lib. III.

Eleutherocilicum] Liberorum Cilicum, qui suis legibus utebantur. Epist. ad Attic. v. 2. *Manut.*

Tibarani] Ignota geographis gens: nimium enim negotii fuisset, latronum Amani montis nomina persequi. Latrocinia enim exercebant ejus montis incolæ. Tibarenos et Plutarchus in Lucullo nominat, et Plin. VI. 4. ubi Themiscyræ regionis gentes persequitur. *Idem.*

Defendenda] Inter Milonis patronos Catonem Pedianus nominat, eumque ait studuisse in petitione consulatus Miloni, et reo adfuisse, nec dissimulasse, bene actum esse cum republica morte P. Clodii. *Idem.*

Provinciam] Orat. in Pison. cap. 1.

Nunc] Ut, si quam antea, pulsus in exilium, dignitatis jacturam fecisset, honore novo ita sarciret, ut de pristino statu detractum nihil, additum potius aliquid ad gloriam videretur. Causam hanc attigit Epist. ad Att. VI. 6. his verbis: 'Amicorum litteræ me ad triumphum vocant, rem a nobis, ut ego arbitror, propter hanc παλιγγενεσίαν nostram, non negligendam.' *Manut.*

In ipsam aciem] Otio et desidiæ, forum, rempublicam, aciem opponit. *Aciem* autem pro summa contentione posuit, non quasi tertium quiddam, a duobus proxime dictis, id est, a foro et a republica diversum, sed quod et foro, et reipublicæ jungatur: quasi dixerit, in majores et fori, et reipublicæ contentiones. Qua similitudine de Orat. lib. I. 'forensem aciem' appellavit. *Manut.*

Negari] Negavit tamen. Epist. seq. et VIII. 11. et ad Att. VII. 1. 2. *Idem.*

(5.) *M. Cato M. T. C. Imp. S. P. D.*
Anno U. C. 703.

Administrare] Sæpe ponitur absolute subintellecto 'rem,' ut id quod administratur. Primus immutavit hanc scripturam P. Victorius, sed perperam. *Græv.*

Gaudeo] Si tu mavis, ea, quæ pro republica fecisti, non rationi et continentiæ tuæ, sed diis immortalibus tribui; supplicationem decretam gaudeo. *Manut.*

Prærogativam] Quia prærogativæ tribus vel centuriæ tantus erat suspectus et reverentia apud jure vocatos in comitiis, ut vox ipsa 'prærogativæ' acciperetur pro secundo omine, certo signo, indicioque et pignore, ac quasi arrhabone futuræ rei optatæ vel secundæ. Cic. Verr. I.

'Qui quam sit isti amicus attendite: dedit enim prærogativam suæ voluntatis ejusmodi, ut isti pro prærogativis eam reddidisse videatur.' Liv. lib. III. 'Icilius ubi audivit tribunos militum in Aventino creatos, ne comitiorum militarium prærogativam urbana comitia iisdem tribunis plebis creandis sequerentur.' Et lib. XXI. 'In Asdrubalis locum haud dubia res fuit, quin prærogativam militarem, qua extemplo juvenis Annibal in prætorium delatus, imperatorque ingenti omnium clamore atque adsensu appellatus erat, favor etiam plebis sequeretur.' *Gron.* Observ. IV. 1.

(6.) *M. T. C. M. Catoni S. P. D.*

Anno U. C. 703.

Lætus sum] Tuscul. IV. 31.

Ad illud sincerum ac subtile judicium] Quasi non sincere, nec subtiliter judicent, qui aliter sentiunt. Pronomen *illud*, non commune, sed singulare quiddam hic designat: ut lib. VIII. ep. 9. 'Si ad illam summam veritatem legitimum jus exegeris.' Et pro Marcello: 'Illa ipsa rerum humanarum domina Fortuna.' Et alibi. *Manut.*

Honore] Triumpho: nam supplicationem senatus jam decreverat. *Manut.*

(7.) *M. T. C. Procos. C. Marcello Cos. Design. S. P. D.*

Anno U. C. 702.

Consulem] Cum L. Æmilio Paulo.

(8.) *M. T. C. Proc. C. Marcello Collegæ S. P. D.*

Anno U. C. 702.

Collegæ] In augurato. Div. II. 35.

(9.) *M. T. C. Procos. M. Marcello Cos. S. P. D.*

Anno U. C. 702.

Tuo facto] Quod opera, gratia, studio tuo factum sit, ut consul crearetur C. Marcellus patruelis frater tuus. *Manut.*

Vel me tui similem esse audio, vel te mei] Comparari solitum Ciceroni M. Marcellum, et judicari simillimum, hic locus, et alter in Bruto declarat. Interroganti enim Ciceroni, Quid de Marcello judicas, quem sæpe audisti? respondet Brutus: 'Quid censes, nisi id, quod habiturus es similem tui?' Et infra: 'Itaque cum eum ante tui similem in dicendo viderim; tum vero nunc, a doctissimo viro Cratippo instructum omni copia, multo videbam similiorem.' *Idem.*

(10.) *M. T. C. Imp. C. Marcello C. F. Cos. Design. S. P. D.*

Anno U. C. 703.

Marcellinorum] Eorum etiam, qui ex familia vestra in alias adoptione transierunt. *Manut.*

(11.) *M. T. C. Imp. C. Marcello Cos. Design. S. P. D.*

Anno U. C. 703.

Parentibus] Etiam matre. Supra Epist. 8.

(12.) *M. T. C. Imp. L. Paulo Cos. Design. S. P. D.*

Anno U. C. 702.

Familiæ] Æmilia gens, patricia.

Illum diem] Comitiorum. *Corrad.*

Navare] In petitione consulatus. *Idem.*

(13.) *M. T. C. Imp. L. Paulo Cos. S. P. D.*

Anno U. C. 703.

Reditum meum] Ab exilio. *Manut.*

Gerendarum] In provincia. *Idem.*

(14.) *M. T. C. Imp. C. Cassio Proquæst. S. P. D.*

Anno U. C. 703.

Convenire potuisses] In Cilicia, cum ad urbem redires. *Cellar.*

Pro opportunitate temporis] Hoc vi-

detur dicere, quia parabatur in eum accusatio, fortasse de repetundis. Nam avaritiæ nomine male audiit Cassius. Quod et Plutarchus in Bruti vita narrat: et Cælii quoque testimonio cognoscitur, Epist. VIII. 10. *Manut.*

Victoria] Parthos enim Cassius fudit fugavitque post adventum Ciceronis in provinciam. Id ostendit Epist. II. 10. *Idem.*

Onera tuorum] Quæ sunt hæc onera? opinor vel propinquus aliquis Cassii, vel amicus, qui cum eo fuisset in provincia, pecuniæ contra leges captæ, aut ereptæ accusabatur: qui si damnatus esset, manifestum præjudicium fuisset in Cassium. *Manut.*

Si tanta sunt] *Tanta* minuit hic potius, quam auget magnitudinem; ut Epist. VIII. 8. 'Si aut non erit istic bellum, aut tantum erit, ut vos, aut successores, parvis additis copiis, sustinere possint.' *Idem.*

Curio ... Furnius] Tribuni plebis.

Cum Bruto tuo] M. Bruto, cujus soror uxor erat Cassii. *Manut.*

(15.) *M. T. C. Cassio S. P. D.*
Anno U. C. 707.

Uterque nostrum] Uterque enim, victo in Pharsalia Pompeio, ab armis discessit, verum prior Cicero: propterea subjungit, 'Ejus consilii princeps ego fuisse videor.' *Manut.*

Plus fortasse] Efficere ipse debeo, ne te pœniteat consilii tui, non a te expectare, ut ea scribas ad me, quibus in sententia confirmer. Hoc præponit, quia dicturus erat, quod in extremo posuit, 'Velim scribas ad me, quid videas, quid expectandum, quid agendum nobis existimes.' Hanc enim ob causam scripsisse videtur has litteras. *Manut.*

Judicium] Ut arma deponeremus. Judicare enim ex una pugna potuimus, persequi nos belli civilis extrema non debere. *Idem.*

Africa] Pompeiani, qui se post Pharsalicum prælium in Africam contulerant. Metonymia; nam ab eo, quod continet, significatur id, quod continetur. *Idem.*

Quam cognovit Asia] Quam cognoverunt ii, qui post Pharsalicam pugnam se in Asiam, et in Achaiam receperunt. *Idem.*

Legato, ac deprecatore] Non expectasset Cæsar, ut Pompeiani legatos ad eum, qui deprecarentur, mitterent: sed ipse ad eos, quæ est ejus humanitas et clementia, ultro ivisset, atque ut pace facta reconciliarentur, deprecatus esset. *Manut.* Cæsarem hic legatum fingit Manutius, quod nullo modo procedit. Forte, *te, ut opinor, ipso allegato ac deprecatore.* Te apud Cæsarem pro iis interveniente. *J. F. Gronov.*

Interpositus annus] Inter pugnam Pharsalicam, et id tempus, quo Cæsar, consumptis, ut ait Appianus, in Alexandrino bello novem mensibus, Pharnacem devicit. *Manut.*

Alios] Pompeianorum, bellum in Africa renovantium, duo genera ponit: quorum alii, anno post Pharsaliæ cladem interposito, in spem victoriæ venerant: alii, licet victoriam non sperarent, pugnare tamen statuerant, ita animati, ut etiam si contigisset, ut vincerentur, non laborarent. *Idem.*

Nescio quem istum Pharnacem] Quem nemo tanti roboris putavit, ut Asiæ terrorem inferret. Mithridatis filius fuit: quo Cæsar mox unica pugna superato, scripsit ad amicos, 'Veni, vidi, vici.' *Idem.*

Consilio pari] Discedendi ab armis.

Casu dissimili] Hoc explanatur sequentibus verbis; quorum sententia collecta breviter hæc est: Tu te ad Cæsarem ipsum contulisti, ut cum eo esses; ego me Brundusium, ut eum expectarem. *Manut.*

Consiliis interesses] Cæsaris. Cassius enim cum classe in Hellesponto Cæsari occurrens, non solum ei se

tradidit, verum etiam apud eum mansit. Dio lib. XLII. *Idem.*

Festinavi] Cujus eum consilii graviter pœnituit. Epist. ad Att. XI. 6. et 9. *Idem.*

Miserrimis querelis] Propter scelera et seditiones M. Antonii, magistri equitum, et L. Trebellii, atque P. Dolabellæ, tribuni plebis. *Corrad.*

Auctor] Cæsar. *Idem.*

Primis illis] Quibus suadebas, ut omnino ab armis abstinerem. *Manut.*

Luceria] Oppidum Apuliæ infra Teanum, ad fluvium Cerbalum.

(16.) *M. T. C. C. Cassio S. P. D.*
Anno U. C. 708.

Schedulam] Ita vulgo: sed Victorius ex Mss. mavult *scidulam.* Vid. Epist. ad Attic. I. 20. *Syllabam* legit Lamb. item ex Mss.

Κατ' εἰδώλων φαντασίας] Quod Græce φαντασίας, Latine *visum* dici posse, ait Cicero Acad. I. Hic igitur interpretamur, *per spectrorum visa.* Putabant igitur Epicurei, si quis aliquam rem cogitaret, ejus rei spectrum et imaginem ad cogitantis animum advolare. De qua opinione dubitat Cicero, et in eo jocatur. *Manut.*

Amici novi] Epicurei, quorum dogmata Cassius ante biennium probare cœperat. *Idem.*

Διανοητικὰς φαντασίας] *Mentis,* vel *intelligentiæ visa.* Idem.

Spectris Catianis] Cogitationibus illis, quæ spectra Catius vocabat, Epicurus et Democritus εἴδωλα. *Idem.*

Catius] Hic scripsit quatuor libros de Rerum Natura, et de Summo Bono, de quo Quintil. X. 1. ita scribit: 'In Epicureis levis quidem, sed non injucundus tamen auctor est Catius.' *Corrad.*

Gargettius] Epicurus, a patria.

Etiam] Lege *et jam,* admonente Thoma Wopkensio, Lect. Tullian. I. 5.

Quod vel iis ipsa occurrunt] Affert rationem, quare difficilius credat nos de aliquo cogitare occursu simulacrorum, quam eorumdem incursu videre quippiam (videre autem nos διὰ τῆς τῶν εἰδώλων ἐμπτώσεως censebant Democritus et Epicurus: quod in Epistola ad Atticum etiam ostendit Cicero, in qua disputat de fenestrarum angustiis). Quod si, inquit, his spectris oculos feriri posse concesserim; (vix autem hoc concedit, ut spectra cum sint tam εὐπαθῆ, oculos ferire possint) sed si concesserim, inquit, videbor aliqua ratione facere, quod saltem oculis spectra occurrunt, ut possint τῇ ἐμπτώσει, et occursu visionem conficere et excitare. Quomodo autem animus et διάνοια feriri possint, non video. *Victor.*

Hæresi] Hoc est, secta philosophorum. *Hæresis* enim apud Græcos et Latinos in bonam partem accipiebant olim, ut et *secta,* etiam apud primos Christianos. Fortasse autem Stoica fuit aut Academica secta, quam deseruit. *Græv.*

Vi, hominibus armatis] Est formula solemnis in interdicto prætorio 'Unde vi,' quo aliquis in possessionem suam, de qua vi et armatis hominibus erat deturbatus, restituebatur. De qua vide Epist. VII. 13. *Idem.*

In hoc anno] Quod addi solebat in omnibus interdictis. *Manut.*

Forum attigisti] Virilem togam induisti. Vide superius ad V. 11.

(17.) *M. T. C. C. Cassio S. P. D.*
Anno U. C. 708.

Alteras habebis has breves] Nos putamus punctis male distinctas esse has dictiones; ut longe diversum sensum præ se ferant a vero, nisi fallimur: non enim *alteras habebis* intelligimus, quod alias longiores pleniores que nunc polliceatur, ideoque æquiore animo velit ferre illum harum brevitatem; nam id paulo post large promittit verbis illis, *sed expecta* πάντα περὶ πάντων. Sed ignosci sibi vult,

quod hæ non solum breves sint, sed alias etiam ante breves acceperit, ut hæ sint jam secundæ litteræ ad eum scriptæ breves. *Victor.*

Πάντα] *Omnia de omnibus;* longissimas litteras de omnibus rebus. *Manut.*

D. Syllam] Stephanus Pighius monuit in fastis suis ad annum urbis conditæ 702. legendum hic et infra *D. Sylanum.* Gebhard.

Πρόσωπον πόλεως] *Specimen civitatis.* Ironia. Vel, amisimus hominem, unde scire posses quam corrupta civitate utamur.

Refrixisset] Vide Epist. IX. 10.

Adversarium] In emendis Pompeianorum bonis. *Manut.*

Profectus] In provinciam Galliam.

Nuper] Epicureus factus.

Miseriis levavit] Valebat enim apud Cæsarem auctoritate. *Manut.*

Hominem præbuit] Humanissime se gessit; afflictis opem tulit. Sic Terent. in Heaut. 'Homo sum; humani nihil a me alienum puto.' *Idem.*

Ἀκενόσπουδος] *Minime curiosus,* inanium rerum studio vacans, rumusculos cujusque rei non captans. *Idem.*

(18.) *M. T. C. C. Cassio S. P. D.*

Anno U. C. 708.

Φλύαρον] *Garrulum.* Si garrulum habuisset auctorem; si is essem, qui nugis fabulisque scribendis delectarer.

Σπουδάζειν] *Serio agere,* graves res tractare. *Manut.*

Tua quidem] Manutius putabat legendum olim, teste Lambino, *Tua quidem, in culina; mea, in palæstra est.* Quam tamen conjecturam ipse probare non potuit, sed hanc cujusdam amici sui, *Tua quidem, in culina; mea, in molestia est.* Gulielmius pro *in molestia est,* putabat *in molestra est.* Videndus Festus. *Gebhard.* Ad gravem quæstionem ne nihil dicat, ridicule respondet, *in culina,* quia voluptatem sequens Epicuri; *in palæstra,* quia mihi placent, qui virtutem et laborem præferunt. *J. F. Gronov.*

Pudet enim servire] Aliquid agere publice, quia qui partem reip. tractat, is se componere ad nutum unius necesse habet. *Idem.*

Facio me alias res agere] Fingo me rerum aliarum satagere. *Idem.*

Platonis] Videtur alludere ad id, quod refert Epist. I. 9. 'Atque hanc quidem ille causam sibi ait non attingendæ reipublicæ fuisse, quod cum offendisset populum Atheniensem prope jam desipientem senectute,' &c. Ne Plato me arguat, quod tali tempore attingere velim rempublicam. *Idem.*

De Hispania] De bello Cæsaris adversus Pompeii filios. *Cellar.*

(19.) *C. Cassius M. T. Ciceroni S. P. D.*

Anno U. C. 708.

Spectra Catiana] Vide Epist. 16.

Regeram] Contra objiciam. Tu Catium notasti ut rusticum et indoctum: ego contra, tot rusticos tibi Stoicos nominabo, ut Catius, cum iis collatus, urbanissimus esse videatur. 'Regerere,' est ei, qui aliquid reprehendat, aliquid contra objicere. Plin. XIII. 15. 'Confines ei Mauri: quibus plurima arbor cedri, et mensarum insania; quas feminæ viris contra margaritas regerunt.' *Manut.*

Ea] Honores, provinciæ.

Τὸ καλὸν] Supra, Epist. 17.

Ἡδονὴν *vero et* ἀταραξίαν] *Voluptutem, et statum mentis perturbatione carentem.* In his enim duobus felicitatem locabat Epicurus: quod Plutarchi, Laërtii, et aliorum testimoniis probatur. *Manut.*

Τῷ καλῷ] *Honesto, pulchro.*

Amafinii] Vide Tuscul. IV. 3.

Sylla] Cujus mortem Cicero significaverat Epist. 17. *Judicium*] Quasi præstantis viri. Ironia. *Munut.*

Bona] Ne erraret in delectu, omnia bona sumpsit. Ludit in ambigua bonorum significatione. Nam philosophi de summo bono disputabant: Sylla vero Pompeianorum bona omnia, cum in auctione venderentur, coëmit. *Idem.*

Habet damnatos, quos pro illo nobis restituat] Arguta inprimis et festiva sententia. Lege Pompeia damnatos restituerat Cæsar; ut legimus apud eum de Bel. Civ. l. III. Hoc latenter Cassius notat; cum tamen de iis loquatur, quos Cæsar ad sectiones faciendas, ne hasta refrigesceret, Syllæ mortuo suffecturus esset. Jocus est in verbo *restituat*, ambigua significatione, ad majorem Cæsaris contumeliam. *Idem.*

Filium] P. Syllæ, qui patrem imitatur; itaque sectore non carebimus. Epist. ad Q. Fr. III. 3. *Idem.* Antonium, quem secundum heredem in testamento scripserat. Flor. IV. 4. 'Sectorem Pompeianorum bonorum.' Philipp. II. 26. *J. F. Gronov.*

Cnæus] Pompeii Magni filius.

Ἀντιμυκτηρίσαι] *Vicissim deridere*, sed rustice gladio. Nam urbani homines facetiis et salsis dictis, non gladio, derident. *Manut.*

(20.) *M. T. C. Trebonio S. P. D.*
Anno U. C. 709.

Natio] A Sabinis, qui tetrici, severi, durique, et continentes etiam a scriptoribus appellantur. *Corrad.*

Candidatorum] Qui magistratum petentes, populo se, quæsita interdum fictis cognominibus gratia, commendant. *Manut.*

A Curibus] Numæ regis patria, Sabinorum olim urbe nobili. *Manut.*

Olim] Vocem hanc omitti vellet Manutius, et legi *aliquantulum.*

Istic est] In vobis reipublicæ liberatoribus, te, Cassio, Marco et Decimo Brutis; quibus provincias senatus decreverat. Nam in urbe, dominantibus Antonio et Dolabella consulibus, respublica non esse videbatur. *Manut.*

(21.) *M. T. C. Trebonio S. P. D.*
Anno U. C. 706.

Librum] De quo infra.

Discedis a nobis] In provinciam Asiam proficiscens. Epist. XII. 16. *Manut.*

Fecisti] Temporibus Clodianis. *Idem.*

Mecum] Adversus inimicos meos simultates suscepisti. *J. F. Gronov.*

In armis] Civili bello.

Liber iste] Quem scripserat Trebonius de dictis Ciceronis. *Manut.*

Futurum satis] Malim *facturum satis;* ut subaudiatur 'me.' Alioqui, *quo tamen ipso* unde regatur, non erit; nam *futurum* nullo modo cum auferendi casu conjungi potest. *Idem.*

Calvo] De quo in Bruto, cap. 81.

Acute movebatur] Quod est ingenii. Sic Acad. lib. I. 'Zeno, cum valde subtiliter dissereret, et peracute moveretur, corrigere conatus est disciplinam.' *Manut.*

Genus quoddam] Dicendi.

Quo valebat tamen] Qua tamen parte valebat, id est, ingenio, consequebatur id quod optimum putabat: quam puto fuisse exilitatem orationis. Nam Calvus Atticum se oratorem videri volebat: et nimia quadam religione orationem attenuans, dum verebatur, ne quasi vitiosum sanguinem colligeret, verum etiam deperdebat. Hoc enim de illo Cicero scripsit in Bruto. *Manut.*

LIBER XVI.

(1.) *M. T. C. et Cicero Meus, et Frater, et Fratris Filius, Tironi S. P. D.*

Anno U. C. 703.

Ad honorem nostrum] Ad triumphum, quem sperabat; sed, eum ne discordiæ civiles impedirent, verebatur: id quod evenit. *Manut.*

Marionem] Servum.

Patris] Patræ oppidum Achaiæ.

Leucade] Leucas oppidum in peninsula cognomine Ionii maris.

(2.) *Tullius Tironi Suo S. P. D.*

Anno U. C. 703.

Alyziam] Qui est Acarnaniæ locus, a mari distans quindecim stadiis, ut ait Strabo lib. x. *Manut.*

(3.) *Tull. et Cicero Tironi Suo, et Q. Pater, et Q. Fil. S. D.*

Anno U. C. 703.

(4.) *M. T. C. et Q. Fr. et Q. Fil. Tironi S. P.*

Anno U. C. 703.

Lysonem] De quo Epist. XIII. 19.

(5.) *Tullius, et Cicero, et Q. Q. Tironi Humanissimo et Optimo S. P. D.*

Anno U. C. 703.

Q. Q.] Quintus pater, Quintus fil.

Thyrei] Locus inter Alyziam et Leucadem. Nam Patris Alyziam, inde Thyreum, Thyreo Leucadem Cicero venit; unde proficiscens hanc Epistolam scripsit. *Manut.*

Deportares] Grævius *deportaret.*

Curio] De quo Epist. XIII. 50.

Acastus] Servus Ciceronis est.

(6.) *M. Tullius Cicero Pater et Fil. et Q. Q. Tironi S. D.*

Anno U. C. 703.

Actio] Ad hoc Acarnaniæ promontorium Antonius ab Augusto maritima pugna victus. *Manut.* Virgil. 'Actia bella,' Æneid. VIII. 675.

(7.) *M. T. C. Tironi S. P. D.*

Anno U. C. 703.

Corcyræ] Insula maris Ionii.

Buthroti] Buthrotum Epiri urbs est.

Iis enim ventis istinc navigatur, qui si essent, nos Corcyræ non sederemus] Iste locus corruptus est, si recte perpendatur. Cicero, qui Patris reliquerat Tironem ægrum, in Italiam navigaverat, sed Corcyræ ventis adversis retinebatur. Hinc dicit, se non mirari nihil sibi litterarum afferri a Tirone, quia istis ventis, qui tunc flabant, commode Corcyra Patras possit curri, non vero Patris Corcyram. Quid vero est? *qui si essent, nos Corcyræ non sederemus.* Atqui erant ii venti, qui Patras propellebant naves Corcyra solventes; propter illos sedebat in illa insula invitissimus. Legendum censeo, ut huic loco sententia constet, *qui nisi essent, nos Corcyræ non sederemus.* Ultimæ litteræ præcedentis voculæ *qui* videntur primam syllabam *τοῦ nisi* imbibisse. Si hi venti non essent, nos Corcyræ non moraremur. *Græv.*

Nov.] Si attendimus, quod Epist. 9. scriptum est, cogemur *Dec.* non *Nov.* legere. *Manut.*

(8.) *Q. Cicero Tironi S.*

Anno U. C. 704.

Ἀκίνδυνα μὲν, χρονιώτερα δὲ] Id est, te quidem non ægrotare periculose, sed morbum fore diuturniorem. *Manut.*

Ψύχος δὲ] *Frigus autem tenui cuti inimicissimum*] Senarius Euripidis; sed amissæ tragœdiæ. *Idem.*

(9.) *Tullius et Cicero S. D. Tironi Suo.*

Anno U. C. 703.

Ad Cassiopen] De quo loco Plin. IV. 12. et Strabo lib. I.

Hydruntem] Hydrus, seu Hydruntum, hodie *Otranto*, est Calabriæ oppidum, Brundusio distans centum quinquaginta stadia, Strabone teste. *Græv.*

Cn. Plancii] Pro quo extat Oratio.

Symphoniam] Videtur Tironem invitasse ad symphoniam audiendam: ex quo, insueto aëri diutius, quam ferre valetudo poterat, expositus, pejus se habere cœperat. *Cellar.*

Ut medico honos] De pecunia intellige, non de honore; unde 'honorarium,' præmium honoris causa datum. *Manut.*

Curaturum] Romæ tantum pecuniæ, quantum mihi expensum tulisset. *Corrad.*

(10.) *M. T. C. Tironi S. P. D.*

Anno U. C. 708.

Pompeius] Nisi *Pomponius* legatur, hæc Epistola, ante quam in Ciliciam Cicero proficisceretur, scripta fuerit necesse est. Nam a Ciceronis reditu ex Cilicia ad Pompeii discessum ex Italia, nec Tiro in Italia fuit, nec Pompeius animo ita tranquillo, ut Ciceronis scripta audire cupierit: vel certe alius Pompeius significabitur. *Corrad.* *Pomponius* item placet Manutio, et Cellario.

Operas] Quas præbere consuesti.

Nostra] Quæ ad me pertinent, quæ me esse facturum tibi promisi. Manumissio significatur. Epist. 14. *Manut.*

Fides ἔτυμον quod haberet] Inde dicta, quia fiat id, quod dictum est. Offic. I. 7.

11.) *Tullius et Cicero, Terentia et Tullia, Q. Fr. et Q. Fil. Tironi S. P. D.*

Anno U. C. 704.

Ex desiderio] Mei.

Adhuc impudens] Forte *ad hoc*, id est, eousque impudens, ut parere senatui recusaret jubenti exercitum et provinciam deponere. *J. F. Gronov.*

Nulla vi expulsi] Sed vim interpretabantur S. C. quo removebantur a rep. Cæsar B. Civ. lib. V. *Gronov.*

Comparatur] Veteres absolute 'comparare,' intellecto ex proximis quid comparetur, amant uti. Liv. XXXVIII. 12. Vide ibi Not. Gronov.

Nos Capuam] Ad Attic. VII. 11.

(12.) *M. T. C. Tironi Suo S. P. D.*

Anno U. C. 704.

Improbis] Admonuimus olim Mediceum codicem, et alium item bonum *improbis* habere, tertio multitudinis casu; et paulo post eadem ratione *his*. Animadvertimus postea optimos auctores ita locutos esse. Quare veterem omnino lectionem recipiendam censemus. Citatur testimonium Accii Meleagro, a Nonio Marcello in Vastities: 'Quæ vastitudo hæc, aut unde invasit mihi?' Item Terentii Varronis e lib. IV. de Vita Populi Romani 1413. 'Tanta porro invasit cupiditas honorum plerisque, ut vel cœlum ruere, dummodo magistratus adipiscantur, exoptent.' Aliis etiam in locis apud eundem, nisi memoria me decipit, veteres scriptores ita locuti esse reperiuntur, et (ut arbitror) exempla passim occurrerent, nisi omnia quæ contra certas quasdam ipsorum regulas facerent, a recentioribus grammaticis temere deleta essent. *Victor.*

Hispaniam] Pompeii provinciam. Quod Cicero, vitandi belli civilis causa, censuit. Epist. VI. 6. *Manut.*

Trinundinum] Lex, ad populum ferenda, promulgabatur prius, ut per trium nundinarum spatium populo pateret; quo posset, lege satis con-

siderata, quid sentiret, suffragiis ostendere. Eadem, opinor, in magistratibus creandis ratio fuit, promulgatis per tres nundinas eorum nominibus, qui petebant; ut populus, de quibus suffragium laturus esset, tanto ante nosset. Atque hic *trinundinum*, pro trinundini spatio dictum puto. *Idem.*

T. Labienus] Epist. XIV. 14.

Varroni] De quo Cæsar B. C. III. 19.

(13.) *M. T. C. Tironi S. P. D.*
Anno U. C. 704.

(14.) *M. T. C. Tironi S. P. D.*
Anno U. C. 704.

Ummium] Alii *Mumium*, alii *Numium*, vel etiam aliter. Unde conjicit Manutius *Manium*, quod erat prænomen Curii; de quo supra Epist. 4.

Humanitatemque] Non dubito, quin *humanitatem* hic Cicero, non pro facilitate quadam et benevolentia erga homines, sed pro eruditione posuerit. Vide Gell. XIII. 16. *Manut.*

Dies promissorum] Manumissionem significari puto, ut etiam Epist. 10. 'Nostra ad diem dictam fient. Docui enim te, Fides ἔτυμον quod haberet.' Et Epist. 15. 'Ego te omni cura liberabo.' *Idem.*

Repræsentabo] Non expectabo, sed antevertam. Nisi leg. *quæ*. Statim præstabo, nec opperiar diem. *J. F. Gronov.*

(15.) *M. T. C. Tironi S. P. D.*
Anno U. C. 704.

Ægypta] Nomen servi, ad Att. Epist. IX. 15. Misit ad Tironem Cicero quinque servos suos, ut et benevolentiam in eum ostenderet, et de ejus valetudine certior fieri posset: Marionem primum, Epist. 1. deinde Menandrum Epist. 13. postremo Hermiam et coquum, Epist. 15. Acastum autem non misit, sed cum eo reliquit, Epist. 5. *Manut.*

(16.) *Q. C. M. Ciceroni Fratri S. P. D.*
Anno U. C. 704.

Statii] A Q. Cicerone manumissi. Vide Epist. ad Att. II. 18. 19. et ad Q. Fr. I. 2.

(17.) *M. T. C. Tironi S. P. D.*
Anno U. C. 708.

Tuas quoque] Ita ut meæ referuntur. Fuit enim hæc ipsius Tironis opera; quod et Nepos in Attici Vita ostendit: et Cicero ipse ad Att. XVI. 4. negat quidem eas a se in volumina referri, a Tirone tamen ait aliquot servari: 'Mearum Epistolarum nulla est συναγωγή,' &c. *Manut.*

Κανὼν] *Regula.* Utrum hoc ad judicium Tironis, qui scripta Ciceronis examinare, atque interdum etiam corrigere solitus esset, an ad diligentiam pertinet, qui summam in iis custodiendis ordinandisque curam poneret? ad judicium potius, ut opinor: quod indicant ea, quæ sequuntur. Miratur enim Cicero, parum apte translato verbo Tironem usum esse, quem ipse judicem suis in scriptis habere consuevisset. *Idem.*

Ἄκυρον] *Improprium*, alieno loco positum.

Ἀφωμίλησα] Ernestus, præeunte Lambino, interpretatur, *me a colloquio separavi.* Joan. Fr. Gronovio legendum videtur ἀνομιλήσας, cui adstipulatur Quarterius.

(18.) *Tullius Tironi S. P. D.*
Anno U. C. 708.

Non sic oportet] Inscribi Epistolas meas.

Si placet] Quandoquidem tibi placet, omittamus hanc inscriptionem, ut vitetur invidia, quam tibi forte concitaret.

Ut est] Pro *ut ut*, quomodocunque. Terent. Phorm. V. 4. 'Lætus sum, ut meæ res sese habent, fratri obtigisse quod vult.' Hoc est, quomodocunque meæ res sese habent.

Gronov. Obs. III. 6.

Parhedrum] Proprie, πάρεδρος, *assessor* est: transfertur ad alia, et consiliarium, aut custodem significat. Fortasse loquitur Cicero de olitoris vicino. *Manut.*

Helico] Sic veteres libri omnes, et opinor, mendose, obscure quidem certe. Obscura autem omnia si mutare conemur, ultra implicabimur difficili cura, nec semper necessaria. *Manut.*

Aprico horto] Apricus hortus est tepido ac leni, non torrentissimo soli expositus. 'Aprici colles,' qui orienti soli obversi sunt, Ovidio. 'Apricas terras' poëta simpliciter opposuit frigidioribus. Cl. Salmas. Exercitat. Plin. p. 990. ubi vide plura. *Idem.*

Emissario] Loco, qui aquam emittat, sistatve obicibus vel demissis, vel reclusis. Vide Sueton. Claud. cap. 20.

De Crabra] Agri Tusculani aqua. Vide Agrar. III. 2.

(19.) *M. T. C. Tironi S. P. D.*

Anno U. C. 708.

Demetrium] De quo Epist. 17. 22.

De Aufidiano nomine] Ut exigas ab Aufidio, quod debet. *Manut.*

(20.) *M. T. C. Tironi S. P. D.*

Anno U. C. 708.

Compone] Ordina, et dispone, suo quemque loco statue. *Manut.*

Metrodoro] Medico. *Idem.*

Quando] Alii *quum*, alii *quoniam.*

Cum olitore] Epist. 18.

(21.) *C. Fil. Tironi Suo Dulcissimo S. P. D.*

Anno U. C. 709.

Velles mihi successa, tum etiam] Duas has voces, *mihi successa*, quæ fuerant interjectæ, delevi. Erant enim supervacaneæ, et solœcismum gignebant. Ita enim Latini loquuntur, Omnia tua causa volo: neque adduunt hæc, *mihi successa.* Lambinus. Præiverat Henricus Stephanus in Pseudo-Cicerone. Vulgatam tamen acerrime tuetur Gasp. Sciopp. Verisimil. II. 3.

Convictio] Elegans hæc lectio debetur Mediceo, ut adnotat Egnatius, usupavitque ut genuinam Victorius in editione sua; posteaque in suam transmovit Lambinus. Confirmatur jam mihi de excerptis Vaticani. Alias plebeie est *jucundissima conjunctio.* Et cur non a 'convivere,' *convictio?* Gebhard.

Συζητήσει] Non placet Lambini interpretatio *conquisitione;* nec ea, quæ antea afferri solebat, *mutua quæstione.* Intelligitur enim de illo quotidiano colloquio, quo de hac re modo, modo de illa disputatur; motis ultro citroque super ea dubitationibus et quæstionibus. Hoc autem qui faciunt, non 'conquirere,' sed 'disquirere' dici possunt: ut Horatius dixit, 'Verum hic impransi mecum disquirite.' *H. Steph.*

Locum] Hoc est, sive ædem, sive cubiculum, in quo habitet. Sæpe 'locus' est diversorium, hospitium, ut in illa solenni locutione, 'locus lautiaque legatis præbita,' quæ sæpe apud Livium legitur. *Græv.*

Cassium] Neque iste quis fuerit, dicunt.

Leonides] Qui cum ad Ciceronem de filio scriberet, certi nihil ausus est polliceri. Epist. ad Att. XIV. 16. *Manut.*

Dimitterem] Causam, cur eum a filio dimitti Cicero voluerit, Plutarchus hanc narrat, quod ad potum et voluptates adolescentem alliceret. Hoc fortasse magistro didicit strenue bibere Cicero filius. Nam binos congios simul haurire solitum scribit Plin. lib. XIV. cap. ult. *Manut.*

Σπουδή] Propensa voluntas ad Gorgiam retinendum.

Grave esse, me de judicio patris] Non recte facere me, si de patris judicio ita judicare vellem, quasi falli pos-

set in eo, quod existimaret de Gorgia. *Manut.*

Hoc loco] Hac parte Epistolæ: cum gratulationibus tribuere primas fere Epistolarum partes soleamus.

Ubi deponendæ tibi sint] Ubi molestias et ineptias, quæ multæ sunt in urbe ferendæ, quoties earum tædium te ceperit, fugias et abjicias. *J. F. Gronov.*

Rusticus Romanus] Honestum nomen est plebeii ordinis: quia vera Romuli proles agrestibus operibus exercebatur, et rusticam plebem præponebat urbanæ, cum proceres civitatis in agris morarentur, et ubi consilium publicum desiderabatur, e villis arcessebantur in senatum, unde qui eos evocabant, 'viatores' nominati. Cic. pro Sextio in optimatium, hoc est, qui consilia sua optimo cuique probari velleut, secta collocat 'municipales rusticosque Romanos.' Idem de Senectute: 'Possum nominare ex agro Sabino rusticos Romanos, vicinos et familiares meos.' De Divin. lib. I. 'Exin cuidam rustico Romano dormienti visus est venire qui diceret, præsultorem sibi non placuisse ludis.' Tib. Atinium 'de plebe hominem' appellat Livius. *Gronov.*

Semina] Pomorum, quæ comeduntur in secunda mensa. *Manut.*

Hypomnematis] Commentariis.

Συμφιλολογεῖν] De litteris inter nos disputare.

(22.) *Tullius Tironi S. P. D.*
Anno U. C. 708.

Interpositio] Verba interposita, hoc est, recentiori manu scripta, *de quadrimo Catone*, de puere Catone, quatuor annos nato. Locus in iis quæ supersunt Ciceronis, non extat. Hunc mendo vacuum non esse suspicabatur Victorius.

Tertia] Mulier post duas sorores nata, unde nomen. *Aderit*] In cœna, quæ dabitur in illo triclinio. *Manut.*

Billienus est] Dignus suo nomine: vitio laborat ejus, cujus nomen gerit. Videtur enim Graius homo Demetrius cognomen sumpsisse Billieni, quod per Billienum quendam libertatem et civitatem accepisset. *J. F. Gronov.*

Vicarium] Ut ea diligentia in eo observando et cavendo utaris, qua ego uterer, si adessem. 'Vicarius' est, qui facit id, quod alius facere debebat. *Manut.*

Etsi. Veruntamen. De illis] Hæc facile supplere Tiro potuit, cui notæ erant patroni cogitationes. Similis brevitas ad Att. XIII. 2. XIV. 8. et 12. *J. F. Gron.* Brevitas locum obscurat: opinor tamen Demetrii illius, quem observari a Tirone jubet, concisum perplexumque sermonem repræsentarit. *Manut.*

(23.) *Tullius Tironi Suo S. P. D.*
Anno U. C. 709.

Professionem] 'Profiteri,' est hic, publice denuntiare, quidquid pecuniæ, agri, aliarumve rerum Cicero possideat. Et videtur, ut hæc per Tironem, sic altera superioris anni professio per Philotimum esse facta. Vide Epist. ad Att. XIII. 33. *Manut.*

Veruntamen] Subandi 'confice:' et hanc ipsam pecuniam profitere. *Idem.* Hoc alii cum sequentibus conjungunt, *Veruntamen Balbus, &c.*

Ut loqui non possit] Jocus; nam epiphora officium oculorum impedit, non linguæ. *Non possit* autem dixit, id est, nolit: quia studiosus Antonii, et homo tectus. Epist. ad Attic. XIV. 21. *Manut.*

Liceat modo rusticari] Quod urbanis rebus, quas Antonius consul e sua libidine administrat, antepono. *Idem.*

De Servilio] Isaurico, quem hoc anno obiisse testatur Dio lib. XLV. quem felicem videtur scripsisse Tiro, qui effugerit Antonii minas et gladios. Id ad me, inquit Cicero, non pertinet, qui cædem non timeo, et

vitæ obsaturatus sum, sed ad te. *J. F. Gron.*

Πανικοῖς] Repentinis terroribus; quorum causam Pani Deo tribuit antiquitas: unde πανικά. Hoc satis est ad intelligentiam loci. Plura si quis postulat, Politianum legat, Miscell. cap. 28. *Manut.*

Θορυβοποιεῖ] *Tumultum facit:* terrorem in aliis gignit. Vult enim timeri me ab Antonio. *Idem.*

Nec tamen] Etsi videre te cupio; nolo tamen te ab urbe discedere, priusquam conficias eam rem, cujus rei causa te misi. Miserat enim Cicero, ut pecuniam sibi per syngrapbam debitam, exigeret. *Idem.*

Γόνυ κνήμης] *Genu tibia propius est;* nam subauditur ἔγγιον. Theocritus in Idyllio, quod Charites inscripsit, eodem sensu dixit, ἀπωτέρω ἢ γόνυ κνήμα, *longius, quam genu, tibia.* Hoc proverbio significatur, curanda magis esse, quæ magis ad nos pertinent. *Idem.*

Rutam pulegio] Amarus, ut ruta, Leptæ sermo; suavis, ut pulegium, Tironis. Lepida similitudo. Amaritudo, inquit, sermonis Leptæ, sermonis tui suavitate, quasi ruta pulegio, condietur. Notissima est utraque herba. *Manut.*

(24.) *Tullius Tironi S. P. D.*
Anno U. C. 709.

Confiderem] In editione pervetusta, quam cum Mss. ab Italo collatam mecum communicavit Nic. Heinsius, vir summus et mihi amicissimus, emendatum erat *non quin diffiderem tuæ diligentiæ.* Sic omnino legendum. Quod et Gronovio τῷ πάνυ probabatur. *Grev.*

Prora et puppis] Summa consilii mei: nam prora et puppis totam navem continent. Unde natum proverbium apud Græcos, πρῴρα καὶ πρύμνη. *Manut.*

Offilio et Aurelio] Creditoribus. *Id.*

A Flamma] Debitore. Hic est Flaminius Flamma, nominatus ad XIV. 16. et XV. 1. 2. *Idem.*

De attributione] De assignatione pecuniæ, quam Ciceroni Dolabella, divortio facto cum Tulliola, ejus filia, debebat. *Idem.*

De repræsentatione] De pecunia ante diem solvenda: id enim est 'repræsentare.' Unde, 'repræsentare diem promissorum,' μεταφορικῶς, Ep. 14. *Idem.*

Certa] Perscribe. Verbum omittit, ut infra, 'sed quod egerint.' Et sæpe in Epistolis ad Att. figura est, quæ Græce ἀποσιώπησις dicitur, in Epistolis quæ ad Familiares mittuntur, nsurpata. *Idem.*

St] Vetustiores *si;* unde Manutius *st*, quæ nota silentii est.

Ad aquas] Baianas. Hic variant Mss. Vide Turneb. Advers. VIII. 5.

Quod egerint] Fac ut sciam; vel 'sciemus' subaudiendum; amat enim hic Cicero brevitatem, ut paulo ante: 'De publicis omnia mihi certa:' subaudi 'significa.' Mei tamen veteres libri *seu*, non *sed*, omnes habent. Itaque cogor de mendo suspicari. *Manut.*

Papiam] Mulierem Papiæ gentis, quæ Ciceroni pecuniam debebat. *Idem.*

(25.) *Cicero Fil. Tironi S. P. D.*
Anno U. C. 709.

(26.) *Q. Cicero Tironi suo S. P. D.*
Anno incerto.

Marcus] Frater.

(27.) *Q. Cicero Tironi Suo S. P. D.*
Anno U. C. 709.

Verberationem cessationis] Quid potest esse durius, aut magis diversum a Marci fratris purissimo sermone? Dicit hoc: Valde me, quia cessaverim in litteris ad vos mittendis, verberasti in Epistola tua: pro, tacite reprehendisti. *Manut.* Vide Turnebi Advers. VIII. 5.

Gallorum castris] Quo tempore in Gallia cum Cæsare militabant. *Manut.*

Ille latro] Antonium intelligit, contra quem illi bellum gesturi erant. Existimat enim Quintus Antonium, nisi copiis suis viribusque confisus fuerit, alia via illos aggressurum esse: et omnia facturum ut illos sibi placet, et in sententiam suam traducat. Putat eum id facile consecuturum similitudine vitæ, et societate vitiorum. *Victor.*

Alteri Cæsenam] Omnibus iniquus erat Quintus, et nemini parcebat, dummodo iræ suæ ac furori obtemperaret. De ambobus illis Coss. design. pessime sentiebat: veruntamen quantum suspicari possumus, alterum illorum ignaviorem inertioremque altero existimabat; nam quem aliquid consilii habere putabat, vix dignum esse dicebat cui Cæsena committeretur. Alterum, qui nullius consilii esset, sed penitus infirmi ingenii, ac intemperantissimæ naturæ, vix recte posse judicabat curare fundamenta Cossutianarum tabernarum. *Idem.* Vide iterum Turnebi Advers. VIII. 5.

HIERONYMI RAGAZONII

IN

EPISTOLAS CICERONIS

AD DIVERSOS COMMENTARIUS,

In quo brevissime, quo quæque earum ordine scripta sit, ex ipsa potissimum historia demonstratur.

M. Tullio Cicerone, C. Antonio Coss.

Anno U. C. 690.

Nullæ neque hoc anno, neque ante hunc annum, a Cicerone scriptæ extant Epistolæ, de quibus affirmari pro certo possit.

D. Junio Silano, M. Licinio Murena Coss.

Anno U. C. 691.

M. Tullius M. F. Cicero S. D. Cn. Pompeio Cn. F. Magno Imp.

v. 7. *Si tu exercitusque valetis, bene est. Ex litteris tuis*] Hæc Epistola scripta est Silano et Murena coss. anno postquam Cicero consul fuit. Erat autem in Asia Pompeius, Mithridatico bello confecto. Itaque voluptatem se accepisse ait Cicero ex illa victoria: graviter autem tulisse, quod Pompeius de rebus a se in consulatu, pulso ex urbe Catilina, gestis, sibi non fuerit gratulatus. Res hæ a Cicerone consule extremo consulatus sui mense gestæ erant. Pompeius autem, Pisone et Messala coss. id est, sequenti anno, ex Asia Romam rediit, et triumphavit, Plinio, cæterisque, auctoribus. Cicero quidem etiam libro primo ad Att. in Epistola, quam Kal. Jan. scripsit, Pisone et Messala coss. prodromos Pompeianos de adventu Pompeii nunciare scribit. Qua de re nihil in hac Epistola ait: ut omnino ante Kal. Jan. quibus consulatum Piso et Messala inierunt, scripta esse videatur.

Q. Metellus Q. F. Celer Procos. S. D. M. T. Ciceroni.

v. 1. *Si vales, bene est. Existimaram*] Hic Metellus prætor priore anno, consule Cicerone, fuit: hoc autem anno Galliam pro consule administravit, quam Cicero consul in concione deposuerat. Auctores, Sallustius, Dio, et alii. Queritur Q. Metellum Nepotem fratrem a Cicerone in senatu, se absente, fuisse oppug-

natum. Hanc Epistolam hoc anno scriptam esse, sequens Ciceronis responsio demonstrabit. Eandem autem ex provincia missam esse hæc verba indicant, 'qui provinciæ exercituique præsum.'

M. T. Cicero Q. Metello Q. F. Celeri Procos. S. D.

v. 2. *Si tu exercitusque valetis, bene est. Scribis ad me*] Respondet Cicero superiori Q. Metelli Celeris proconsulis Epistolæ. Hanc hoc anno scriptam esse, hinc intelligi potest, quod in hac agitur de rebus recens actis a Q. Metello Celeris fratre, tribuno plebis, qui fuit (Plutarcho, Appiano, Dione, et ipso etiam Cicerone auctoribus) Silano et Murena coss. id est, de iis rebus, quas ille tribunus contra se egit, prid. Kal. Jan., Kal. Jan., III Non. Jan. quo tempore Celer ipse Roma abfuisse videtur. Quibus de rebus agit etiam Dio in consulatu Silani et Murenæ.

M. T. Cicero S. D. C. Antonio M. F. Imp.

v. 5. *Etsi statueram*] Hic est C. Antonius, qui priore anno collega Ciceronis consulis fuit, et hoc anno provinciam Macedoniam, quam in consulatu obtinuerat, proconsule regebat, Dione, et aliis auctoribus. Hanc Epistolam hoc anno scriptam esse, apparet ex eo quod in hac commendat ei T. Pomponium Atticum in Græciam proficiscentem, qui ante Kal. Jan. Pisone et Messala coss. profectus Roma fuisse videtur: cum ad eundem lib. primo ad Attic. scribat Epistolam Kal. Jan. his consulibus. Itaque in utraque Epistola eadem fere continentur. Nam quod in hac ait, 'ne id dicam quod aiunt falso in me solere conferri abs te,' ad Att. est 'Antonium in cogendis pecuniis dictitare, partem mihi quæri, et a me custodem communis quæstus libertum esse missum.' Item quod in hac ait, 'Sed reliqua multo majus meum studium desiderant,' id est quod ad Att. scribit, 'prodromi Pompeiani nunciant aperte Pompeium acturum Antonio succedi oportere.' Idem confirmant verba Epistolæ ad Att. cujus initium est, 'Accepi tuas,' datæ VI Kal. Feb. Messala et Pisone coss. quæ sunt hæc, 'neque idipsum certum habeo, quando ad Antonium proficiscare.'

M. Valerio Messala, M. Pupio Pisone Coss.

Anno U. C. 692.

M. Cicero S. D. P. Sextio L. F. Procos.

v. 6. *Cum ad me Decius*] Hic P. Sextius quæstor C. Antonio consuli ac deinde proconsuli in Macedonia fuit: hoc autem tempore cum eodem in provincia erat. Itaque cum C. Antonio proconsuli succedendum esset, P. etiam Sextio quæstori ejus succedendum erat. De successore autem ipsi Antonio mittendo egit in Epistola superiore, agit etiam in hac, cum ait 'Antonium in senatu gravissime defendi.' Intelligit enim, ne ei succederetur. Post autem Cæsare et Bibulo coss. in judicio eum defendit de repetundis jam ex Macedonia reversum, Dione auctore lib. XXXVIII. et Cicerone in Orat. pro Cælio: quo judicio damnatus est, quod suspicio erat ne cum Catilina olim conjurasset. Hæc autem Epistola scripta est Messala et Pisone coss. quia Q. Fufius, de quo hic mentio fit, tribunus pleb. his consulibus fuit, Dione auctore lib. XXXVIII. item quod de domo a se empta scribit, de qua scribit etiam ad Att. in Epist. 6. Kal. Feb. data, Messala et Pisone coss. Quæ cum ita sint, puto in titulo Epistolæ *P. Sextium L. F. quæstorem*, aut *proquæstorem*, esse scribendum. Quod Orat. ipsa Ciceronis pro P. Sextio ostendit, in qua eum Romæ et in Macedonia C. An-

tonio consuli et proconsuli quæstorem ait fuisse. De proconsulatu autem nihil.

L. Afranio, Q. Metello Celere Coss.

Anno U. C. 693.

His consulibus nullæ extant scriptæ Epistolæ.

C. Julio Cæsare, M. Calpurnio Bibulo Coss.

Anno U. C. 694.

His consulibus ne ullæ quidem scriptæ extant Epistolæ.

L. Calpurnio Pisone, A. Gabinio Coss.

Anno U. C. 695.

M. Cicero Terentiæ, et Tulliolæ, et Ciceroni, suis.

XIV. 4. *Ego minus sæpe*] Hoc anno Cicero pulsus est a P. Clodio trib. pleb. mense Martio, ut puto, extremo. Nam ipse, quemadmodum scriptum est ad Att. lib. III. cum hoc tempore in Macedoniam tenderet, Naryce Locridis scripsit Id. Aprilis: post Vibonem venit: inde III Idus Aprilis, scripsit Thurii, et XIV Kal. Maii, Tarenti. Inde Brundusium venit XIII Kalend. Maii. Brundusii vero fuit XIII dies, ut in hac Epistola scriptum est. Prid. autem Kal. Maii hanc Epistolam Terentiæ scripsit Brundusii, quemadmodum in extrema Epistola adscriptum est. Quæ cum ita sint, sane apparet, cum ait in hac eadem Epistola, 'Brundusio profecti sumus a. d. V Kal. Maias,' legendum esse, *a. d. II Kal. Maias.* Alioquin nec XIII dies Brundusii fuerit, et dies Epistolæ datæ repugnabit. Est autem intelligendum hanc ab eo Epistolam scriptam esse tum cum a Brundusio proficiscebatur. Quod significat cum subjungit, 'per Macedoniam Cyzicum petebamus.'

M. Cicero Terentiæ, et Tulliolæ, et Ciceroni, suis, S. P. D.

XIV. 2. *Noli putare*] Hanc Epistolam scripsit iisdem consulibus, cum adhuc exularet, III Non. Oct. Thessalonicæ. Thessalonicam autem venerat a. d. X Kal. Jun. ut scribit ad Att. lib. III. 42.

M. Cicero Terentiæ, et Tulliolæ, et Ciceroni, suis, S. P. D.

XIV. 1. *Et litteris multorum*] Scripta est iisdem consulibus a. d. VI Kal. Decemb. Dyrrachii. Dyrrachium autem se a Thessalonica paulo ante recepisse videtur, tum ex hac Epistola tum ex Epistola ad Att. lib. III. 50. hoc eodem die Dyrrachii data.

M. Cicero Terentiæ, et Tulliolæ, et Ciceroni, suis, S. P. D.

XIV. 3. *Accepi ab Aristocrito*] Iisdem consulibus, pridie Kal. Decemb. Dyrrachii data: eodemque die scripsit Epistolam ad Att. lib. III. 51.

P. Lentulo Spinthere, Q. Metello Nepote Coss.

Anno U. C. 696.

M. Tullius Cicero S. D. Q. Metello Nepoti Cos.

V. 4. *Litteræ Q. fratris*] Hic est Q. Metellus Nepos, de quo trib. pleb. ante diximus, qui hoc anno consul cum P. Lentulo Spinthere fuit. Petit ab eo Cicero ut se in patriam restituat: quod impetravit. Nam Epist. ad Att. lib. IV. se prid. Non. Sept. hoc anno in urbem rediisse scribit. Itaque ante illud tempus hæc Epistola scripta est.

Cn. Lentulo Marcellino, L. Marcio Philippo Coss.

Anno U. C. 697.

M. Cicero P. Lentulo Procos.

I. 1. *Ego omni officio*] P. Lentulus, qui priore anno consul Cicero-

nem de exilio restituerat, hoc anno, id est, Marcellino et Philippo consulibus, proconsul in Cilicia erat, cupiebatque Ptolemæum regem a suis pulsum in regnum reducere. Hac de re quid actum sit, Cicero scribit Id. Jan. quemadmodum ex Epistola elicitur. Ex quo intelligi potest, Lentulum extremo suo consulatu esse Roma profectum. Quod ex Fenestella etiam colligitur, auctore Nonio, qui sic scribit: 'Ut magistratum tribuni inierunt, C. Cato turbulentus adolescens, nec imparatus ad dicendum, concionibus assiduis invidiam et Ptolemæo simul, qui jam profectus ex urbe erat, et P. Lentulo consuli, paranti jam iter, concitare secundo quidem populi rumore cœpit.' C. autem Catonem hoc anno tribunatum plebis gessisse, apparebit ex sequentibus etiam ad Lentulum Epistolis. Tribunos vero plebis IV Id. Decemb. inire solitos esse, satis ex Livio Dionysioque perspicuum est.

M. Cicero P. Lentulo S. D.

I. 2. *Id. Jan. in senatu*] Eidem Lentulo proconsuli narrat, quid de Ptolemæo reducendo sit actum ab Id. Jan. usque ad XVI Kal. Feb. quo die hæc Epistola data est, in qua meminit Lentuli Marcellini consulis, et Lucilii tribuni pleb. qui fuerunt hoc anno.

M. Cicero P. Lentulo S. D.

I. 3. *A Trebonio*] Eidem Lentulo proconsuli commendat negotia Trebonii, quæ multa in provincia Cilicia habebat. Hanc Epistolam subsequi superiorem ex eo intelligi potest, quod in quibusdam libris manuscriptis conjunctæ reperiuntur.

M. Cicero P. Lentulo S. D.

I. 4. *A. d. XVI Kal. Feb.*] Eidem Lentulo narrat quæ acta sint post diem XVI Kal. Feb. de re Ptolemæi. Scripta tamen est ante Kal. Feb. quod inde intelligi potest, cum ait, 'Senatus haberi ante Kal. Feb. per legem Papiam non potest.' Et quoniam iisdem de rebus scripsit ad Q. Fratrem lib. II. XIV Kal. Feb. suspicari quis posset, eodem die hanc etiam scriptam esse, aut non ita multo post?

M. Cicero P. Lentulo S. D.

I. 5. *Tametsi nihil*] Eundem Lentulum de eadem re quid actum sit certiorem facit. Haud ita multo post VIII Id. Feb. scripta est, cujus diei in hac Epistola meminit, et rerum quæ illo die actæ sunt; cum, si post eum diem multis diebus scripta fuisset, pluribus aliis de rebus actis eum certiorem facere potuerit, de quibus agit in Epistola ad Q. Fratrem XV Kal. scripta.

M. Cicero P. Lentulo S. D.

I. 6. *Quæ gerantur*] Cum eodem agit de eadem re Alexandrina. Procul dubio hoc anno scripta est, præsertim cum eadem impedimenta, de quibus paulo ante scripsit, commemoret.

Q. Metellus Nepos S. D. M. Ciceroni.

V. 3. *Hominis importunissimi*] Q. Metellus, qui priore anno consul Ciceronem restituit, hoc anno proconsul cum imperio in Hispania erat, Plutarcho in Cæsare, et Dione, auctoribus. Itaque idem in hac Epistola ait, 'Ad Lollium perscripsi de rationibus provinciæ quid vellem fieri, ut is vos doceret, et commoneface-ret.' Agit cum Cicerone de rebus a Clodio fratre hoc anno contra semetipsum et Ciceronem actis. Has res fuisse puto, de quibus agitur in oratione de Haruspicum Responsis, quæ hoc anno dicta est, teste ipso Cicerone, qui in oratione ipsa Philippi et Lentuli consulum meminit.

M. Cicero S. D. L. Luceio Q. F.

v. 12. *Coram me tecum*] Luceius Romanam historiam scribebat. Petit igitur ab eo Cicero, ut de consulatu deque restitutione sua in patriam separatim scribat. Hanc Epistolam Marcellino et Philippo consulibus esse scriptam, Epistola quædam ad Att. indicat, his consulibus data: in qua hæc verba sunt, 'Epistolam Luceio quam misi, qua res meas ut scribat rogo, fac ut ab eo sumas: valde bella est. Eumque ut approperet adhorteris, et quod mihi se ita facturum rescripsit gratias agas.'

Cn. Pompeio Magno II, M. Licinio Crasso II, Coss.

Anno U. C. 698.

M. Cicero P. Lentulo Procos. S. D.

I. 7. *Legi tuas litteras*] Initio secundi consulatus Pompeii et Crassi, qui hoc anno ex interregno consules facti sunt, (Appiano et Dione auctoribus) scripta est hæc Epistola. Quod inde intelligi potest, cum inquit, 'stipendium Cæsari datum, et ne succederetur.' Hoc enim initio consulatus sui secundi Pompeium egisse scribit App. et Dio. Scripta autem videtur ante mensem Aprilem, quia lib. IV. ad Att. scribit Aprili mense rumorem fuisse Puteolis, Ptolemæum esse in regno. In hac autem Epistola reductionem ejus Lentulum habere posse ait. Reductum autem esse Pompeio et Crasso coss. tradit Dio lib. XXXIX. Præterea quod ait in hac Epistola, 'quod mihi de filia et de Crassipede gratularis,' ad Q. Fratrem lib. II. scribit, prid. Non. Aprilis, Marcellino et Philippo coss. Tulliam Crassipedi desponsatam.

M. Cicero P. Lentulo Procos. S. D.

I. 8. *De omnibus rebus*] Hæc etiam scripta est Crasso et Pompeio coss. Hos enim notat, cum ait, 'res omnes sunt in amicorum nostrorum potestate.' Item, 'otium nobis exoptandum est, quod ii, qui potiuntur rebus, præstaturi videntur.' Item, 'Pompeium tibi amicum esse cognovi, et eo tu consule, quantum ego perspicio, quæ voles, obtinebis;' adhuc non reductum regem significat: quem tamen hoc eodem anno reductum esse a Gabinio proconsule Syriæ scribit, ut dixi, Dio.

M. Cicero M. Mario S. D.

VII. 1. *Si te dolor*] Marius in agris erat, Cicero Romæ. Minuit ei voluptatem ludorum, quos Pompeius consul II, id est hoc anno, edidit, quibus Marius non affuit. De quibus ludis latius scribit Dio lib. XXXVIII. in secundo consulatu Pompeii.

M. Cicero C. Sextilio Rufo Proquæstori S. D.

XIII. 48. *Omnes tibi commendo Cyprios*] Hic C. Sextilius primus Cyprum pro quæstore rexit, ut hac Epistola scribit Cicero. Cum autem M. Cato, Dione auctore, superiore anno, Philippo et Marcellino coss. ex Cypro redierit, in quam Gabinio et Pisone coss. profectus erat, eamque interim in provinciæ formam redegerat; profecto apparet, hunc Sextilium hoc anno in Cypro fuisse: præsertim vero, cum mentionem faciat legis P. Lentuli, qui biennio ante consul fuit. Huic ergo commendat Cicero omnes Cyprios, sed maxime Paphios. Neque vero pro certo rem affirmamus.

L. Domitio Ahenobarbo, Ap. Claudio Pulchro Coss.

Anno U. C. 699.

M. Tullius Cicero M. Licinio P. F. Crasso S. D.

V. 8. *Quantum meum studium*] M. Crassus priore anno consul Syriam provinciam adeptus, in eam eodem anno invitis et obnuntiantibus tribunis plebis profectus erat, auctore

Dione, et Plutarcho. Cicero autem hujus anni initio pro eo egit in senatu, cum consulibus Ap. Claudio et L. Domitio. Quid autem egerit, ad Crassum hac Epistola in provinciam scribit. De eadem etiam contentione et defensione Crassi loquitur in epistola longa ad Lentulum, (quæ extremo hoc anno, ut ostendam, scripta est) ita, 'Crassi causam, magna illius commendatione susceptam, defendi in senatu.'

M. Tullius Cicero C. Cæsari Imp. S. D.

VII. 5. *Vide, quam mihi persuaserim*] C. Cæsar jam quintum annum pro consule bellum gerebat in Gallia, cum ad eum cum his litteris C. Trebatium misit Cicero. Missum autem esse Domitio et Claudio coss. hinc intelligi potest, quod cum hanc Epistolam scripsit, Balbus erat Romæ. Quod significat, cum ait, 'sustulimus manus et ego et Balbus.' Idem autem Balbus erat Romæ his consulibus, Id. Jan. quemadmodum ex Epistola ad Q. Fratrem lib. II. intelligi potest, cujus initium est, 'Gaudeo tibi jucundas esse.' At Trebatius iisdem consulibus est in Gallia, mense Maio: ut elicitur ex Epistola ad Q. Fratrem, quæ incipit, 'A. d. III Non Jun.' ubi hæc verba sunt, 'Cæsar, Trebatium quod ad se miserim, persalse et humaniter etiam mihi gratias egit.' Profectus est autem iisdem consulibus Q. Frater ad Cæsarem post Trebatium, ante mensem Junium. Quod indicat Epistola ad eum proficiscentem scripta, cujus initium est, 'Duas adhuc.' In qua extrema hæc verba sunt, 'Trebatium ut valde ames, te valde rogo.'

M. Cicero Trebatio S. D.

VII. 6. *In omnibus meis Epistolis*] Cum hæc Epistola scripta est, Trebatius erat in Gallia cum Cæsare, itemque Balbus, quia ait, 'in omnibus meis Epistolis, quas ad Cæsarem aut ad Balbum mitto.' Hortatur eum ut desiderium urbis deponat, monetque ne in Britannia se decipi patiatur. Bis autem in Britanniam trajecit Cæsar: primum priore anno, Pompeio et Crasso coss. Dione auctore lib. XXXIX. iterum hoc anno, Domitio et Claudio coss. Dione auctore lib. XL. Itaque cum suspicaretur Trebatium cum Cæsare in Britanniam trajecturum, hæc scribit; si quidem in Epistola quadam ad Att. lib. IV. his coss. data, ait, 'ex Q. fratris litteris jam suspicor Cæsarem esse in Britannia.'

M. Cicero Trebatio S. D.

VII. 7. *Ego te commendare non desisto*] Trebatium item de Britannia monet, ut si utile sit in eam trajicere, trajiciat; sin minus, in Gallia maneat. Meminit item litterarum, quas a Q. Fratre multas accipit: de quibus ante diximus.

Cicero Trebatio S. D.

VII. 8. *Scripsit ad me Cæsar*] Scribit se accepisse litteras a Cæsare, quibus eum sibi familiarem futurum affirmat. Has autem Epistolas se accepisse ait a. d. III Non. Jan. ad Q. Fratrem scribens, his verbis, 'Cæsar, Trebatium quod ad se miserim, persalse et humaniter etiam mihi gratias egit.' Videtur suspicari, eum aut profectum jam, aut profecturum in Britanniam; quia ait, 'ego vestras Britannicas litteras expecto.'

Cicero Trebatio S. D.

VII. 17. *Ex tuis litteris*] Hæc Epistola superiorem sequitur: quia in illa suspicari videbatur eum profecturum esse in Britanniam: in hac vero profectum eum non esse, videtur scire, cum ait, 'in Britanniam te non esse profectum gaudeo. Ubi sis hiematurus, scribas ad me velim.' Cæsarem porro a. d. VI Kal. Oct. exercitum Britannia reportasse scribit Cicero ad Att. lib. IV.

Cicero Trebatio S. D.

VII. 9. *Jamdiu ignoro quid agas*] Quærit item ab eo ubi sit hiematurus.

Cicero Trebatio S. D.

VII. 10. *Legi tuas litteras*] Extremo hoc eodem anno videtur scripta hæc Epistola, quia ait, 'metuo ne frigeas in hibernis; quamobrem camino luculento utendum censeo.' In Britanniam item eum non esse profectum, se scire significat, cum ait, 'quod si in Britanniam quoque profectus esses, nemo te in illa tanta insula peritior fuisset.'

Cicero Trebatio S. D.

VII. 16. *In equo Trojano*] Hæc item prope anni finem scripta videtur, quia ait, 'nunc vero in hibernis injectus mihi videris.' Item, 'ecquid in Italiam venturi sitis hac hieme, fac plane sciam.' Item non transisse eum in Britanniam, se scire significat, cum inquit, 'Britannia non nimis φιλοθέωρον te præbuisti.'

M. T. Cicero P. Lentulo Procos. S. P. D.

I. 9. *Perjucundæ*] P. Lentulus pro consule adhuc Ciliciam regebat. Ap. Claudio consule scripta est, ex his verbis, 'Appius dixit, sese, si licitum esset, legem curiatam ferre, sortiturum esse cum collega provinciam: si curiata lex non esset, comparaturum cum collega, tibique successurum. Legem curiatam consuli ferre opus esse, necesse non esse.' Hac eadem de re scribit etiam ad Q. Fratrem V Id. Oct. his coss. ut omnino extremo hoc anno hæc Epistola scripta esse videatur. Exponit quærenti Lentulo, cur Vatinium, Crassumque inimicos ante suos, defenderit.

M. T. Cicero S. D. L. Valerio Jurisconsulto.

I. 10. *Cur enim tibi hoc non gratificer nescio*] Commendat Lentulo proconsuli Ciliciæ Valerium, qui in Cilicia erat. Credo autem commendasse eum in extremo consulatu ejus: nam eundem commendat etiam Ap. Claudio proconsuli, successori Lentuli, in prima ad eum Epistola.

Interregnum sex mensium ante Cn. Domitium Calvinum, M. Valerium Messalam Coss.

Anno U. C. 700.

Cicero Trebatio S. D.

VII. 11. *Nisi ante Roma*] Trebatius item in Gallia erat. Hoc autem anno per sex menses interregnum fuit sine consulibus, ut ait Dio lib. XL. Inde in reliquum anni creati sunt consules, Cn. Domitius Calvinus, et M. Valerius Messala. Hanc autem Epistolam per interregnum illud scriptam esse, ex his verbis intelligi potest, 'quis enim tot interregnis jurisconsultum desiderat?'

M. T. Cicero C. Curioni S. P. D.

II. 1. *Quanquam me nomine*] C. Curio in Asia erat, ut ex ea Epistola apparet, cujus initium est, 'Nondum erat auditum;' cum ait, 'et te jam ex Asia Romam versus profectum esse constaret.' Fuisse autem in Asia cum potestate, declarant verba illius Epistolæ quæ incipit, 'Hæc negotia;' quæ sunt, 'Vel quod excelso et illustri loco sit laus tua, in plurimorum et sociorum et civium conspectu.' Verisimile autem est quæstorem fuisse, quia paucis post annis fuit tribunus plebis: ante tribunatum autem capiebatur quæstura. Quantopere autem et socios, et cives Romanos publicanos, qui in Asia negotiabantur, juvare et vexare possent quæstores, apparet ex P. Rutilio, quæstore Q. Mucii Scævolæ; quem idcirco equites Romani damnarunt, quod Asianos a publicanorum injuriis defenderat. Priores hæ Epistolæ, quo anno scriptæ sint, ex earum

verbis non liquet; illud tamen constat, Epistolam illam, 'Nondum erat auditum,' scriptam esse hoc anno, Calvino et Messala coss. quia in ea commendat Curioni ex Asia Romam decedenti Milonem, consulatus candidatum hoc anno: Dione, Appiano, et Pædiano, auctoribus. Cum autem in omnibus Epistolis ante illam agat de reditu ejus, eodem forte anno omnes scriptæ esse videri poterunt, antequam Curio ex Asia decederet; si quidem in hac ait, 'ego te abfuisse tamdiu a nobis gaudeo.' Hæc certe præcedit reliquas, quod in ea Curionem a se requisivisse litteras scribit.

M. T. Cicero C. Curioni S. P. D.

II. 2. *Gravi teste*] Agit cum Curione absente de obitu patris ejus.

M. T. Cicero C. Curioni S. P. D.

II. 3. *Rupæ studium*] Hujus Epistolæ cum superioris conjunctum fere argumentum est. Agit enim de ludis funebribus in honorem patris Curionis edendis, eosque in adventum ejus differendos suadet. Ludorum spectandorum satietate omnes defessos ait, propter magnificentissimos, ut puto, ludos, quos Pompeius in secundo suo consulatu paulo ante dedit.

M. Cicero Trebatio S. D.

VII. 12. *Mirabar quid esset*] Epicureum factum esse Trebatium se audisse ait a Pansa. Rogat item ut ad se scribat quid agat: ut in superiore ad eundem Trebatium.

M. Cicero Trebatio S. D.

VII. 13. *Adeone me injustum*] Hæc Epistola his certe consulibus scripta est. Nam monet Trebatium ut vitet Treviros, quibuscum bellavit Cæsar hoc anno, Dione auctore. Scripta est autem a. d. III Non. Mart. ergo per interregnum.

Cicero Trebatio S. D.

VII. 15. *Quam sint morosi*] Ante, se moleste tulisse ait quod Trebatius in Gallia invitus esset; nunc dolere quod illic sit libenter. Invitum autem fuisse ibi Trebatium, intelligitur fere ex omnibus superioribus Epistolis.

Cicero Trebatio S. D.

VII. 18. *Accepi a te aliquot epistolas*] In hac item significat, se cognovisse quam forti animo militiam ferat, contra quam ille antea fecerit. Data est VI Id. Apr. de Pontino.

M. T. Cicero C. Curioni S. P. D.

II. 4. *Epistolarum genera*] Hortatur Curionem ad laudem, et maximam esse ejus expectationem ait. Rempublicam afflictam esse innuit: forte quod sine consulibus esset, nec comitia consularia haberi civili contentione possent. Scripta est certe post superiores; quia inquit, 'utar ea clausula qua soleo, teque ad studium summæ laudis cohortabor.' Hac autem clausula usus est prima et tertia ante Epistola.

M. T. Cicero C. Curioni S. P. D.

II. 5. *Hæc negotia*] Admirabilem expectationem ejus reditus esse ait. De republica afflicta eadem repetit.

M. Cicero S. P. D. P. Sextio P. F.

V. 17. *Non oblivione*] Hæc Epistola sine dubio scripta est post reditum Ciceronis ab exilio: quia ait, 'Et proxime, recenti adventu meo, cum rem aliter institutam offendissem, ac mihi placuisset, si affuissem, tameu nulla re saluti tuæ defui: cumque eo tempore invidia annonæ inimici non solum mei, verum etiam amicorum tuorum, plus valuisset,' &c. Nam invidiam annonæ, quæ gravior facta erat post reditum Ciceronis, fecit Claudius et Ciceroni et

amicis ejus. Est autem intelligendum, tria judicia commemorari in hac Epistola a Cicerone: unum, quo, cum esset Sextius quæstor C. Antonii proconsulis Macedoniæ, accusabatur una cum proconsule suo de repetundis, ut supra dictum est: alterum, de ambitu: tertium, de vi, ut scribit ad Q. Fratrem, Marcellino et Philippo coss. In primo judicio ait se defendisse eum; cum inquit, 'primis illis temporibus, quibus in invidiam absens et in crimen vocabare, defendi.' Judicio de vi est absolutus, defendente Cicerone; quia scribit ad Q. Fratrem, Epistola scripta Lentulo et Philippo coss. ita, 'Sextius noster absolutus est III Id. Mart.' Tertio judicio de ambitu est condemnatus, de quo eum consolatur in hac Epistola; cum ait, 'iniquitas totius judicii, multaque alia reipublicæ vitia, plus quam causa ipsa veritasque, valuissent.' Cum ergo damnatus illo judicio exularet Sextius, ad eum scripsit hanc Epistolam Cicero consolandi causa. Quia vero ait, 'non oblivione amicitiæ nostræ, neque intermissione consuetudinis meæ, superioribus temporibus ad te nullas litteras misi;' et paulo post, 'cum vero et intervallum jam satis longum fuisset,' significat aliquot tempora intercessisse post ejus exilium, de quibus non scripserat. Item quia ait, 'illud utinam ne vere scriberem, ea te republica carere, in qua neminem prudentem res ulla delectet;' propterea in eam opinionem adducor ut credam, scriptam esse hanc Epistolam biennio post quam Sextius damnatus fuerat: cum propter seditiones civiles consules creari non possent, sed interregna alia ex aliis inirentur. Quod hoc tempore factum est. Quamobrem hic ponendam esse hanc Epistolam, nihil tamen affirmantes, duximus.

Cn. Domitio Calvino, M. Valerio Messala Coss.

In reliquum anni.

Cicero Trebatio S. D.

VII. 14. *Chrysippus Vectius*] Adventante æstate scripta est, Calvinio et Messala coss. quia ait, 'sin æstivus timor te debilitat, aliquid excogita, ut fecisti de Britannia.' In quam scilicet trajicere cum Cæsare anno superiore noluit.

M. T. Cicero C. Curioni S. P. D.

II. 6. *Nondum erat auditum*] Superioribus proximis ad Curionem litteris magnam esse reditus ejus expectationem significat: in hac autem eum ipsum Romam adventare ait. Itaque huic adventanti Milonem commendat, qui in annum sequentem consulatum petebat, Dione, Appiano, Pædiano auctoribus.

Cn. Pompeio Magno III Cos. sine collega.

Anno U. C. 701.

M. Cicero M. Mario S. D.

VII. 2. *Mandatum tuum*] Hoc anno cum civili contentione consularia comitia haberi non potuissent, quibus Milo, Hypsæus, et Scipio petebant, interregnum fuit usque ad V Kal. Mart. quo die Cn. Pompeius Magnus consul creatus statim iniit, auctore Pædiano in Milonianam. Hæc igitur Epistola Pompeio III cos. scripta est, quia de nece Clodii agit, hoc anno per interregnum commissa, et de novis legibus, quas tulit Pompeius III consul: ut ait Pædianus his verbis, 'Pompeius statim consulatum iniit, deinde ante diem tertium de legibus novis ferendis retulit.' Eadem et de legibus et de judiciis Appian. lib. II. et Dio lib. XL. quæ nunc Cicero. Præterea de T. Munacio Planco Bursa damnato agit: de quo etiam Dio in tertio consulatu Pompeii. Damnatus est autem quod curiam incenderat in funere Claudii, teste Dione.

M. Cicero S. D. T. Fabio.

v. 18. *Etsi egomet*] Quanquam non admodum certa est hujus Epistolæ sedes, tamen ante bellum civile Cæsaris scripta esse videtur. Quod ex his verbis intelligi potest, ' Ea denique videtur conditio impendere legum, judiciorum, temporum, ut optime actum cum eo videatur esse, qui quam levissima pœna ab hac republica discesserit.' Consolatur autem Fabium de repulsa lata: quam repulsam ipse videtur tulisse Pompeio III consule, rempublicam extraordinaria cum potestate administrante. Quod videtur his verbis significari, ' et cum unum sit judicium ex tam multis quod reprehendatur, ut quod una sententia eaque dubia potentiæ alicujus condonatum existimetur, omnibus his de causis debes istam molestiam quam lenissime ferre.'

M. T. Cicero T. Titio, T. F. Legato S.

XIII. 75. *Etsi non dubito quin*] T. Titius legatus erat rei frumentariæ curandæ. Commendat ei C. Avianum, ut commodet ei de loco quo deportet frumentum: ut puto in Sicilia. Nam et, ' C. Avianus in Sicilia est,' charta 232. et Sicilia horreum populi Romani solet esse. Sedes hæc videtur esse hujus Epistolæ, quod ait se hoc idem obtinuisse per triennium, dum Pompeius ei negotio præfuit. Pompeius autem, Lentulo et Metello coss. rem frumentariam in quinquennium est adeptus, Dione auctore: quo expleto, facile hoc anno alius successit cum hoc Titio legato. Conjectura tamen est.

Ser. Sulpicio Rufo, M. Claudio Marcello Coss.

Anno U. C. 702.

M. T. Cicero Ap. Pulchro Imp. S. P. D.

III. 1. *Si ipsa respublica*] Appius Claudius proconsul erat in Cilicia, successeratque ante biennium Lentulo: Cicero Romæ erat. Hujus autem Epistolæ quanquam incerta sedes est, tamen illud affirmari posse videtur, non initio proconsulatus Appii missam esse, cum imperator, non proconsul, in titulo Epistolæ nominetur. Scripta est certe antequam Ciceroni obtigisset ut Appio in provincia succederet. Successit enim his iisdem consulibus, ut infra apparebit. De reconciliata gratia agit, quæ P. Clodii, fratris ejus causa, fuerat interrupta. Redierat autem in gratiam cum eo tum cum consul esset, ut eodem anno in Epistola longa scripsit ad Lentulum.

M. T. Cicero Procos. Ap. Pulchro Imp. S. P. D.

III. 2. *Cum et contra*] Nunciat Appio Claudio proconsuli Ciliciæ, sibi obtigisse ut ei in provincia succederet. Rogat eum ut sibi provinciam quam expeditissimam tradere velit. Romæ adhuc erat Cicero, ut in sequenti ait. Non videtur autem proconsul esse nominandus, nisi posteaquam aut in provinciam pervenit, aut certe imperium ad urbem accepit.

M. T. Cicero Procos. Ap. Claudio Pulchro Imp. S. P. D.

III. 3. *A. d.* XI *Kal. Jun.*] Scripta est tum cum in Ciliciam proficiscebatur successurus Appio, mense Maio; quemadmodum ex Epistolarum ad Att. lib. v. intelligi potest. Fuit autem in Tusculano cum Attico Non. Maii. Inde Arpino, Arcano, Aquino, Cumano, Pompeiano, Trebulano peragratis, Beneventum venit a. d. v Id. Maii, Tarentum autem a. d. XV Kal. Jun. At vero Brundusium a. d. XI Kal. Jun. quemadmodum in hac Epistola scribit. Ergo post XI Kal. Jun. scripta: est tamen ante Kal. Jun. si quidem ait, se C.

Pontinium legatum expectare Brundusii, eumque ante Kal. Jun. venturum arbitrari. De quo sic scribit etiam ad Att. lib. v. ' De Pontinio recte scribis. Est enim ita, ut si ante Kal. Jun. Brundusii futurus sit, minus urgendi fuerint M. Annius et Tullius.'

M. Cælius M. Ciceroni S. D.

VIII. 1. *Quod tibi decedenti*] Cælius Ciceronem proconsulem in provinciam proficiscentem certiorem facit de rebus urbanis, quemadmodum ei decedenti pollicitus erat se facturum. Scripta est post IX Kal. Jun. sed tamen ante Kal. Jun. quia ait, ' te a. d. IX Kal. Jun. subrostrani dissiparant periisse.' Item, ' Marcellus consul provinciarum relationem in Kal. Jan. distulit.'

M. T. Cicero Procos. Ap. Pulchro Imp. S. P. D.

III. 4. *Pridie Non. Jun.*] Scripta est post diem prid. Non. Jun. quo die se fuisse etiam Brundusii significat in Epistola ipsa.

M. Cicero C. Memmio S. D.

XIII. 1. *Etsi non satis*] C. Memmius Pompeio III cos. de ambitu condemnatus, Athenis nunc exulabat. Quo Cicero venerat a. d. VI Kal. Quint. ut est in Epistolis ad Att. Ibi cum videre Memmium exulantem non potuisset, (quod se prid. quam Athenas venerat Cicero, Mitylenas contulisset) scribit ad eum, doletque se non potuisse eum Athenis videre: petit autem ab eo ut Patroni cuidam commodet. Qua de re sic ad Att. lib. v. ' Commodius visum est et Xenoni, et post ipsi Patroni, me ad Memmium scribere, (qui prid. quam ego Athenas veni, Mitylenas profectus erat) ut is ad suos scriberet, posse id sua voluntate fieri.'

M. Cicero C. Memmio.

XIII. 2. *C. Aviano Evandro*] Ad eundem Memmium scribit, atque ei commendat Avianum statuarium, ut ei de habitatione accommodet. Scripta est ante Kal. Quint. quia inquit Aviano subitum esse remigrare Kal. Quint.

M. T. Cicero Procos. M. Cælio S. P. D.

II. 8. *Quid? ut me hoc tibi*] Cicero Athenis profectus est prid. Non. Quint. cum ibi decem dies ipsos fuisset. Ad Att. eo die Athenis proficiscens hanc Epistolam scripsit, ut ex ipsa Epistola apparet. Respondet Epistolæ Cælii superiori, cujus initium est, ' Quod tibi.'

M. Cælius M. Ciceroni S. D.

VIII. 2. *Certe inquam*] Certiorem facit Ciceronem absentem de rebus urbanis; id est, Messalam absolutum, Marcelli impetus resedisse, Hirrum secum ædilitatem petere. Mandat ut, si ædilis creatus fuerit, sibi curet pantheras: et syngrapham Sitianam ei commendat.

M. Cælius M. Ciceroni S. D.

VIII. 3. *Estne? vici*] Nuntiat item se in ædilitate competitorem habere Hirrum.

M. T. Cicero Procos. Ap. Pulchro Imp. S. P. D.

III. 5. *Tralles veni*] Cicero proficiscens in Ciliciam, Ephesum venit, XI Kal. Sext. ad Att. Tralles VI Kal. Sext. ex hac Epistola. Laodiceam in provinciam pridie Kal. Sext. Att. Fam. Hanc scripsit post VI Kal. Sext. ante prid. Kal. Sext. quia ait se putare illo die futurum Laodiceæ. De conveniendo in provincia Appio agit.

M. Cælius M. Ciceroni S. D.

VIII. 4. *Invideo tibi*] Scripta est Kal. Sext. ut adscriptum est in extrema Epistola. Nuntiat de rebus urbanis: ut C. Marcellum consulem

designatum esse : Curionem petere tribunatum plebis: comitia ædilitia, quibus ipse petebat, nondum esse habita. Pantheras et syngrapham Sitianam ei commendat.

M. Cælius M. Ciceroni S. D.

VIII. 5. *Qua tu cura sis*] Timere se ait de copiis Ciceronis, si Parthi moveant. Optat ei tantum belli, quo triumphum consequi possit. Curionem designatum tribunum plebis nuntiat. Nihil de suis comitiis ædilitiis ait: nondum autem habita fuisse videntur.

M. Cælius M. Ciceroni S. D.

VIII. 6. *Sic tu inquis*] Nuntiat se vicisse competitorem Hirrum, et ædilem se factum. Rogat item eum de pantheris: seque a. d. IV Non. Sept. hanc dedisse ait.

M. Cicero Procos. S. D. M. Marcello Cos.

XV. 9. *Te et pietatis*] Cum accepisset a Cælio comitiis consularibus C. Marcellum consulem factum, gratulatur M. Marcello consuli de C. Marcello fratre ejus patruele in insequentem annum consule designato. Quia vero de Parthis nuntiari aliquid ait, neque se publice adhuc ea de re scribere velle, propterea hæc Epistola videtur præcedere eam quam publice misit, in qua de Parthis nuntiat.

M. Cicero Procos. C. Marcello Cos. Des. S. D.

XV. 7. *Maxima sum lætitia*] Gratulatur ei quod consul designatus sit.

M. Cicero Procos. C. Marcello Collegæ S. D.

XV. 8. *Marcellum tuum*] Gratulatur C. Marcello collegæ in auguratu de C. Marcello filio consule designato.

M. Cicero Imp. L. Paulo Cos. Des. S. D.

XV. 12. *Etsi mihi nunquam*] Gratulatur L. Paulo cos. des. de consulatu. Hæ quatuor Epistolæ gratulationis eodem, ut puto, die scriptæ sunt. Non videtur autem in titulo Epistolæ *Imperator* appellandus, quod nondum in Amano rem gesserit.

M. T. M. F. Cicero Procos. S. D. Coss. Præt. Trib. Pl. S. P. Q. R.

XV. 2. *Si vos bene valetis, bene est: ego quidem valeo. Cum prid. Kal. Sext.*] Quod negarat paulo ante, cum scriberet ad M. Marcellum consulem, se adhuc de Parthico metu publice scribere velle, id nunc facit. Nuntiat enim senatui, ut venerit in provinciam prid. Kal. Sext. ut accepto nuntio de bello a Parthis in Syriam illato, iter in Ciliciam per Cappadociam facere cœperit. Cum autem hæc scripsit, in Ciliciam per Cappadociam tendebat.

M. T. Cicero Procos. Ap. Pulchro Imp. S. P. D.

III. 6. *Cum meum factum*] Eodem tempore scripta est atque superior: quia ait, se prid. Kal. Sext. in provinciam venisse, prid. Kal. Sept. ab Iconio castra movisse, iter in Ciliciam per Cappadociam facere. Agit cum Appio de ratione conveniendi eum in provincia.

Cicero Imp. S. D. M. Catoni.

XV. 3. *Cum ad me legati*] Nuntiat quemadmodum legati ab Antiocho Commageno ad se venerint in castra ad Iconium a. d. III Kal. Sept. et nuntiarint regis Parthorum filium cum magnis Parthorum copiis ad Euphratem venisse: se tamen de hac re nihil publice scribere. Non videtur autem *Imperator* esse appellandus in titulo Epistolæ, sed *Proconsul*, ob causam quam ante diximus. Præ-

terea vero mendose est in Epistola, se in castris ad Iconium conventum esse a legatis a. d. III Non. Sept. si quidem ad Att. scribit se lustrasse exercitum apud Iconium III Kal. Sept. et ad Appium, castra movisse ab Iconio prid. Kal. Sept.

M. T. M. F. Cicero Procos. S. P. D. Coss. Præt. Trib. Pl. S. P. Q. R.

XV. 1. *Si vos bene valetis, bene est: ego quidem valeo. Etsi non dubie*] Ter ante Romam scripsit de metu Parthico: primo ad M. Marcellum consulem obscurissime, qua in Epistola negavit se ad eum de ea re scribere velle, ne publice, cum ad consulem scriberet, scribere videretur. Deinde eadem illa ad senatum, id est, quemadmodum de bello a Parthis in Syriam illato quotidie et nuntii et litteræ afferrentur; qua in Epistola ait, se cum exercitu, per Cappadociæ partem eam quæ cum Cilicia continens est, iter fecisse, castraque ad Cybistra, quod oppidum est ad montem Taurum, locasse. Tertio in Epistola ad Catonem, qua ait, se in castris ad Iconium a. d. III Kal. Sept. accepisse a legatis Antiochi Commageni regis Parthorum filium Euphratem transire cœpisse: ea tamen de re nihil publice scripsisse. Quarto nunc ad senatum scribit, atque se non solum a legatis Commageni regis, Parthos Euphratem transire cœpisse audisse, sed etiam a. d. XIII Kal. Oct. cum exercitum in Ciliciam duceret, a Tarcondimoto accepisse Parthos item Euphratem transisse. Ergo quæ negarat Catoni se publice scripsisse, nunc quia certiora habet, scribit. Se ad Taurum instituisse ducere ait. Hanc Epistolam de Parthico tumultu recitatam in senatu Non. Oct. scribit ad Att.

M. Cælius M. Ciceroni S. D.

VIII. 8. *Etsi de republica*] Narrat senatus consulta facta prid. Kal. Oct. ut C. Marcellus, L. Paulus cos. des. ad Kal. Mart. (quæ futuræ essent in suo consulatu) de provinciis Galliis referrent ad senatum.

M. T. Cicero Procos. M. Cælio Rufo Ædili Cur. Des. S. P. D.

II. 9. *Plurimum tibi*] Respondet Epistolæ Cælii, cujus initium est, 'Sic tu, inquis, Hirrum tractasti?' Gratulatur ei quod ædilis factus sit; et serius se hoc facere ait, quia sero audierit; in iis enim locis esset, quo et propter longinquitatem et propter latrocinia tardissime omnia perferantur. Erat autem fortasse ad montem Taurum, de quo superiore Epistola.

M. T. Cicero Procos. S. D. Ap. Pulchro.

III. 8. *Etsi, quantum*] Cicero Tarsum venit, Ciliciæ urbem, III Non. Oct. Att. Tarso Amanum versus profectus est Non. Oct. ex hac Epistola. Postridie ejus diei hanc Epistolam scripsit, ut in hac ait. Querelis quibusdam Appii respondet. De Parthis quod falso nunciatum erat Romæ, ita quærenti Appio respondet, 'De Parthis quod quæris, fuisse nullos puto. Arabes qui fuerunt admixto Parthico ornatu, dicuntur omnes revertisse. Hostem esse in Syria negant ullum.'

M. T. Cicero Imp. M. Cælio Rufo Ædili Cur. Des. S. P. D.

II. 10. *Tu vide*] Cicero a. d. III Idus Octob. in Amanum montem venit: in eo rem bene gessit, apud Issum Imperator appellatus est. Fam. Att. Cum hanc Epistolam scripsit, in eo quintum et vigesimum jam diem Pindenissum oppidum oppugnabat, id est, XVI Kal. Decemb. Nam Pindenissum captum est Saturnalibus, ut scribit ad Att. id est, XIV Kal. Jan. cum per septem et quinquaginta dies illud oppugnasset, ut ait in Epistola ad Catonem Nullas se a

Cælio accepisse litteras ait, postea quam ædilis factus est. Neque enim dum accepisse videtur eas, quarum initium est, ' Etsi de republica.'

M. Cælius M. Ciceroni S. D.

VIII. 10. *Sane quam*] Hæc Epistola scripta est a. d. XIV Kal. Decemb. ut ex ipsa apparet, in qua agit de falso metu Parthico a Cassio nunciato, qui Arabas ornatu Parthico in provinciam immisisse credebatur. Qna de re scripsit superiore etiam Epistola ad Appium, postr. Non. Oct.

M. T. Cicero Procos. C. Curioni Trib. Pl. S. P. D.

II. 7. *Sera gratulatio*] Gratulatur Curioni de tribunatu plebis, serius, ut ait, quia longius abest. Scripta est hæc Epistola post captum Pindenissum, id est, post XIV Kal. Jan. Quod intelligi potest ex his verbis, ' Paucis diebus eram missurus domesticos tabellarios, ut quoniam sane feliciter et ex mea sententia remp. gessimus, unis litteris totius æstatis res gestas ad senatum perscriberem.'

M. Cicero Volumnio S. D.

VII. 32. *Quod sine prænomine*] Hæc Epistola scripta esse videtur Decembri mense: quia memiuit Curionis trib. pleb. cum ait, ' Cupio nostrum illum amicum in tribunatu quamplurimum habere gravitatis.' Dolet, post discessum suum omnia omnium dicta iu se conferri.

M. Cicero Q. Thermo Proprœt. S.

XIII. 53. *L. Genucilio Curvo*] Q. Thermus proprætor erat Asiæ tum cum Cicero proconsul erat Ciliciæ, quemadmodum ex sequentibus epistolis aperte apparebit. Commendat ei hac Epistola L. Genucilium. Quo autem mense eam scripserit, ex verbis ejus non liquet.

Cicero Thermo Proprœt. S.

XIII. 56. *Cluvius Puteolanus*] Incertum est an hæc Epistola scripta sit ante rem gestam a Cicerone in Amano, an vero posteaquam gessit. Illud non dubium est, scriptam esse postquam Epheso profectus est. Ephesum autem venit XI Kal. Sext. Att. siquidem ait, ' Dixerat mihi Eutbydemus cum Ephesi essem.'

Cicero Thermo Proprœt. S.

XIII. 55. *Etsi mihi videor*] M. Anneius legatus Ciceronis rei suæ causa profectus erat ad Thermum propræ-torem Asiæ, quemadmodum apparet ex Epistola ad Thermum, cujus initium est, ' Quo magis.' Profectus autem videtur esse post rem a Cicerone in Amano monte gestam: quia ait, ' Tum vero posteaquam mecum in bello ac in re militari fuit, tantam in eo virtutem, prudentiam, fidem, tantamque erga me benevolentiam cognovi, ut hominem neminem pluris faciam.' Hunc ergo commendat Thermo.

M. Cicero P. Silio Proprœt. S. D.

XIII. 61. *T. Pinnio*] Illud satis constare videtur, hunc Silium in provincia eodem tempore fuisse, atque Ciceronem: quia ait ipse Cicero ad Silium, ' magnum theatrum babet ista provincia, non ut hæc nostra.' Item videtur eodem tempore fuisse in provincia quo Cicero et Thermus in Cilicia et Asia, et Bibulus in Syria, erant: quia scribit ad Att. ' Thermum, Silium vere audis laudari. Valde se boneste gerunt. Adde M. Nonium, Bibulum, me, si voles.' Quanquam eo in loco mendose legitur *Silvium*, meo quidem judicio. Provincia vero in qua erat Silius, videtur fuisse Bithynia, in qua sunt Nicæenses, quorum in hac Epistola meminit. Itaque hæ omnes Epistolæ scriptæ ad Silium proprætorem,

scriptæ sunt a Cicerone ex provincia: quibus vero mensibus, non liquet.

M. Cicero P. Silio Proprœt. S. D.

XIII. 62. *Et in Atilii negotio*] Gratias agit Silio de Atilio, et commendat Q. fratrem. Ostendit autem se in provincia esse, cum ait, 'cum enim sero venissem.'

M. Cicero P. Silio Proprœt. S. D.

XIII. 63. *Non putavi*] Commendat ei C. Lenium. Ostendit se esse in provincia, cum ait, 'Ego eum a me invitissimus dimisi, quod consilio ejus fideli ac bono libenter utebar.' Rogat eum ut ad se confectis ejus negotiis quamprimum remittat.

M. Cicero P. Silio Proprœt. S. D.

XIII. 64. *Nero meus*] Commendat Silio Neronem, et quosdam ejus familiares.

M. Cicero Crassipedi S. P. D.

X. 9. *Quanquam tibi præsens*] Difficile est de vera hujus Epistolæ sede aliquid affirmare: sed tamen duplici conjectura ducor ut credam hoc tempore scriptam esse: altera, quod is Crassipes, quæstor Bithyniæ fuisse videtur, cum ait, 'Cujus rei quantam potestatem quæstor habeat, non sum ignarus:' ut quæstor esse C. Silii proprætoris Bithyniæ videatur. Altera est, quod utrique commendat socios Bithynicos familiares suos: inprimis autem Crassipedi P. Rupilium, magistrum in ea societate: C. vero Silio P. Terentium Hysponem, qui operas in scriptura pro magistro daret, ut in sequenti Epistola. Ex quibus intelligi potest id quod initio diximus, cum hoc tempore quo Silius proprætor erat in Bithynia, scriptam esse hanc Epistolam, tum vero Crassipedem Silii in Bithynia fuisse quæstorem.

M. Cicero P. Silio Proprœt. S. D.

XIII. 65. *Cum P. Terentio Hysponе*] Commendat P. Terentium Hysponem, qui in Bithynica societate operas in scriptura pro magistro daret. De cujus negotio se egisse ait cum Ephesiis cum fuit Ephesi in Ciliciam veniens.

Cicero Silio S. P. D.

XIII. 47. *Quid ego tibi commendem eum*] Commendat ei Egnatium. Quanquam non est adscriptum *Proprætori*, tamen idem Silius videtur esse. Videturque hæc Epistola subsequi superiores, quia ait, 'sed hæc coram.'

L. Æmilio Paulo, C. Claudio Marcello Coss.

Anno U. C. 703.

M. Cicero Imp. C. Catoni S. D.

XV. 4. *Summa tua auctoritas*] Jam Cicero æstivis confectis Q. fratrem legatum hibernis et Ciliciæ præfecerat. Inde in Asiam Tharso Non. Jan. reversus erat: Att. Tum igitur hanc Epistolam scripsit, in qua omnes res a se gestas in Amano monte exponit. Se Pindenissum cepisse nunciat, exercitum in hiberna dimisisse, Q. fratrem provinciæ præfecisse. Supplicationem propterea ut sibi Cato decernat petit.

M. Cicero Imp. C. Marcello C. F. Cos. S. P. D.

XV. 10. *Cum id accidit*] Petit item a consule ut de supplicatione sibi de rebus a se in provincia gestis decernenda referat.

M. Cicero Imp. L. Paulo Cos. S. D.

XV. 13. *Maxime mihi fuit*] Petit idem a Paulo consule quod petiit supra a collega Marcello. Misit etiam hoc eodem tempore de eadem re litteras ad senatum, quæ intercide-

runt: de quibus loquitur in superiore Epistola ad Marcellum, cum ait, 'Peto a te ut quam honorificentissimum S. C. litteris meis recitatis, faciendum cures.' Non scripsisse autem se statim post res gestas, indicat in Epistola ad Appium, cum ait, 'idque a me recte factum puto, quod non statim ut imperator appellatus sim, sed aliis rebus additis, æstivisque confectis, litteras miserim.' Atque hæ tres Epistolæ eodem fere die scriptæ esse videntur.

M. Cælius M. Ciceroni S. D.

VIII. 6. *Non dubito*] Hæc Epistola scripta videtur principio hujus anni, quia ait, 'consules adhuc S. C. nullum nisi de feriis Latinis facere potuerunt.' Nam ejusmodi S. C. primis anni mensibus fiebant. Item, 'Curioni nostro tribunatus conglaciat.' Et post, 'pro Cæsare loqui cœpit.' Inierat autem IV Id. Decemb. qui dies solennis erat.

M. Cælius M. Ciceroni S. D.

VIII. 7. *Quam cito*] Hæc Epistola scripta videtur postridie quam superior; nam ait, 'tuo liberto pluribus verbis scriptas pridie dederam.' Item audisse videtur rem a Cicerone bene gestam: quia ait, 'quo adhuc felicius rem gessisti.'

M. Cicero Procos. S. D. Ap. Pulchro.

III. 7. *Pluribus verbis*] Hæc Epistola scripta est dum Cicero esset Laodiceæ, ubi moratus est a III Id. Feb. usque ad Non. Maii: Att. et Fam. Inquit enim in hac Epistola, 'Hæc scripsi subito cum Bruti pueri Laodiceæ me convenissent, et se Romam properare dixissent.' Item scripta est post brumam; quia ait, 'tametsi id quidem fecerunt ridicule: quas enim litteras afferebant, ut opus æstate facere possent, eas mihi post brumam reddiderunt.' Ex quo intelligi potest, *Imperatorem*, non *Proconsulem*, in titulo Epistolæ esse appellandum: cum priore anno imperator sit appellatus. Querelis item quibusdam Appii respondet.

M. Cic. C. Cassio Proquæst. S. D.

XV. 14. *M. Fabium*] C. Cassius proquæstor erat Syriæ: eum hortatur ut Romam properans, curet ne quid sibi temporis in provincia prorogetur. Se de M. Fabio studiose facturum quæ rogavit ait.

M. T. C. Imp. M. Cælio Ædili Cur. S. P. D.

II. 14. *M. Fabio*] Commendat Cælio rem M. Fabii. Scripta videtur per hiemem, quia ait, 'Jamdiu propter hiemis magnitudinem nihil novi ad nos afferebatur.' Hoc fecisse C. Cassii rogatu videtur, ex superiore ad eum Epistola.

M. Cicero C. Curtio Peduceano Præt. S. P. D.

XIII. 59. *M. Fabium*] Commendat item huic rem M. Fabii. Ostendit etiam se in provincia esse, cum ait, 'etiam cum procul absim.'

M. Cicero C. Titio L. F. Rufo Præt. Urb. S.

XIII. 58. *L. Custidius*] Commendat huic L. Custidium. Ostendit etiam se in provincia esse, cum ait, 'etiam cum longissime absim.'

M. T. C. Imp. Ap. Pulchro S. D.

III. 9. *Vix tandem*] Litteras ab Appio jam placato, postquam ad urbem accesserit, se accepisse ait: rogat eum ut se adjuvet in supplicatione decernenda. Hæc aliquanto post superiores de supplicatione videtur scripta; quia ait, 'Omnino serius misi litteras quam vellem. In quo cum difficultas navigandi fuit odiosa, tum in ipsum discessum senatus incidisse credo meas litteras.'

M. T. C. Imp. Cælio Ædili Cur. S. P. D.

II. 11. *Putaresne unquam*] Respondet de pantheris. Se sollicitum esse quid de provincias decernatur, et Romam redire cupere ait. Scripta est Megalensibus, id est, Non. Apr. ex Epistola.

Cicero Thermo Propræt. S.

XIII. 54. *Cum mihi multa*] Commendat Thermo M. Marcilium. Scripta est hoc tempore, quia ait Marcilium ad se venisse Laodiceam, ubi hoc tempore erat Cicero, ut ostendimus.

Cicero Thermo Propræt. S.

XIII. 57. *Quo magis*] Ante Kal. Maias scripta est; quia ait, 'Ego in Ciliciam proficisci cogito circiter Kal. Maias. Ante eum diem redeat Anneius legatus oportet.' Erat autem Anneius ad Thermum profectus rei suæ causa, ut diximus. Quæ cum ita sint, et superiori et huic Epistolæ in titulo addendum est *Imp.*

M. T. C. Imp. M. Cælio Ædili Cur. S. P. D.

II. 13. *Raras tuas quidem*] Scripta est ante Non. Maii, quia ait, 'Proficisci in Ciliciam cogitabam Non. Maii, et, cum primum æstiva attigissem, militaremque rem collocassem, decedere.' Respondet Epistolæ Cælii, cujus initium est, 'Non dubito.'

M. T. Cicero Imp. Q. Thermo Propræt. S. P. D.

II. 18. *Officium meum*] Scripta est tum cum in Ciliciam revertebat ex Asia: quia ait, 'quod in Ciliciam proficiscebar.' Monet ut provinciæ quæstorem nobilem potius quam legatos præficiat.

M. T. Cicero Imp. Ap. Pulchro S. P. D.

III. 10. *Cum est ad nos allatum*] Appius accusatus a Dolabella, opem Ciceronis per litteras implorarat. Pollicetur ei opem Cicero, cum ait, 'Promitto me pro tua dignitate in hac provincia, cui tu præfuisti, rogando, deprecatoris; laborando, propinqui; auctoritate, cari hominis, ut spero, apud civitates; gravitate, imperatoris susceptarum officia atque partes.' Intelligit autem, ut legatos ex Cilicia mittendos suadeat periculi Appii deprecatores. Scripta videtur, vel cum Laodiceæ erat, vel postquam in Ciliciam reversus est; quia ait, 'Pontinus conscendens jam navim Epheso Laodiceam revertit.' Sperat eum propediem censorem auditurum. Petit ne quid sibi temporis addatur in provincia.

M. T. Cicero Imp. Papirio Pæto S. D.

IX. 25. *Summum me ducem*] Hæc Epistola scripta videtur postquam Laodicea discessit; quia ait, 'Is cum ad me Laodiceam venisset.' Commendat Papirio item rem M. Fabii; quam supra commendavit etiam Cælio.

M. T. Cicero Imp. C. Cælio L. F. Quæst. Des. S. P. D.

II. 19. *Cum optatissimum*] Scripta est post Kal. Quint. quia ait, 'Accepi a te missas litteras in Cilicia, cum essem in castris, a. d. X Kal. Quint.' Item quod ait, 'Gratissimum mihi feceris, si ad me in Ciliciam quam primum veneris.'

M. T. Cicero Imp. Cælio Rufo Ædili Cur. Des. S. P. D.

II. 12. *Solicitus equidem*] De decessione cogitat; quod ait, 'quare etsi cum hæc leges, ego jam annuum munus confecero; tamen obviam mihi velim sint litteræ tuæ, quæ me erudiant de omni rep. ne hospes plane veniam.' Eum videre ædilem se cupere ait.

M. T. Cicero Imp. Ap. Pulchro, ut spero, Censori, S. P. D.

III. 11. *Cum essem in castris*] Ad-

huc in Cilicia est Cicero; quod inde intelligitur, cum ait, 'Cum essem in castris ad fluvium Pyramum, redditæ mihi sunt uno tempore a te Epistolæ duæ.' Fuit autem in castris a. d. x Kal. Quint. ut supra diximus. Item cum ait, 'fiet a me cum per Asiam decedam.' Gratulatur eum absolutum esse de majestate, censorem jam illum esse sperat.

M. Cato M. Ciceroni Imp. S.

xv. 5. *Quod et resp.*] Respondet Cato Epistolæ Ciceronis, cujus initium est, 'Summa tua auctoritas.' In qua supplicationem petierat.

M. Cælius M. Ciceroni S. D.

viii. 11. *Non diu*] De supplicatione ejus quid egerit Curio trib. pleb. Paulus, et Marcellus, coss. Cato, Favonius, Furnius, Lentulus, Balbus, nunciat. Item, ut Pompeius cum senatu incubuerit ut Cæsar ante Id. Novemb. decedat e provincia.

M. T. Cicero Imp. Caninio Salustio Proquæst. S. P. D.

ii. 17. *Litteras a te mihi stator*] Salustius erat proquæstor Bibuli proconsulis Syriæ. Scripta est post xvi Kal. Sext. quia ait, 'litteras a te mihi stator tuus reddidit Tarsi, a. d. xvi Kal. Sext.' Se prid. Kal. Sext. decessurum putat: quia ait, 'quin ad diem decedam nulla causa est, præsertim sublato metu Parthico.'

M. Cælius M. Ciceroni S. D.

viii. 13. *Gratulor tibi affinitate*] Gratulatur Ciceroni filiam Dolabellæ nupsisse. Nunciat ei mortem Q. Hortensii, cum ait, 'Q. Hortensius, cum has litteras scripsi, animam agebat.' Videtur scripta hæc Epistola quo tempore Cicero e Cilicia decessit: quia scribit in Bruto, 'cum e Cilicia decedens Rhodum venissem, et eo mihi de Q. Hortensii morte esset allatum.'

M. T. Cicero Imp. Ap. Pulchro S. P. D.

iii. 12. *Gratulabor tibi prius*] Gratulatur Appio, quod absolutus sit de ambitu: excusat se quod Tulliam Dolabellæ accusatori ejus collocaverit. Scripta est paulo post quam discessit; quia ait, 'Decedenti mihi, et jam imperio annuo terminato a. d. iii Non. Sext. cum ad Sidam navi accederem, litteræ a meis sunt redditæ.'

M. T. Cicero M. Catoni S. D.

xv. 6. *Lætus sum*] Agit gratias Catoni de supplicatione. Jam autem propius accessisse videtur; quia ait, 'ego, ut spero, propediem te videbo.'

M. Cicero Imp. C. Marcello C. F. Cos. S. P. D.

xv. 11. *Quantæ tibi curæ*] Agit gratias de supplicatione. Eodem tempore quo superior, scripta videtur; quia ait, 'ego, si me navigatio non morabitur, quæ incurrebat in ipsos Etesias, propediem te, ut spero, videbo.'

M. T. Cicero Imp. Ap. Pulchro S. D.

iii. 13. *Quasi divinarem*] Agit gratias de supplicatione: eum jam sperat censorem.

M. T. Cicero Imp. M. Cælio Ædili Cur. S. P. D.

ii. 15. *Non potuit accuratius agi*] Agit gratias de supplicatione, et quod sibi gratulatus sit de matrimonio Tulliæ. Respondet Epistolis superioribus Cælii, 'Quam cito,' et 'Gratulor tibi affinitate.'

M. Cælius M. Ciceroni S. D.

viii. 12. *Pudet me*] Queritur de injuriis Appii, jam censoris: et se Ciceronem expectare ait, atque eum quamprimum videre cupere.

M. Cælius M. Ciceroni S. D.

viii. 14. *Tanti non fuit*] In hac etiam de Appio censore agit, rogatque Ciceronem ut quamprimum veniat.

Ad arma rem spectare ait, propter contentionem Cæsaris et Pompeii de exercitibus dimittendis. Item ait, 'scis Appium censorem hic ostenta facere? de signis, de tabulis,' &c. At ad Att. scribit Id. Oct. ita, 'scribere de censoribus, maximeque de signis, tabulis, quid fiat?' Ergo hæc ante Id. Oct. scripta.

M. Cicero Terentiæ, et Tul. suis, S. D.

XIV. 5. *Si tu, et Tullia lux nostra*] Cicero Epheso discessit Kal. Oct. Att. Athenas venit prid. Id. Oct. ex hac Epistola, quæ scripta est XV Kal. Novemb. Se ad arma rem spectare audisse ait.

Tullius, et Cicero meus, et Frater, et Fr. F. Tironi suo S. D.

XVI. 1. *Paulo facilius*] Cicero discedens Patris ægrotum ibi Tironem reliquerat. Ad eum igitur de valetudine scribit, III Non. Novemb.

Tullius Tironi suo S.

XVI. 2. *Non queo ad te*] Scripta est Non. Novemb. Alyzia. De valetudine item Tironis agit.

Tullius, et Cicero Tironi suo S. D. et Q. Frater et Filius.

XVI. 3. *Nos apud Alyziam*] Scripta est VIII Id. Novemb. quia ait, 'nos apud Alyziam diem unam commorati sumus. Is dies fuit Non. Novemb. Inde ante lucem proficiscentes a. d. VIII Id. Novemb. his litteras dedimus.' De valetudine Tironis item agit.

Tullius Tironi suo S. P. D. et Cicero, et Q. Frater, et Q. F.

XVI. 4. *Varie sum affectus*] Data est VII Id. Novemb. Leucade. De valetudine Tironis item agit.

Tullius, et Cicero F. et Q. Q. Tironi Humaniss. et Optimo S. P. D.

XVI. 5. *Vide quanta in te sit*] Scripsit hanc Epistolam Leucade proficiscens, VII Id. Novemb. De valetudine Tironis agit.

Tullius, et Cicero, et Q. Q. Tironi S. P. D.

XVI. 6. *Tertiam ad te*] Scripta Actio vesperi, VII Id. Novemb.

Tullius, et Cicero, S. D. Tironi suo.

XVI. 7. *Septimum jam diem*] Data XV Kal. Decemb. Corcyræ. Mendose autem legitur *XV Kalend. Novemb.* quia ait in Epistola sequenti, 'Corcyræ fuimus usque ad XVI Kal. Decemb. tempestatibus retenti: a. d. XV Kal. a portu Corcyræorum ad Cassiopen stadia CXX processimus.' De ægritudine agit.

Tullius et Cicero Tironi suo S. P. D.

XVI. 9. *Nos a te*] Corcyra ad Cassiopen se processisse ait a. d. XV Kal. Decemb. ibi fuisse usque ad IX Kal. postridie in Italiam ad Hydrunten pervenisse; VII autem Kal. Decemb. Brundusium venisse, et secum in oppidum Terentiam introisse, a. d. V Kal. Decemb. Brundusii Tironis litteras accepisse, quibus cognovit Tironem convaluisse. Rogat igitur eum ne temere naviget: videturque Brundusio discessisse, quia ait, 'equum et multum Brundusii tibi reliqui.'

C. Claudio Marcello, L. Cornelio Lentulo Coss.
Anno U. C. 704.

Tullius et Cicero, Terentia, Tullia, Q. Q. Tironi S. P. D.

XVI. 11. *Etsi opportunitatem*] Cicero a. d. VIII Id. Decemb. in Trebulanum venit: Att. de Formiano vero Taracinam venit prid. Kal. Jan. Inde in Albanum Pompeii. Ita a. d. III Non. Jan. ad urbem cogitabat. Att. Hanc autem Epistolam Tironi scripsit prid. Id. Jan. qua certiorem Tiro-

nem facit (qui adhuc ægrotus erat Patris) quemadmodum ad urbem accesserit pridie Non. Jan. item quemadmodum Cæsar ad senatum minaciter scripserit, et ut senatus consulibus, prætoribus, tribunis plebis, et sibi proconsuli remp. commendarit: Italiæ regiones, quas quisque tueretur, descriptas esse: se Capuam sumpsisse. Hoc autem S. C. factum esse VII Id Jan. scribit Cæsar, Bel. Civ. lib. I.

Cicero Rufo S.

V. 20. *Quo modo potuissem*] Videtur hæc Epistola scripta tum cum Cicero ad urbem erat; primum quia ait, se tribunos militum, contubernales et præfectos, detulisse (quæ delatio non nisi ad urbem fiebat); deinde quia addit, 'cum Tullius rure redierit, mittam eum ad te.' Agit cum quæstore suo Rufo de relatis provinciæ rationibus.

Tullius Terentiæ, et Pater Tulliolæ, duabus animis suis: et Cicero Matri optimæ, suavissimæ Sorori S. P. D.

XIV. 14. *Si vos valetis, nos valemus*] Data est VIII Kal. Feb. Minturnis; nam mendose legitur *VIII Kal. Quint.* fuit enim Minturnis hoc die, ut scribit ad Att. Accedit quod agit cum uxore, et filia, an debeant Roma cedere adventu Cæsaris, an ibi tuto esse per Dolabellam possint. Qua de re agit etiam in sequenti Epistola, VII Kal. Feb. data Formiis.

Tullius Terentiæ, et Pater suavissimæ Filiæ: Cicero Matri et Sorori S. P. D.

XIV. 18. *Considerandum*] Data est VII Kal. Feb. Formiis. Agit de eadem re atque in superiore egit.

M. Tullius S. D. Tironi suo.

XVI. 12. *Quo in discrimine*] Cicero VI Kal. Feb. venit Capuam: Att. Hanc scripsit IV Kal. Feb. Capua. Tiro adhuc erat Patris: se adhuc præesse oræ maritimæ a Formiis ait. Cæsarem Ariminum, Pisaurum, Anconam, Aretium occupasse ait, urbem a se relictam esse. Hortatur Tironem ne aut æger aut hieme naviget.

Q. Cicero Tironi S. D.

XVI. 8. *Magnæ nobis*] Q. Cicero rogat Tironem ne se tam longæ navigationi committat, et viæ per hiemem, nisi bene firmus sit. Quod ab eo petiit etiam superiore epistola M. Cicero.

M. Cælius Ciceroni S. D.

VIII. 15. *Ecquando*] Cicero Capua profectus est Formias III Kal. Feb. Inde a consulibus jussus rediit prid. Non. Att. Capua vero discessit VII Id. Att. Pompeius X Kal. Mart. Canusii erat. Att. Canusio profectus est VIII Kal. Att. V Kal. Mart. Brundusium venisse poterat. Expeditus enim antecesserat legiones Luceria. Att. Cæsar Kal. Arpis fuit. VII Id. Brundusium venit, persequens Pompeium. Att. Pompeius Brundusio conscendit Id. Mart. Att. vel a. d. XVI Kal. Apr. Att. Hoc autem tempore hæc Epistola scripta videtur; quia ait, 'Cæsar me, cum expulisset ex Italia Pompeium, constituit ad urbem vocare. Id quod jam existimo confectum: nisi maluit Pompeium Brundusii circumsedere.'

Tullius Tironi S.

XVI. 13. *Omnia a te data*] Data est IV Id. Apr. Monet ut convalescat.

Tullius Tironi S. D.

XVI. 14. *Andricus*] Data III Id. Apr. De ægritudine agit.

Tullius Tironi S.

XVI. 15. *Ægypta*] Data est post prid. Id. Apr. quia ait, 'Ægypta ad me venit prid. Id. Apr.' Se accepisse ab eo Epistolam vacillantibus

litterulis, ait, ex quo apparet jam Tironem convalescere: præsertim cum addat sibi nunciatum, eum febri carere, et belle habere.

M. T. Cicero Ser. Sulpicio S. D.

IV. 1. *C. Trebatius*] Cæsar, pulso ex Italia Pompeio, post Id. Mart. Romam redierat, ad senatum de rep. retulerat, ærarium diripuerat. Itaque hac Epistola rationem affert Cicero cur rogante Cæsare non venerit in senatum. Post fugam Pompeii scriptam esse, hæc verba indicant, 'Vides orbem terrarum imperiis distributis ardere bello, urbem sine legibus, sine judiciis, sine jure, sine lege, sine fide, relictam direptioni et incendiis.' Scripta tamen est ante diem illum qui dicitur III Kal. Maias, ex sequenti ad eundem epistola. Agit cum eo de conveniendo illo, seque cogitare ait ab urbe longius discedere.

M. Cælius M. Ciceroni S. D.

VIII. 16. *Exanimatus*] Rogat Ciceronem Cælius ne se ad Pompeium Italia pulsum conferat, ne Cæsarem offendat. Itaque ait, 'Cæsar iratus senatui exiit.' Intelligit autem extra urbem, ut in Hispaniam contra Afranium et Petreium, legatos Pompeii, eat. Et post addit, 'Quod si totum tibi persuadere non possum, saltem, dum quid de Hispaniis agamus, scitur, expecta, quas tibi nuncio adventu Cæsaris fore nostras. Quam isti spem habeant amissis Hispaniis, nescio.' Non videtur autem adhuc discessisse Italia Cæsar: quod ait, 'me secum in Hispaniam ducit. Nam nisi ita faceret, prinsquam ad urbem accessissem, ubicunque esses, ad te percurrissem.' Meminit harum litterarum Cælii, in ep. ad Att. in qua ait se in Cumano Sulpicium expectare.

M. T. Cicero Ser. Sulpicio S. D.

IV. 2. *A. d. III Kal. Maias*] Agit cum eodem de conveniendo, et de consilio profectionis ad Pompeium, qui in Epiro erat cum consulibus. Scripta est post III Kal. Maias, ut ex Epistolæ primis verbis apparet. Ad Att. etiam ait se Servium expectare ad Non. quod in Cumano se facturum esse, in hac epistola scribit.

M. T. Cicero Imp. M. Cælio Ædili Cur. S. P. D.

II. 16. *Magno dolore*] Respondet Epistolæ Cælii, qua se deterruerat ne Pompeium Italia pulsum sequeretur.

M. Cicero Rufo S.

V. 19. *Etsi mihi*] Scripta est paulo ante quam iret ad Pompeium; quia ait, 'mihi consilium captum est jamdiu.' Item, 'quare si simul placebit, statim ad me venias.' Intelligit autem profectionem ad Pompeium, ut aperte apparet ex Epistola.

M. Cicero Terentiæ suæ S. P. D.

XIV. 7. *Omnes molestias*] Cæsare in Hispaniam profecto, Cicero se ad Pompeium in Græciam contulit, auctore Plutarcho in Cicerone. Ex itinere autem hanc Epistolam scripsit. Quod intelligitur, cum ait, 'Navim spero nos valde bonam habere. In eam simulatque conscendi, hæc scripsi. Deinde conscribam ad nostros familiares multas Epistolas, quibus te et Tulliam nostram diligentissime commendabo. Tu velim iis villis utare quæ longissime absint a militibus.' Data est VII Id. Jun.

Cæsar hoc eodem anno, Hispaniis victis, Placentina militum seditione compressa, Romam iterum reversus est, et dictator creatus comitia habuit, quibus se et Isauricum consules in insequentem annum creavit, atque intra undecim dies dictatura abdicavit. Auctor App. et Cæsar B. C. lib. III.

C. Julio Cæsare II, P. Servilio Isaurico Coss.

Anno U. C. 705.

Cæsar hoc anno prid. Kal. Jan. trajecit in Epirum, adversus Pompeium, eumque per quatuor fere menses obsedit. Auctores, Suetonius in Cæsare, et Cæsar B. C. lib. III.

M. Cælius M. Ciceroni S. D.

VIII. 17. *Ergo me potius*] Quo tempore Pompeius ad Dyrrachium in Epiro, et Cæsar ad flumen Tapsum castra habebant, Cælius Romæ prætor hanc Epistolam scripsit. Cæsar B. C. lib. III. Hoc indicare etiam Cælius in Epistola videtur, cum ait, 'Quid istic facitis? prælium expectatis, quod firmissimum est.'

Dolabella Ciceroni S. D.

IX. 9. *Si vales, gaudeo*] Scripta est cum Pompeius ad Dyrrachium obsessus est a Cæsare; quia ait, 'Pulso Italia Pompeio, amissis Hispaniis, capto exercitu veterano, circumvallato nunc denique.' Hortatur eum ut Pompeium tanquam victum relinquat. Terentiam minus belle habuisse nunciat, sed eam jam convaluisse.

M. Cicero Terentiæ suæ S. P. D.

XIV. 8. *Si vales, bene est: ego quidem valeo. Valetudinem tuam*] Cicero cum Pompeio erat. In castris sibi nunciatum ait, Terentiam in febrim subito incidisse. Data IV Non. Jun.

Tullius Terentiæ suæ S. D.

XIV. 21. *Si vales, bene est: valeo. Da operam*] Monet eam ut det operam ut convalescat.

M. Cicero Terentiæ suæ S. P. D.

XIV. 6. *Nec sæpe est*] De prædio vendendo agit. Data Id. Quint.

Pompeius hoc anno in Pharsalia, media æstate, ut ait Plut. in Bruto, summo prælio cum Cæsare decertavit. Ex qua victus in Ægyptum se recepit, atque ibi interfectus est, eodem die quo de Mithridate triumphaverat, Dione auctore; id est, pridie Kal. Oct. Plinio et Capitolinis lapidibus testibus. Itaque Cicero IV Kal. Decemb. scribit ad Att. de exitu Pompeii.

M. Cicero Terentiæ suæ S. P. D.

XIV. 12. *Quod nos in Italiam*] Data est prid. Non. Novemb. Brundusio. Nunciat se rediisse in Italiam, et a bello recessisse significat, cum ait, 'perturbati dolore animi magnisque injuriis, metuo ne id consilii ceperimus quod non facile explicare possimus.' Qua de re etiam ad Att. Hoc est autem tempus illud quo Cicero Brundusii per multos menses moratus est. Cæsarem autem post prælium Pharsalicum in Ægyptum se contulisse, atque ibi per novem menses fuisse, tradit Appianus. De quo tempore sic Cicero in Orat. pro Q. Ligario: 'Apud quem igitur hoc dico? nempe apud eum, qui cum hoc sciret, tamen me antequam vidit, reip. reddidit; qui ad me ex Ægypto litteras misit, ut essem idem qui fuissem: qui, cum ipse imperator in toto imperio populi Rom. unus esset, esse me alterum passus est: a quo, hoc ipso C. Pansa nuncium perferente, concessos mihi fasces laureatos tenui, quoad tenendos putavi. Qui mihi tum denique se salutem putavit reddere, si eam nullis spoliatam ornamentis redderet.'

Tullius Terentiæ suæ S. D.

XIV. 19. *In maximis*] Agit de valetudine Tulliæ, de qua agit etiam in Epist. ad Att. quæ data est IV Kal. Decemb. De convenienda illa loquitur his verbis, 'Quod me propius vultis accedere, video ita esse faciendum. Etiam ante fecissem, sed me

multa impedierunt, quæ ne nunc quidem expedita sunt.' Qua de re agit etiam in Epistola ad Atticum, de qua dixi.

M. Cicero Terentiæ suæ S. P. D.

XIV. 9. *Ad cæteras*] Agit de valetudine Dolabellæ, et etiam Tulliæ; ut ante.

Tullius Terentiæ suæ S. D.

XIV. 17. *Si quid haberem*] Agit item de valetudine Tulliæ.

C. Julio Cæsare Dictatore II.
Anno U. C. 706.

Hoc anno Cæsar in Ægypto alteram dictaturam iniit, sine consulibus, magistro equitum M. Antonio. Auctore Dione.

Tullius Terentiæ suæ S. D.

XIV. 16. *Si vales, bene est: ego valeo. Etsi ejusmodi tempora*] Data est prid. Non. Jan. Videtur scripta posteaquam reliquit Pompeium, ex his verbis, 'quanquam alia sunt quæ magis curemus, magisque doleamus: quæ me ita conficiunt ut ii voluerunt qui me de mea sententia detruserunt.' Quod videtur de iis dictum qui illum invitum coëgerunt partes Pompeianas relinquere.

M. Cicero Terentiæ suæ S. P. D.

XIV. 11. *Si vales, bene est: ego valeo. Tullia nostra*] Data est XVII Kal. Quint. Cogitabat Ciceronem filium obviam Cæsari mittere: quem decessisse Ægypto fama erat, ut ait ad Att. Tulliam ad se venisse prid. Id. Jun. ait. Itemque ad Att.

Tullius Terentiæ suæ S. D.

XIV. 15. *Si vales, bene est. Constitueramus*] Data est XII Kal. Quint. Ait se mutasse consilium de mittendo Cicerone Cæsari obviam; secum adhuc habere Tulliam.

Tullius Terentiæ suæ S. P. D.

XIV. 10. *Quid fieri placeret*] Data VII Id. Quint.

M. Cicero Terentiæ suæ S. P. D.

XIV. 13. *Quod scripsi ad te*] Data VI Id. Quint.

Tullius Terentiæ suæ S. D.

XIV. 24. *Si vales, bene est: valeo. Nos neque*] Data IV Id. Sext. Se nihil habere certi de Cæsaris adventu ait.

Tullius Terentiæ suæ S. D.

XIV. 23. *Si vales, bene est: valeo. Redditæ mihi*] Data prid. Id. Sext. Redditas sibi jam tandem a Cæsare litteras satis liberales ait. Intelligit autem illas de quibus ait in Orat. pro Q. Ligario, hoc modo, 'qui ad me ex Ægypto litteras misit, ut essem idem qui fuissem.' Incertum se esse ait, an Cæsari venienti obviam procedat, an ibi ubi est, eum expectet; id est, Brundusii.

Tullius Terentiæ suæ S. D.

XIV. 22. *Si vales, bene est: valeo. Nos quotidie*] Data Kal. Sept. Se ex litteris Terentiæ capturum consilium ait quid sit agendum; id est, an Cæsari obviam eundum; an eum Brundusii expectandum; an propius Romam accedendum.

Tullius Terentiæ suæ S. D.

XIV. 20. *In Tusculanum*] Jam Cicero, acceptis a Cæsare litteris, de quibus supra dictum est, Romam propius accesserat; siquidem scripsit hanc Epistolam V Kal. Oct. de Venusino: in qua se venturum in Tusculanum ait Non. aut postridie.

M. Cicero Trebonio S. P. D.

XV. 21. *Et Epistolam tuam*] C. Trebonius in Hispaniam missus fuerat a Cæsare post prælium Pharsalicum,

ut Longino succederet, auctore Dione, et Cicerone in hac Epistola. Quæ scripta ad eum videtur in Hispaniam hoc tempore, id est, ante bellum Africanum, quod initio sequentis anni geri cœptum est; quia legiones Trebonii cum ab eo ad Scipionem, qui in Africa erat, defecissent, eumque mortuum bello Africano audissent, Scapula et Aponio ducibus lectis, Trebonium ex Hispania exegerunt, Dione auctore. Ex quo apparet hanc Epistolam scriptam esse ante defectionem legionum paulo post factam. Hic autem C. Trebonius priore anno prætor urbanus fuerat, Servilio consule. Cæsar B. C. lib. III.

Q. Fufio Caleno, P. Vatinio Coss.

Cæsar, qui sine consulibus alteram dictaturam hoc anno gessit, Romam tertium s. ex Ægypto et Ponto reversus, sibi in ternos novissimos menses Q. Fufium Calenum, P. Vatinium, consules subrogavit. Dio, Suetonius.

C. Julio Cæsare III, M. Æmilio Lepido Coss.

Anno U. C. 707.

Cæsar cum extremo superiore anno XIV Kal. Jan. Lilybæum ab urbe pervenisset, atque a Lilybæo in Africam VI Kal. Jan. conscendisset, hujus demum anni initio bellum Africanum aggressus est cum Scipione, Catone, et Juba rege.

M. Cicero S. D. Cn. Plancio.

IV. 14. *Binas a te accepi*] Jam Cicero in urbem reverterat, in gratiam cum Cæsare redierat: quanquam illum in Italiam venientem non viderat, ut ipse scribit ad Cassium, Terentiam uxorem repudiarat, Publiliam alteram duxerat. Respondet hac Epistola Plancio Corcyræ exulanti, qui gratulatus erat Ciceroni, et quod Cæsar ei veniam dedisset, et quod alteram uxorem duxisset. Scripta videtur dum Africanum bellum gerebatur; quia ait, 'ut ea quæ partim jam adsunt, partim impendent, moderate feramus. Quod est difficile in hujusmodi bello, cujus exitus ex altera parte cædem ostentat, ex altera servitutem.'

M. Cicero M. Terentio Varroni S. D.

IX. 1. *Ex iis litteris*] Varro videtur Roma abfuisse aliquandiu: cum autem adventus ejus appropinquare diceretur Cicero scripsit ad eum hanc Epistolam, postquam venit in urbem; quia ait, 'me scito, posteaquam in urbem venerim.' Item per bellum Africanum; quod intelligitur, cum ait, 'videor sperare debere, si te viderim, et ea quæ premant, et ea quæ impendeant, me facile transiturum.' Cupit cum eo congredi, sive in Tusculano, sive in Cumano, sive Romæ.

M. Cicero S. D. C. Cassio.

XV. 15. *Etsi uterque nostrum*] C. Cassius Brundusii morabatur, ut scribit paulo post. Se reliquisse arma ait, et in gemitu Italiæ, et in urbis miserrimis querelis versari: properasse, ut Cæsarem in Italia videret, nec potuisse. Scripta est per bellum Africanum; quia ait, 'utrumque autem positum esse arbitrabar in celeritate victoris. Quæ si fuisset, eandem clementiam experta esset Africa, quam cognovit Asia, quam etiam Achaia.' Id est, priore anno, Cæsare e Ponto per Asiam et Græciam decedente, et veniam omnibus dante.

Cicero Domitio S. D.

VI. 22. *Non ea res me deterruit*] Consolatur Domitium Cicero de eversa republica, polliceturque ei operam suam, quacunque in re ei prodesse possit. De bello, quod gerebatur, nescio quid intelligere videtur, cum

ait, 'Hæc quanquam nihilo meliora sunt, nunc etiam atque etiam multo desperatiora.' Videtur item Romæ esse, ex Epistola.

M. Cicero S. D. Cn. Plancio.

IV. 15. *Accepi perbreves*] Consolatur iterum Plancium de exilio. Scripta est multo post alteram ad eundem Plancium, quia ait, 'sed tamen etsi antea scripsi quæ existimavi scribi oportere.'

M. Cicero L. Planco S. P. D.

XIII. 29. *Non dubito*] Satis constat hanc Epistolam scriptam esse post bellum Alexandrinum a Cæsare superiore anno confectum. Videtur autem Plancus esse cum Cæsare in bello, Africanone, an Hispaniensi? Africano certe, in quo, auctore Oppio, fuit, cum Romæ per bellum Hispaniense fuerit, ex Phil. II. ubi ait M. Antonium ex itinere Romam revertisse, ne L. Plancus prædes suos venderet. Commendat ei hereditatem Capitonis apud Cæsarem.

M. Cicero S. D. A. Torquato.

VI. 1. *Etsi ea perturbatio*] A. Manlius Torquatus cum pro Pompeio contra Cæsarem stetisset, hoc tempore exulabat Athenis. Eum igitur Cicero consolatur. Scripta est hæc Epistola quo tempore bellum Africanum gerebatur; quia ait, 'cumque omnium bellorum incerti exitus sint, ab altera victoria tibi periculum nullum esse perspicio, quod quidem sejunctum sit ab omnium interitu; ab altera te ipsum nunquam timuisse certo scio.' Item, 'Hoc vero tempus quo exanimati omnes et suspensi sumus, hoc moderatiore animo ferre debes, quod et in ea urbe es, ubi nata et alta est ratio ac moderatio vitæ.' Item, 'Et habes Ser. Sulpicium, quem semper unice dilexisti:' qui Sulpicius tunc Achaiæ præerat, cum bellum in Africa gerebatur. De Cæsare ita ait, 'nec enim is, qui adhuc in te injustior, quam tua dignitas postulabat, fuit, non magna signa dedit animi erga te mitigati.'

Cicero Allieno Procos. S. D.

XIII. 78. *Democritus*] Allienus prætor erat in Sicilia, ut apparet ex Epistola sequenti, atque dum bellum Africanum gerebatur, ut scribit Oppius de bello Africano, his verbis: 'Deinde Allieno prætori, qui Siciliam obtinebat, de omnibus rebus præcipit, et de reliquo exercitu celeriter imponendo.'

Cicero Allieno Procos. S. D.

XIII. 79. *Et te scire arbitror*] Eodem tempore scripta videtur quo superior; quia ait, 'C. Avianus in Sicilia est.'

M. Cicero S. D. A. Torquato.

VI. 3. *Superioribus litteris*] Et hæc etiam Africani belli tempore scripta; quia ait, 'quotidie aliquid audimus rerum earum.' Item, 'quem exitum acies habitura sit divinare nemo potest.' Item, 'nihilo te nunc majore in discrimine esse, quam quemvis aut eorum qui discesserint, aut eorum qui remanserint. Alteri dimicant, alteri victorem timent.' Superiores litteras intelligit eas, quarum initium est, 'Etsi ea perturbatio.' Quibus se eum consolatum esse ait. Cicero adhuc Romæ est, Torquatus Athenis.

M. Cicero S. D. L. Messinio.

V. 21. *Gratæ mihi*] Romæ scripta est belli Africani tempore; quia ait, 'me nulla res alia Romæ tenet, nisi expectatio rerum Africanarum. Videtur enim mihi res in propinquum adducta discrimen.'

Cicero Thoranio S. D.

VI. 21. *Etsi cum hæc ad te*] Extremo hoc bello scripta videtur; quia ait, 'appropinquare exitus hujus calamitosissimi belli, aut aliquid actum

et confectum, cum hæc scriberem, videbatur.' Quanquam de Hispaniensi bello potest etiam intelligi. Consolatur eum de exilio.

Cicero Thoranio S. D.

VI. 20. *Dederam*] Scripta est triduo post superiorem, in qua illum se tum consolatum esse ait. Adventum Cæsaris innuit, cum ait, 'non est quod te advenientibus offerre gestias,' item, 'quod si recipiet ille se, ad tempus aderis.'

M. Cicero S. D. A. Torquato.

VI. 4. *Novi, quod ad te*] Hoc eodem tempore scripta est, quia ait, 'cum hæc scribebam, aliquid jam actum putabam, non quod ego certo scirem, sed quod non difficilis erat conjectura.' Item, 'equidem quod nos Romæ sumus, miserrimum duco.' De Cæsare autem scribit hoc modo, 'ejus enim qui tardior in te levando fuit, non est mihi dubia de tua salute sententia.' Torquatus autem adhuc erat Athenis; quia ait, 'reliquum est quod te angat, quod absis tamdiu a tuis.' Item, 'Servium discessisse Athenis moleste tuli.'

Cicero Varroni S. D.

IX. 2. *Caninius tuus idem*] Agit cum Varrone, quemadmodum convenire possint. Rationem affert cur Romæ sit, non autem absit, ut ille. Extremo Africano bello scripta est; quia ait, 'censeo latendum tantisper ibidem, dum defervescat ista gratulatio, et simul dum audiamus quemadmodum negotium confectum sit: confectum enim esse existimo.' Cæsar a. d. XI Kal. April. in acie contra Scipionem constitit. Oppius lib. v.

Cicero Varroni S. D.

IX. 3. *Etsi quid scriberem*] Agit de conveniendo illo. Videtur autem esse adhuc in urbe, quia ait, 'scribam, quod te velle puto, me ad te cito esse venturum, etsi vide quæso satisne rectum sit, nos hoc tanto incendio civitatis in istis locis esse.'

Cicero Varroni S. D.

IX. 4. Περὶ δυνατῶν] De conveniendo illo item agit; quia ait, 'tu si minus ad nos, nos accurremus ad te.'

Cicero Varroni S. D.

IX. 5. *Mihi vero ad Non.*] De conveniendo illo etiam agit; quia ait, 'mihi si spatium fuerit in Tusculano ante Non. veniendi, istic te videbo; sin minus, persequar in Cumanum.'

Cicero Varroni.

IX. 6. *Caninius noster*] Scripta est quo tempore Cæsar, confecto bello Africano, Romam redibat; quia ait, 'nec qua venturus sit scire.' Hirtium familiarem Cæsaris secum Romæ esse significat.

Cicero Varroni S. D.

IX. 7. *Cœnabam apud Seium*] Agit item de adventu Cæsaris; quia ait, 'quando, qua, quo, nihil adhuc scimus.' Item, 'adventat Dolabella: eum puto magistrum fore.' Fuit autem in Africa Dolabella cum Cæsare, auctore Plutarcho, Cicerone in secunda Philippica. Præcessit autem Cæsarem. Itaque ad Attic. ait, 'Ego misi Tironem Dolabellæ obviam.' Quod autem ait, 'nonnulli dubitant an per Sardiniam veniat,' idem est apud Hirtium, qui ait Cæsarem Romam per Sardiniam venisse. Item, 'non desino apud istos qui nunc dominantur cœnitare.' Agit de conveniendo eo.

M. Cicero Papirio Pæto S. D.

IX. 16. *Delectaverunt*] Nondum Cæsar rediisse Romam videtur; quod intelligitur ex his verbis, 'Hæc ad illum cum reliquis actis perferuntur. Ita enim ipse mandavit.' Item in urbe ipsum esse apparet,

quod ait, 'Hirtium et Dolabellam dicendi discipulos habeo, cœnandi magistros. Puto enim te audisse, illos apud me declamitare, me apud illos cœnitare.'

M. Cicero Volumnio S. D.

VII. 33. *Quod declamationibus*] Eodem tempore scripta est, cum adhuc esset in urbe. Meminit enim declamationum, meminit item Hirtii, Dolabellæ, Cassii, discipulorum. Inquit præterea, 'quanquam venies, ut ipse intelligis, in maximum quasi concursum occupationum, quas si, ut volumus, exceperimus, ego vero multam salutem et foro dicam et curiæ.'

M. Cicero Papirio Pæto S. D.

IX. 18. *Cum essem otiosus*] Cicero jam Roma exierat. Quod se facturum indicaverat superioribus Epistolis. Erat autem in Tusculano apud Hirtium, quia ait, 'cum essem in Tusculano.' Item, 'ego me hic Hirtiano jure delecto,' cœnas significans Hirtianas. Scripta est quo tempore Cæsar redibat ex Africa; quia ait se misisse discipulos obviam Cæsari venienti. Diu autem in expectatione fuit adventus Cæsaris: nam qui Id. Jun. Uticæ conscendit, nonnisi VII Kal. Sext. Romam pervenit. Oppius lib. V.

M. Cicero S. D. A. Torquato.

XI. 2. *Peto a te*] Eodem tempore scripta est quo superior, quod et ab urbe absit, et de recreata valetudine, ut in superiore, agat. Sic enim supra, 'ipse melior fio, primum valetudine, quam intermissis exercitationibus amiseram.' Hic autem, 'peto a te ne me putes, oblivione tui, rarius ad te scribere quam solebam, sed aut gravitate valetudinis (qua tamen jam paululum videor levari) aut quod absim ab urbe, ut qui ad te proficiscantur, scire non possim.' Videtur propius accessisse Torquatus; quia ait, 'fac sciam quid agas, et ubi futurus sis; ut quo veniam scire possim.' Et videtur ei Cæsar ignovisse; quia ait, 'nec eos a quibus recipieris, vereri debes, nec eos quos adjuvisti.'

M. Cicero Papirio Pæto S. D.

IX. 19. *Tamen a malitia*] Jam Cæsar quartum Romam reverterat, id est ex Africa. Narrat quemadmodum Balbus, qui cum Cæsare inde venerat, recta a porta domum suam venerit. Videturque Cicero in urbem rediisse, credo propter Cæsaris adventum, cum ex verbis his, tum ex iis quæ sequuntur, 'sed si me expediero, ut in ista loca venire possim, non committam ut te sero a me certiorem factum putes.'

M. Cicero M. Mario S. D.

VII. 3. *Persæpe*] Reddit rationem cur ante ad Pompeium venerit, postea eum reliquerit. Scripta videtur confecto bello Africano; quia ait, 'discessi ab eo bello in quo aut in acie cadendum fuit, aut in aliquas insidias incidendum, aut deveniendum in victoris manus, aut ad Jubam confugiendum, aut capiendus tanquam exilio locus, aut consciscenda mors voluntaria.' Innuit autem Catonem, qui hoc bello sibi mortem consciverat. Videtur eodem tempore in urbe scripta quo superior, quia ait, 'Ego si quæ volo expediero, brevi tempore te, ut spero, videbo.'

M. Cicero Papirio Pæto S. D.

IX. 17. *Non tu homo*] Respondet quid de agris futurum speret, quos divisurum militibus suis Cæsarem fama erat. Itaque ait, 'Veientem quidem agrum et Capenatem metiuntur. Hic non longe abest a Tusculano: nihil tamen timeo.' In urbe autem esse videtur cum Cæsare; quia ait, 'Hoc tamen scito, non modo me, qui consiliis non interesum, sed ne ipsum

quidem principem scire quid futurum sit.' Apparet præterea hoc anno scriptam esse; quia ait, 'de lucro prope quadriennium vivimus.' Si quidem hic erat quartus belli civilis annus.

M. Cicero S. D. Papirio Pæto.

IX. 20. *Dupliciter*] Romæ se esse significat, cum ait, 'mane salutamus domi et bonos viros multos, sed tristes, et hos lætos victores.' Hirtio cœnam dedisse sine pavone ait. Item se non potuisse venire ad Papirium, ut constituerat; venturum tamen, et cum eo cœnaturum.

M. Cicero Papirio Pæto S. D.

IX. 23. *Heri veni in Cumanum*] Agit de conveniendo Papirio, et cœnando cum eo, ut supra. Se vero venisse in Cumanum nuntiat.

M. Cicero M. Mario S. D.

VII. 4. *A. d. IX Kal.*] In Cumanum se venisse ait, quod etiam scripsit in superiore Epistola ad Papirium. Monet Marium ut se biduo aut triduo expectet, quia in Epistola ad eundem, cujus initium est, 'Persæpe,' dixerat, 'ego, si quæ volo expediero, brevi tempore, te, ut spero, videbo.' Hoc eodem tempore fingit se cum Varrone in Cumano sermonem illum habuisse, quem scripsit lib. IV. Academicorum ad Varronem.

M. T. C. Ser. Sulpicio S. D.

IV. 3. *Vehementer*] Servius Sulpicius Achaiam pro consule regebat præfectus a Cæsare, antequam in Africam iret: quemadmodum scribit ad Cæcinam, 'Brutum Galliæ præfecit, Sulpicium Græciæ.' Et ad Torquatum exulantem Athenis, 'et habes Ser. Sulpicium, quem semper unice dilexisti.' Item, 'Servium discessisse Athenis moleste tuli.' Consolatur eum de communibus miseriis. Scripta videtur hoc tempore cum Cicero Romæ cum Cæsare esset; quia ait, 'Cæsar ipse ita de te judicat, et omnes cives sic existimant, quasi lumen aliquod, extinctis cæteris, elucere sanctitatem, prudentiam, et dignitatem tuam.' Illa autem indicant Servium abesse, quæ sequuntur, 'quod autem a tuis abes, id eo levius ferendum est, quod eodem tempore a multis ac magnis molestiis abes.'

M. Cicero P. Servilio Isaurico Procos. Collegæ S. D.

XIII. 68. *Gratæ mihi vehementer*] P. Servilius Isauricus, qui biennio ante consul fuit, Asiam pro consule regebat. Hoc tempore hæc Epistola scripta videtur; quia Ciceronem cum Cæsare Romæ fuisse apparet, qui nunquam cum eodem per bellum civile antea fuerat, ex his verbis, 'Ego ad te de reipublicæ summa quid sentiam non sæpe scribam, propter periculum ejusmodi litterarum. Quid agatur autem scribam sæpius. Sperare tamen videor, Cæsari collegæ nostro fore curæ, et esse, ut habeamus aliquam rempublicam, cujus consiliis magni referebat te interesse: sed si tibi utilius est, id est gloriosius, Asiæ præesse, et istam partem reipublicæ male affectam tueri,' &c.

M. Cicero P. Nigidio Figulo S. D.

IV. 13. *Quærenti*] Idem dico de hac Epistola ac de superioribus proximis: quod ex his verbis intelligitur, 'nec mihi quicquam tali tempore in mentem venit optare, quod non ultro mihi Cæsar detulerit.' Item, 'obtinemus ipsius Cæsaris summam erga nos humanitatem.' Item, 'ego, quod intelligere, et sentire, quia sum Romæ, et quia curo attendoque, possum, id tibi affirmo, te in istis molestiis, in quibus es hoc tempore, non diutius futurum.' Item scripta videtur antequam Marcellus restitueretur; quia ait, 'ipsius consuetudinem, quam adhuc meus pudor mihi clausit, insinu-

abo.' Neque enim nisi post Marcelli restitutionem Cicero in republica loqui cœpit, ex oratione pro Marcello. Consolatur Nigidium de exilio.

M. Cicero Trebatio S. D.

VI. 10. *Antea misissem*] Exulabat pariter Trebatius, atque Torquatus, et Nigidius. Hunc igitur consolatur, eique operam suam pollicetur, ut illis. Quoniam autem easdem sententias ponit in his duabus Epistolis ad Trebatium, quas usurpavit in iis fere quæ scriptæ sunt ad Torquatum et Nigidium, propterea eo adducti sumus ut putaverimus eas eodem tempore scriptas esse. Sententiæ autem potissimum sunt hæ, 'et ipse qui plurimum potest, quotidie mihi delabi ad æquitatem et ad rerum naturam videtur,' &c. Item, 'Neque ipse Cæsar, (ut multis rebus intelligere potui) est alienus a nobis: et omnes fere familiarissimi ejus casu devincti magnis meis veteribus officiis, me diligenter observant et colunt. Itaque si quis mihi erit aditus, de tuis fortunis, id est de tua incolumitate, agam per me ipse, et moliar.' Itemque alia ejusmodi. Præcedit autem hæc inferiorem; quia in hac significat, se nunquam antea ad illum scripsisse; cum ait, 'antea misissem ad te litteras.' Hic autem non est Trebatius ille, ad quem Cicero scripsit lib. VII. quoniam ille Cæsari amicus fuit, hic inimicus.

M. T. Cicero S. D. M. Marcello.

IV. 7. *Et si eo te adhuc consilio*] M. Marcellus, quia in consulatu suo Cæsari inimicissimus fuerat, et partes Pompeianas secutus erat, nec Cæsari victori supplex ire voluerat, Mitylenis morabatur. Hortatur eum Cicero, ut Romam veniat, et se Cæsari summittat. Neque enim adhuc ei Cæsar ignoverat, ex his verbis: 'Sic enim intellexi, nihil aliud esse quod dubitationem afferret ei penes quem est potestas, nisi quod vereretur ne tu illud beneficium omnino non putares.'

M. Cicero Q. Ligario S. D.

VI. 13. *Etsi tali tuo tempore*] Docet Ligarium quid de salute ejus a Cæsare petenda speret. Nam et ipse, quod contra Cæsarem stetisset in Africa, exulabat. Se cum Cæsare Romæ esse, satis aperte in ipsa epistola ostendit.

M. Cicero Trebatio S. D.

VI. 10. *Ego quanti te faciam*] De hac Epistola supra dictum est.

M. Cicero S. D. M. Marcello.

IV. 8. *Neque monere*] Iterum hortatur Marcellum ut se Cæsari summittat, sui ipsius exemplo: cum ait, 'ut quod ego facio, tu quoque in animum inducas.' Item, 'is etiam qui omnia tenet, favet ingeniis, nobilitatem vero, et dignitatem hominum, quantum ei res et ipsius causa concedit, amplectitur.' Quæ verba ostendunt, nondum Cæsarem ignovisse Marcello.

M. Cicero Gallo S. D.

VII. 27. *Miror*] Scripta videtur dominante Cæsare; quia ait, 'et ais, fore ut te Cæsar restituat.' Quia vero subjungit, 'negas me audere quod sentiam dicere,' hoc anno scripta videtur, antequam loqui in republica cœpisset. Cujus rei initium fecit cum pro Marcello in senatu dixit. Ex oratione ipsa.

M. T. Cicero Ser. Sulpicio S. D.

IV. 4. *Accipio excusationem*] Adhuc Ser. Sulpicius Achaiæ præerat. Nunciat ei Cicero ut Cæsar in senatu dixerit, se M. Marcello redeundi potestatem facere: atque ut ipse Cæsari propterea pluribus verbis gratias egerit, cum silere in perpetuum statuisset.

M. Cicero S. D. M. Marcello.

IV. 9. *Etsi perpaucis*] Hortatur Marcellum ut domum redeat. Scripta est postquam Cæsar Marcello ignovit: quia ait, 'denique si fuit magni animi non isse supplicem victori, vide ne sit superbi, aspernari ejusdem liberalitatem.' Ostendit præterea, se paucis ante diebus ad eum litteras dedisse, quibus doceret quid ei faciendum esset. Fuerunt autem illæ, quibus nuntiavit Cæsarem in senatu pepercisse: quæ non extant.

M. Cicero Ampio Balbo S. D.

VI. 12. *Gratulor tibi, mi Balbe*] Gratulatur Balbo quod a Cæsare restitutus sit. Erat in urbe Cicero cum Cæsare; quia ait, 'omnia promissa, confirmata, certa et rata sunt, quæ ad reditum et salutem tuam pertinent. Vidi, cognovi, interfui.'

M. Cicero Trebatio S. D.

VI. 11. *Dolabellam*] Gratulatur Trebatio quod a Cæsare per Dolabellam restitutus sit.

M. Cicero A. Cæcinæ S. D.

VI. 6. *Vereor*] Cæcina scripserat librum contra Cæsarem, et ea de re exulabat. Nuntiat se brevi gratulaturum esse quod ei Cæsar ignoverit, polliceturque ea in re operam suam. Scripta est posteaquam Cæsar Marcello pepercit; quia ait, 'Marcellum, cui maxime succensebat, cum maxima illius dignitate restituit.' Ostendit præterea se Romæ cum Cæsare esse, cum ait, 'me amicissime quotidie magis Cæsar amplectitur.'

M. Marcellus M. Ciceroni S.

IV. 11. *Plurimum*] Respondet Marcellus litteris Ciceronis, quæ interciderunt: quibus Cicero gratulatus erat quod ei Cæsar ignovisset, et suaserat ei ut Romam rediret. Quod ex his verbis colligitur: 'Res quemadmodum acta sit, vestræ litteræ declarant.' Item, 'gratulatio tua,' &c.

M. Cicero Curio S. D.

VII. 28. *Memini*] Curius hoc tempore morabatur Patris, urbe Achaiæ, quemadmodum ex Epistola, cujus initium est, 'M. Curius,' intelligi potest: in qua M. Curium Ser. Sulpicio Achaiæ hoc tempore procos. commendat. Laudat eum quod absit ab urbe, eversa republica. De Cæsare autem, et de se, qui Romæ una esse videntur, ita ait: 'Nec vero nunc culpa in eo est, in cujus potestate omnia sunt.' Item: 'Cum salutationi nos dedimus amicorum (quæ fit hoc etiam frequentius quam solebat, quod quasi avem albam videntur bene sentientem civem videre) abdo me in bibliothecam.'

Cicero Papirio Pæto S. D.

IX. 15. *Duabus*] Scripta est antequam Cæsar in Hispaniam proficisceretur (profectus est autem extremo hoc anno), item, cum idem præfectus esset moribus: præfectus est autem postquam ex Africa rediit, auctore Dione. Hæc autem ex his verbis intelliguntur: 'Quandiu hic erit noster hic præfectus moribus, parebo auctoritati tuæ: cum vero aberit, ad fungos me tuos conferam.'

M. Cicero Papirio Pæto S. D.

IX. 26. *Accubueram*] Eodem tempore scripta videtur quo superior; quia ait se ad eum venturum, et cum eo cœnaturum, ut in superiore; cum inquit: 'Nihil est quod adventum nostrum extimescas. Non multi cibi hospitem accipies, sed multi joci.' Item in utraque legis sumptuariæ meminit. Supra enim, 'domum si habebo, in denos dies singulos legis sumptuariæ conferam.' Hic vero, 'epulamur una non modo non contra

legem, si ulla nunc lex est, sed etiam intra legem, et quidem aliquanto.'

M. Cicero Q. Ligario S. D.

VI. 14. *Me scito*] Nuntiat se pro eo supplicasse domi Cæsari. Extremo autem anno scripta est, quia ait, 'Ego idem tamen cum ad II Kal. intercalares priores rogatu fratrum tuorum venissem mane ad Cæsarem.' Intelligit autem II Kal. intercalares priores, ultimum diem prioris mensis, ex duobus illis quos interposuit Cæsar, se et Lepido coss. inter Novembrem et Decembrem menses, ut annum confusum ordinaret, auctore Macrob. Saturn. lib. I.

M. Cicero A. Cæcinæ S. D.

VI. 8. *Cum esset*] Quia Kal. Jan. præfinitæ erant a Cæsare Cæcinæ, quibus ille esse in Sicilia posset, idque ex Largo Cæcinæ amico Cicero audierat, propterea, profecto in Hispaniam Cæsare, a Balbo et Oppio, qui Romæ remanserant, impetrarat, ut ultra Kal. Jan. esse posset. Qua de re Cæcinam hac Epistola certiorem facit. Monet præterea ne ad reliquias Asiaticæ negotiationis proficiscatur: datque ei litteras commendatitias, quas Furfano proconsuli in Siciliam profecturo reddat: quæ sequuntur.

M. Cicero T. Furfano S. D.

VI. 9. *Cum A. Cæcina*] Hæ litteræ cum superioribus conjunguntur.

A. Cæcina M. Ciceroni S. D.

VI. 7. *Quod tibi non tam cito*] Excusat filium quod librum non tam cito Ciceroni reddiderit. De Asiatica negotiatione ita respondet: 'De Asiatico itinere, quanquam summa necessitas premebat, ut imperasti, feci.' Oratoris Ciceronis meminit quem scripsit ad M. Brutum hoc anno in Galliam, absoluto Catone. Ex Oratore.

M. Cicero A. Cæcinæ S. D.

VI. 5. *Quotiescunque*] Respondet se legisse librum, eumque, ut ille superiore Epistola præceperat, diligentissime custodire. Consolatur de exilio.

Huic loco subjungere placuit epistolas quasdam commendatitias ad Ser. Sulpicium, M. Brutum, P. Servilium, L. Acilium, qui in provinciis erant hoc anno. Quod fecimus hoc consilio, ne, cum difficilis earum dispositio esset, quia nihil præter commendationem continerent, reliquarum superiorum historiam impedirent.

Quæ ad Ser. Sulpicium in Achaiam scriptæ sunt.

M. Cicero Ser. Sulpicio S. D.

XIII. 17. *M. Curius*] Ser. Sulpicium hoc anno Achaiæ præfuisse, satis ante demonstravimus: huic commendat M. Curium, qui Patris negotiabatur.

M. Cicero Ser. Sulpicio S.

XIII. 18. *Non concedam*] Commendat res Attici Epiroticas.

M. Cicero Ser. Sulpicio S. P. D.

XIII. 19. *Cum Lysone Patrensi*] Commendat Lysonem Patrensem.

M. Cicero Ser. Sulpicio S. P. D.

XIII. 20. *Asclapone Patrensi*] Commendat Asclaponem Patrensem.

M. Cicero Ser. Sulpicio S. P. D.

XIII. 21. *M. Æmilius*] Commendat domum Aviani, et rem familiarem, quæ est Sicyone.

M. Cicero Ser. Sulpicio S. P. D.

XIII. 22. *T. Manlium*] Commendat Manlium, qui negotiatur Thespiis.

M. Cicero Ser. Sulpicio S. P. D.

XIII. 23. *L. Cossinio*] Commendat

libertum L. Cossinii.

M. Cicero Ser. Sulpicio S. P. D.

XIII. 24. *Cum antea*] Rursus commendat Lysonem Patrensem.

M. Cicero Ser. Sulpicio S. P. D.

XIII. 25. *Hagesaretus*] Commendat Hagesaretum Larissæum.

M. Cicero Ser. Sulpicio S. P. D.

XIII. 26. *L. Mescinius*] Commendat negotia L. Mescinii, quæ erant in Achaia. Scriptam autem esse hoc anno hanc Epistolam quo consul fuit M. Lepidus, apparet ex eo quod ait: 'Quod quo minore dubitatione facere possis, litteras ad te a M. Lepido consule,' &c.

M. Cicero Ser. Sulpicio S. P. D.

XIII. 27. *Licet eodem exemplo*] Commendat rursus rem Aviani, et meminit Ser. Sulpicii filii.

M. Cicero Ser. Sulpicio S. P. D.

XIII. 28. *Etsi libenter*] Commendat rursus rem Mescinii.

Quæ ad M. Brutum in Galliam scriptæ sunt.

M. Cicero Bruto S. P. D.

XIII. 10. *Cum ad te tuus quæstor*] M. Brutus præfectus fuerat a Cæsare Galliæ citeriori, eo tempore quo in Africam profectus est, teste App. et Plutarcho in Bruto. Itaque scribit Cicero ad Cæcinam lib. VI. 'Brutum Galliæ præfecit, Sulpicium Græciæ.' Apparet etiam ex Oratore Ciceronis M. Brutum præfuisse Galliæ, post bellum Africanum; quia in eo ait, se Catone absoluto aggressum esse scribere Oratorem ad M. Brutum, qui tum erat in Gallia. Addit præterea: 'Ergo ex omnibus terris una Gallia communi non ardet incendio, in quo frueris ipse te, cum in Italiæ luce cognosceris.' Successit autem Bruto hoc anno III Kal. Jan. Pansa. Fam. Huic Cicero commendat Varronem quæstorem, tum cum Galliæ præerat.

M. Cicero Bruto S. P. D.

XIII. 11. *Quia semper*] Commendat Arpinates.

M. Cicero Bruto S. D.

XIII. 12. *Alia epistola*] Commendat Q. Suffidium Arpinatum legatum.

M. Cicero Bruto S. D.

XIII. 13. *L. Castronius*] Commendat L. Castronium.

M. Cicero Bruto S. D.

XIII. 14. *L. Titio*] Commendat Strabonem.

Quæ ad P. Servilium Isauricum scriptæ sunt.

M. Cicero P. Servilio S. D.

XIII. 66. *A. Cæcinam*] P. Servilium Isauricum in Asia pro consule fuisse ante demonstratum est. Ei commendat A. Cæcinam.

M. Cicero P. Servilio S. D.

XIII. 67. *Ex provincia*] Commendat Andronem Laodicensem.

M. Cicero P. Servilio Collegæ S.

XIII. 69. *C. Curtius*] Commendat rem C. Curtii, quam habet cum quodam Colophonio.

M. Cicero P. Servilio Collegæ S. D.

XIII. 70. *Quia non est obscura*] Commendat T. Ampium Menandrum.

M. Cicero P. Servilio Collegæ S. D.

XIII. 71. *Multos tibi commendem*] Commendat T. Agusium.

M. Cicero P. Servilio Collegæ S. D.

XIII. 72. *Cerelliæ*] Commendat possessiones Asiaticas Cerelliæ.

Quæ ad Acilium proconsulem Siciliæ scriptæ sunt.

M. Cicero Acilio Procos. S.

XIII. 30. *L. Manlius*] Acilius hic proconsul erat in Sicilia, quemadmodum ex Epistolis sequentibus omnibus apparet: erat autem quo tempore Cæsar dominabatur: quia in una harum Epistola, cujus initium est, 'cum Demetrio Mega,' ait, 'ei Dolabella rogatu meo civitatem a Cæsare impetravit, qua in re ego interfui.' Ex his verbis intelligi potest, et Cæsarem obtinere hoc tempore rempublicam, et Ciceronem cum illo fuisse in gratia. Quod fieri non potuit nisi postquam bellum Africanum confectum est, et Cæsar Romam rediit. Nam nisi post bellum Africanum Cæsarem Cicero non vidit. Huic Acilio forte successit Furfanus, de quo in Epistola ad Cæcinam. Acilius autem forte is est qui sequenti anno Ser. Sulpicio in Græciam successit. Commendat ei L. Manlium.

Cicero Acilio Procos. S. D.

XIII. 31. *C. Flavio*] Commendat Flavium.

Cicero Acilio Procos. S.

XIII. 32. *In Alesina*] Commendat M. et C. Clodios ex Alesina civitate, quæ est in Sicilia.

Cicero Acilio Procos. S.

XIII. 33. *Cn. Otacilio*] Commendat negotia Nasonis, quæ habet in Sicilia.

Cicero Acilio Procos. S.

XIII. 34. *Avitum*] Commendat Lysonem Lilybætanum. Lilybæum autem in Sicilia est.

Cicero Acilio Procos. S.

XIII. 35. *C. Avianus*] Commendat negotia Aviani.

Cicero Acilio Procos. S.

XIII. 36. *Cum Demetrio Mega*] Commendat Demetrii Siculi negotia.

Cicero Acilio Procos. S.

XIII. 37. *Hippiam*] Commendat Hippiam Calatinum. Calate autem in Sicilia est.

Cicero Acilio Procos. S.

XIII. 38. *L. Brutius*] Commendat L. Brutium, amicum suum jam inde a quæstura sua Siciliensi.

Cicero Acilio Procos. S.

XIII. 39. *Cum familia Titurnia*] Commendat M. Titurnium.

Cæsare Dictat. III. Des. IV. et Cos. IV. sine collega.
Anno U. C. 708.

M. Cicero Leptæ S. D.

VI. 18. *Simul accepi*] Cæsar hoc anno cum Pompeii liberis pugnavit in Hispania, cum eo extremo superiore anno Roma 27. diebus pervenisset (Appiano auctore) et in castris tertiam dictaturam iniisset, auctore Dione. Hoc igitur tempore scripsisse videtur hanc Epistolam Cicero; quia ait: 'De Hispaniis novi nihil. Magnum tamen exercitum Pompeium habere constat. Nam Cæsar ipse ad nos misit exemplum Patieti litterarum, in quo erat, illi XI esse legiones.' Præterea meminit Oratoris sui, ita: 'Oratorem meum tantopere a te probari vehementer gaudeo.' Se Romæ esse significat, cum ait, 'Me Romæ tenuit omnino Tulliæ meæ partus: sed cum ea, quemadmodum spero, satis firma sit, teneor tamen, dum a Dolabellæ procuratoribus exigam primam pensionem.'

M. Cicero Cassio S. P. D.

XV. 18. *Longior epistola*] Scripta est initio belli Hispaniensis; quia ait, 'de Hispania nihil adhuc certi, nihil omnino novi.'

M. Cicero S. D. C. Cassio.

XV. 17. *Præposteros*] Scripta est

eodem tempore quo superior; quia ait, 'De Hispania novi nihil; sed expectatio valde magna, rumores tristiores. Pansa noster paludatus a. d. III Kal. Jan. profectus est;' id est, in Galliam Cisalpinam, ut M. Bruto succederet: ex Epistola ad Att. Nuntiat P. Syllam mortuum. Hanc secundam esse ad Cassium Epistolam indicat, cum ait, 'alteras habebis has breves.'

Cicero P. Dolabellæ S. D.

IX. 10. *Non sum ausus*] Dolabella erat in Hispania cum Cæsare, ex Philippica II. Scripta hæc est eodem tempore quo superior; quia ait, 'te scire volo, vehementer populum sollicitum fuisse de P. Syllæ morte,' cujus meminit in superiore.

M. Cicero C. Cassio S. P. D.

XV. 16. *Puto te jam suppudere*] Hanc tertiam Epistolam vocat: seque eam scripsisse ait antequam ab illo ne schedulam quidem acceperit. Ex quo intelligi potest, non multo post secundam esse scriptam. De spectris Catianis agit.

C. Cassius S. D. M. Ciceroni.

XV. 19. *Non mehercule*] Respondet superioribus Epistolis, quibus Cicero nuntiarat de Pansa, et de spectris Catianis egerat. Eodem tempore scripta est; quia ait, 'In Hispaniis quid geratur rescribe. Si Cæsar vincit, celeriter me expecta.'

Cicero Dolabellæ S. D.

IX. 13. *C. Suberinus*] Commendat Dolabellæ (qui in Hispania erat cum Cæsare) C. Suberinum, quem repentino bello oppressum esse ait in Hispania: in qua, post Afranium superatum, nemo bellum fore putarat.

Cicero C. Cæsari Imp. S.

XIII. 15. *Præcilium*] Cæsar in bello erat, ut puto, Hispaniensi, cum Præcilium hac Epistola ei Cicero commendavit. Quoniam autem in titulo est *Imp.* videtur scripta post XI Kal. Mart. nam eo die Cæsar Imp. appellatus est, Ategua in Hispania capta, auctore Oppio.

M. Cicero C. Cæsari Imp. S.

XIII. 16. *P. Crassum*] Commendat Cæsari P. Crassum. Eundem esse in Hispania, hinc intelligitur, quod ait, 'In Hispaniam ad te maxime ille quidem suo consilio, sed etiam me auctore, est profectus.'

Cicero Dolabellæ suo S. D.

IX. 11. *Vel meo*] Cicero hoc anno, mense (ut puto) Januario, filiam amisit, quæ ex partu periit, ut ait Pædianus in Pisonianam. Itaque Cæsar scripsit litteras consolatorias ex Hispania ad Ciceronem, pridie Kal. Maii datas, ut ait ad Att. Cum autem ejus rei ignarus Dolabella desideraret litteras Ciceronis, ipse ei hac Epistola ita respondet: 'Vel meo ipsius interitu mallem litteras meas desiderares, quam eo casu quo sum gravissime afflictus; quem ferrem certe moderatius, si te haberem.' Non scribit autem aperte de obitu Tulliæ, quia fama jam accepisse eam putat, quemadmodum Cæsar acceperat. Quod autem addit, 'Sed quoniam brevi tempore, ut opinio nostra fert, te sum visurus;' item, 'celeriter una futuros nos arbitror;' id ait, quia finem belli Hispaniensis adesse intelligebat. Sic enim scribit ad Att. 'Hirtius litteras dedit Narbonæ XIII Kal. Maii, in quibus scriptum erat Sex. Pompeium Corduba exisse, et fugisse in Hispaniam citeriorem, Cneium fugisse nescio quo: nihil præterea novi.' Hirtius autem lib. V. tradit, Cn. Pompeium interfectum esse a Cæsare prid. Id. April. at Dio scribit victoriam Cæsaris Hispaniensem Romæ nuntiatam esse pridie Parilia, id est, X Kal. Maii.

Ser. Sulpicius M. Ciceroni S.

IV. 5. *Posteaquam*] Ser. Sulpicius ex Græcia consolatur Ciceronem de obitu filiæ. Certiorem se esse facturum eum de provincia ait, ubi tranquilliore eum esse animo cognoverit.

M. Cicero S. D. L. Luceio Q. F.

V. 13. *Quanquam*] Luceius (ut cæteri) consolatus erat litteris Ciceronem de obitu filiæ: quæ litteræ interciderunt. His respondet Cicero, cum ait, 'Ergo et domestica feremus, ut censes, et publica paulo etiam fortius fortasse quam tu ipse, qui præcipis.' Item, 'Ut mones, quantum potero, me ab omnibus molestiis et angoribus abducam.' Sic ad Att. de morte filiæ, 'vellem tam domestica ferre possem, quam ista contemnere.'

Tullius Tironi S.

XVI. 22. *Spero ex tuis litteris*] Tiro hoc tempore iterum ægrotaverat. Quantum autem intelligi potest ex XII Epistolarum ad Att. mense Maio convaluerat. Inquit enim, 'Ego hic vel sine Sica, (Tironi enim melius est) facillime possem esse, ut in malis.' In hac autem inquit, 'spero ex tuis litteris tibi melius esse.' Item, 'Ego hic cesso. Quia ipse nihil scribo.' In agris Cicero erat, Tiro Romæ.

Tullius Tironi S.

XVI. 17. *Video*] Nondum firmus erat Tiro: quia ait, 'Valetudo tua me valde sollicitat, sed inservi, et fac omnia: tum te meum esse, tum mihi cumulatissime satisfacere putato.' Idem autem scripsit in superiore, cum inquit, 'mecum es, si te curas.' Docet eum, non recte dici, 'fideliter inservire valetudini.'

Tullius Tironi S.

XVI. 20. *Sollicitat*] Sperat Tironem cito firmum fore, si diligentiam adhibuerit. Item ait, 'Tu potes Kal. spectare gladiatores, postridie redire: et ita censeo.'

Tullius Tironi S.

XVI. 19. *Expecto*] Se ait expectare litteras Tironis, Tironem magis. In hac, ut in superiore, meminit Demetrii.

Tullius Tironi S.

XVI. 10. *Ego vero cupio*] Jam firmior esse videtur Tiro; quia ait, 'Ego vero cupio te ad me venire: sed viam timeo: gravissime ægrotasti.' Item, 'Jam ad id biduum quod fueris in via, dum in Cumanum venis, accedent continuo ad reditum dies quinque. Ego in Formiano a. d. III Kal. esse volo: ibi te ut firmum offendam, mi Tiro, effice.' Scripta est post Epistolam, cujus initium est, 'Video;' quia ait, 'docui te, fides ἔτυμον quod haberet.' Quod autem ait, 'Pompeius erat apud me cum hæc scribebam,' videtur legendum *Pomponius*. Data est XIV Kal. ut puto, Jun.

Tullius Tironi S.

XVI. 18. *Quid igitur*] Jam Tiro videtur in Tusculanum venisse; quia ait, 'Si vero etiam Tusculanum tibi profuerit, Dii boni, quanto illud mihi erit amabilius!' Item, 'Fac bellus revertare: non modo te, sed etiam Tusculanum nostrum plus amem.' Item, 'Te quando expectemus, fac ut sciam.'

M. T. Cicero S. D. Ser. Sulpicio.

IV. 6. *Ego vero*] Respondet Epistolæ qua Sulpicius se consolatus est de morte filiæ. Jam Sulpicius decedere cogitabat e Græcia; quia ait, 'Sperabam tuum adventum (sic enim audiebam) appropinquare.' Quod idem significat etiam Sulpicius in Epistola, cujus initium est, 'Etsi scio,' prid. Kal. Jun. Athenis data.

In agris esse se ostendit, cum ait, 'Itaque et domo absum et foro.'

M. Cicero M. Marcello S.

IV. 10. *Etsi nihil novi*] Jam Cicero expectabat Marcellum, qui se illius consilio usurum esse rescripserat. Quod intelligitur ex his verbis: 'Magisque tuas litteras expectare incipiebam, vel te potius ipsum.' Veretur autem ne, quanquam Marcellus redire decreverat, tamen tardius decedat; siquidem ait, 'Venit mihi in mentem subvereri interdum ne te delectet tarda decessio.' Scripta est autem multo post superiorem illam, 'Etsi perpaucis;' quia ambas has litteras ait se dedisse Theophilo liberto ejus ad eum proficiscenti. Oportet enim Theophilum post superiores illas litteras in Græciam allatas Romam rediisse, nunc autem ad Marcellum iterum in Græciam proficisci.

Ser. Sulpicius Ciceroni S.

IV. 12. *Etsi scio*] Has litteras dedit Sulpicius prid. Kal. Jun. Athenis, quibus certiorem facit Ciceronem, M. Marcellum, Italiam versus navigaturum, antequam conscenderet, a P. Chilone esse interfectum.

L. Lucceius Q. F. S. D. M. T. Ciceroni M. F.

V. 14. *Si vales, bene est: ego valeo, sicut soleo*] Cicero in solitudine erat, mense Junio, ut est ad Att. Ut autem Brutus consolatus est Ciceronem de morte filiæ, tum cum in solitudine erat, (ut est ad Att.) sic Lucceius eodem tempore eundem iterum consolatus est, ut apparet ex Epistola.

M. Cicero L. Lucceio Q. F. S. D.

V. 15. *Omnis amor tuus*] Respondet superiori Epistolæ, qua se consolatus est Lucceius.

P. Vatinius Imp. M. Ciceroni suo S. D.

V. 9. *Si vales, bene est, ego valeo. Si tuam consuetudinem*] P. Vatinius hoc anno cum imperio a Cæsare missus est in Illyricum, hac occasione, (auctore Appiano in Illyrico) cum Q. Cornificius quæstor Cæsaris pro prætore in Illyrico a M. Octavio Pompeii duce, qui se ex fuga Pharsalici prælii magna classe in illum sinum contulerat, premeretur, Gabiniusque mandato Cæsaris in Illyricum cum legionibus novis profectus, ibi mortuus animum Octavio addidisset; tum Vatinius Brundusio cum aliquot navibus adversum Octavium missus est: qui, victo demum fugatoque Octavio, et provincia recepta, ac Cornificio reddita, victor cum toto exercitu et classe Brundusium se recepit, ut tradit Oppius lib. IV. Has deinde Illyriorum, qui cum Octavio steterant, injurias cum Cæsarem ulturum esse, confectis omnibus bellis, Illyrii timerent, ad Cæsarem legatos miserunt, qui se ut in amicitiam fidemque reciperet peterent. Quibus Cæsar respondit, se, si tributa penderent, obsidesque darent, veniam illis esse daturum. Utrumque autem pollicentibus ipsis, Vatinium cum legionibus et magno equitatu ad eum misit. Hoc autem factum est, quantum ex Appiano et ex his Epistolis intelligi potest, hoc anno, victis quidem Hispaniis, verum nondum Cæsare Romam reverso. Qua in provincia, oblata belli gerendi occasione, cum Vatinius bene rem gessisset, atque imperator appellatus fuisset, de rebus gestis ad senatum misit litteras, petiitque per has etiam litteras a Cicerone ut supplicationem ea de causa sibi decerneret. Epistola data est III Id. Quint. Naronæ; ergo ante reditum Cæsaris. Nuntiat præterea se audisse, servum ejus fugitivum esse cum Vardæis, de quo nihil Cicero sibi mandarit: se illum inventurum, nisi in Dalmatiam aufugerit. Ex quo apparet eum nunc in Illyrico esse.

Cicero Varroni S. D.

IX. 8. *Etsi munus*] Mittit ad Varronem quatuor libros Academicos. Apparet hanc Epistolam scriptam esse hoc anno circa Id. Quint. ex Epist. ad Att.

M. Cicero Sulpicio Imp. S.

XIII. 77. *Cum his temporibus*] Plerique existimant in titulo hujus Epistolæ scribendum esse *Vatinio* pro *Sulpicio*, atque his litteris Ciceronem Vatinii superiori Epistolæ respondere, quod se ei lubenter supplicationem decrevisse dicat. Quibus et ipse assentirem, nisi hæc verba subsequerentur: 'Præterea a te peto majorem in modum pro nostra amicitia, et pro tuo perpetuo in me studio, ut hac etiam in re elabores. Dionysius servus meus, qui meam bibliothecam multorum nummorum tractavit, cum multos libros sumpsisset, nec se impune laturum putaret, aufugit. Is est in provincia tua. Eum et M. Bollanus et multi alii Naronæ viderunt. Ego si hominem per te recuperavero, summo me a te beneficio affectum arbitrabor.' Neque enim intelligi potest cur Cicero ad Vatinium ita scripsisset, cum ille in suis litteris ita nuntiasset: 'Dicitur mihi servus tuus anagnostes fugitivus cum Vardæis esse,' &c. Accedit, quod si ad Vatinium scripsisset, non videtur verisimile ita locuturum fuisse: 'Non existimavi me salvo jure nostræ veteris amicitiæ, multorumque inter nos officiorum, facere posse ut honori tuo deessem,' cum quo inimicitiæ fuerunt. Itaque vereor ne hic P. Sulpicius alter, proconsul Illyrici sit, pari cum Vatinio imperio a Cæsare missus; quandoquidem Vatinius in re gesta contra Octavium collegam habuit etiam Sulpicium. Quod intelligitur ex his verbis Oppii lib. v. 'Cæsar cum cohortibus septem, quæ ex veteranis legionibus in classe cum Sulpicio et Vatinio rem gesserant, ex oppido Ruspina egressus, proficiscitur ad portum.' Quod si ita est, ergo ut Vatinius, sic Sulpicius ob rem bene gestam de supplicatione a Cicerone petierat. Ut autem Vatinii litteræ extant, sic Sulpicii exciderunt; ut ad Vatinium responsio desideratur, sic ad Sulpicium habetur; ut Vatinius se sine litteris Ciceronis de servo ejus curaturum scripserat, sic Sulpicius de eodem servo investigando rogatur.

Cicero Leptæ S.

VI. 19. *Maculam*] Scripta est dum expectabatur Cæsar ex Hispania; quia ait, 'Ego me Asturæ diutius arbitror commoraturum, quoad ille quandoque veniat.' Meminit etiam Oppii et Balbi, qui Romæ remanserant, Cæsare in Hispaniam profecto. Balbum autem ægrum fuisse, et in hac Epistola ait, et ad Att. in Epistola hoc tempore scripta.

M. Cicero M. Fabio Gallo S. D.

VII. 24. *Amoris quidem tui*] Judicium P. Sextii, de quo fit in hac Epistola mentio, ostendit eam hoc tempore scriptam esse, quia eadem de re scribit ad Att. mense Sextili, antequam Cæsar Romam venerit.

Cicero M. Fabio Gallo S. D.

VII. 25. *Quod Epistolam*] Apparet scriptam esse adventante Cæsare ex Hispania; quia ait, 'Magister adest citius quam putaramus.' Magistrum autem dictatorem Cæsarem intelligit. Sic in Epist. ad Att. scripta mense Sextili, ait, 'Cæsar adest.'

Q. Fabio Maximo, C. Trebonio Coss.

Hoc anno Cæsar postquam ex Hispania rediit, consules sibi suffecit in reliquum anni Q. Fabium Maximum, et C. Trebonium, auctore Dione.

M. Cicero Q. Cornificio Collegæ S.

XII. 17. *Grata mihi vehementer*] Jam Cæsar quintum et ultimum a bello Romam reverterat, id est, ex Hispaniis. Revertit autem Octobri mense, auctore Vell. lib. II. Q. Cornificium in provincia Syriæ finitima esse apparet; quod ait, 'Ex Syria tumultuosiora quædam nobis nuntiata sunt; quæ quia tibi sunt propiora quam nobis, tua me causa magis movent quam mea.' Scripta videtur Epistola, cum, reverso ex Hispania Cæsare, populus Romanus variis spectaculis operam dabat: quia ait, 'Romæ summum otium est, sed ita ut malis salubre aliquod et honestum negotium: quod spero fore, quia vides id curæ esse Cæsari.' Significat autem bellum Parthicum, quod parabat Cæsar antequam interficeretur. Meminit etiam Oratoris sui, cum ait, 'Me scito, dum tu absis, quasi occasionem quandam et licentiam nactum, scribere audacius: et cætera quidem fortasse, quæ etiam tu concederes: sed proxime scripsi de optimo genere dicendi.' Hanc autem Epistolam primam esse ex iis quas ad Cornificium scripsit in provinciam, ex his verbis colligitur: 'Grata mihi vehementer est memoria nostri tua, quam significasti litteris,' &c.

M. Cic. Q. Valerio Q. F. Orcæ Legato Proprat. S. D.

XIII. 4. *Cum municipibus*] Q. Valerius præpositus erat a Cæsare agris dividendis, credo postquam ex Hispania rediit, quia Cicero in Epistola, qua commendat ei C. Curtium, ait ita: 'Hoc autem tempore eum Cæsar in senatum legit.' Senatum autem supplevisse Cæsarem, postquam rediit ex Hispania, scribit Dio. Hac Epistola commendat municipes Volaterranos, quorum agris dividendis Valerius præfectus erat.

M. Cicero Q. Valerio Q. F. Orcæ Legato Proprat. S. P. D.

XIII. 5. *Non moleste fero*] Commendat Valerio C. Curtium, qui possessionem habebat in agro Volaterrano.

M. Cicero C. Cluvio S. P. D.

XIII. 7. *Cum in Galliam*] Cluvius item videtur, ut Valerius, præpositus fuisse a Cæsare dividendis agris; quia ait, 'Etsi non sum nescius, et quæ temporum ratio et quæ tua potestas sit, tibique negotium datum esse a C. Cæsare, non judicium.' Commendat ei agrum vectigalem municipii Atellani.

M. Cicero M. Rutilio S. P. D.

XIII. 8. *Cum et mihi*] Item M. Rutilius præpositus erat agris dividendis a Cæsare, ut ex ipsa Epistola apertissime apparet. Commendat ei prædia Laberii.

Cicero Cornificio Collegæ S. D.

XII. 18. *Quod extremum*] Loquitur de tumultu in Syria excitato (ut in superiore ad eundem) cum ait, 'Quod mihi videor ex tuis litteris intelligere, te nihil commissurum esse temere, nec antequam scisses quo ille nescio quis Cæcilius Bassus erumperet,' &c. Hic enim Bassus tumultuatus est in Syria, Dione auctore. Loquitur etiam de ludis Cæsaris, cum ait, 'Equidem sic jam obdurui, ut ludis Cæsaris nostri æquissimo animo viderem T. Plancum,' &c. de quibus ludis supra diximus.

M. Cicero P. Vatinio Imp. S. D.

V. 11. *Grata tibi*] Cicero Sulpicio supplicationem decreverat, sic etiam Vatinio. Ut autem desiderantur litteræ quibus Cicero decretam ei a se supplicationem esse nuntiaverat, sic etiam Vatinianæ, quibus Ciceroni gratias agebat. Hæc enim Epistola

rescripta est ad litteras Vatiuii, quibus ille gratias egerat, et Pompeiam uxorem ei commendaverat. Quod autem ait, 'Dalmatis Dii malefaciant, qui tibi molesti sunt: sed tamen, ut scribis, brevi capientur, et illustrabunt res tuas gestas,' ostendit, Vatinium ex Illyrico jam tum, cum eas litteras scripsit, in Dalmatiam profectum esse, quod a Dalmatis lacesseretur: speratque res Dalmaticas accessionem futuras Illyricæ victoriæ, ob quam ei supplicatio decreta fuerat. Monet de Dionysio.

M. Curius M. Cicer. suo S. D.

VII. 29. *Si vales, bene est. Sum enim*] Data est a. d. IV Kal. Novemb. a M. Curio, qui Patris erat. Rogat Ciceronem ut Sulpicii successori se commendet, qui mense Junio ex Achaia decessit. Huic Epistolæ respondet Cicero initio sequentis anni.

P. Vatinius Imp. M. Ciceroni suo S. D.

V. 10. *Si vales, bene est: ego quidem valeo. De Dionysio*] Data est Non. Dec. Naronæ. P. Vatinius, cum in Dalmatiam profectus bellum gerere cœpisset, inde recedere propter frigora coactus fuerat. Petierat tamen a Cæsare ob res Dalmaticas gestas supplicationem. De ea vero adhuc non retulisse Cæsarem moleste fert. Petit a Cicerone, ut apud Cæsarem causam suam agat. Sic enim ait: 'Cæsar adhuc mihi injuriam facit. De meis supplicationibus, et rebus gestis Dalmaticis adhuc non refert. Quasi vero non justissimi triumphi in Dalmatia res gesserim,' &c. Quod autem addit, 'Ego post supplicationes mihi decretas in Dalmatiam profectus sum,' intelligitur post supplicationes de rebus Illyricis. De Dionysio se nihil adhuc extricare respondet. In Illyricum vero recessisse ostendit, cum ait, 'Quod me frigus Dalmaticum, quod illinc ejecit, etiam hic refrigeravit;' item, 'Indigneque oppidum captum, et bellum jam confectum relinquere sum coactus.'

Cicero Dolabellæ S. D.

IX. 12. *Gratulor Baiis nostris*] Dolabella ad Baias erat, ac orationem pro Deiotaro a Cicerone requisierat, quam dixit Cicero domi apud Cæsarem ex Hispania reversum. Quod ex his verbis orationis intelligitur: 'Non dubito quin Deiotarus tuis litteris, quarum exemplum legi, quas ad eum Tarraconе dedisti, se magis etiam erexerit.' Est enim Tarraco urbs Hispaniæ. Ad eum orationem hanc se mittere ait. Et ipse Cicero rusticari videtur, cum ait, 'Orationculam pro Deiotaro, quam requirebas, habebam mecum: quod non putaram.' Cæsarem porro cum Dolabella ad Baias fuisse hoc anno, post tertia Saturnalia, id est, XII Kal. Jan. intelligitur ex Epistola ultima lib. XIII ad Att.

C. Julio Cæsare V. M. Antonio Coss.

Anno U. C. 709.

Cicero Curio S. D.

VII. 30. *Ego vero jam te nec hortor*] Scripta est hæc Epistola initio anni hujus, ex his verbis: 'In Campo certe non fuisti, cum hora secunda, comitiis quæstoriis institutis, sella Q. Maximi, quem illi consulem esse dicebant, posita esset. Quo mortuo nunciato, sella sublata est. Ille autem, qui comitiis tributis esset auspicatus, centuriata habuit, consulem hora septima renuntiavit, qui usque ad Kal. Jan. esset, quæ erant futuræ mane postridie.' Hic autem fuit C. Caninius Rebilus, qui in locum Q. Maximi suffectus est. Dio, Macrob. Respondet Epistolæ Curii superiori.

M. Cicero Aristo Procos. S. D.

XIII. 50. *Sumpsi hoc mihi*] Petie-

rat Curius a Cicerone ut se commendaret successori Sulpicii, qui videtur fuisse Acilius. Itaque in superiore ad Curium Epistola ita respondet: 'Acilio, qui in Græciam profectus est cum legionibus, de te scripsi, eamque Epistolam cum hac conjunxi.' Hæc autem Epistola videtur esse quæ ad Aristum scripta est, cui commendat M. Curium. Fortasse enim appellatus est Acilius Aristus.

M. Cicero Cornificio S.

x. 19. *Libentissime*] Ex superioribus ad Cornificium Epistolis apparet eum fuisse cum imperio non longe a Syria provincia, et bellum Parthicum susceptum fuisse. Ex hac autem constat eum Syriam et bellum Parthicum a Cæsare obtinuisse, quod Cæsar parabat hoc anno antequam interficeretur. Hanc rem ei hac Epistola gratulatur.

Cicero Curio S. D.

VIII. 31. *Facile perspexi*] Hæc Epistola multo post superiorem ad Curium scripta est; quia ait, 'Acilio non fuisse necesse meas dari litteras, facile patior.' Hunc Acilium successorem fuisse Sulpicii intelligi potest, cum addit, 'Sulpicii tibi operam intelligo ex tuis litteris non multum opus fuisse.'

M. Antonio, P. Dolabella Coss.

Cæsar cos. v Id. Mart. interfectus est, cum quinque menses Romæ post reditum ex Hispania fuisset, auctore Velleio, in cujus locum suffectus est P. Dolabella.

D. Brutus M. Bruto, et C. Cassio S. D.

XI. 1. *Quo in statu simus, cognoscite*] M. Brutus et C. Cassius, prætores urbani, post necem Cæsaris armis Antonii cos. diffidentes Roma aberant. D. Brutus, socius ejusdem conjurationis, Romæ erat. Quod ex his verbis intelligitur: 'Heri vesperi apud me Hirtius fuit: qua mente esset Antonius demonstravit, pessima scilicet: nam neque provinciam mihi dare posse aiebat, neque tuto quemquam nostrum in urbe esse.' Quæ verba indicant non multo post necem Cæsaris hanc Epistolam esse scriptam. Ad Att. certe scribit, M. Brutum visum esse sub Lanuvio, post prid. Id. Ap.

Tullius Tironi S. D.

XVI. 24. *Etsi mane*] Cicero rusticabatur eo tempore quo Octavius ex Apollonia ad cernendam hereditatem Cæsaris Romam venit. Mandat Tironi, quem a se, ut ait, Romam dimiserat, ut sibi pecuniam curet: et ut omnia certa sibi rescribat, quid Antonius, quid Octavius, quæ hominum opinio, quid futurum putet. Addit præterea, vix teneri quin accurrat. Item Aquini fuisse Hirtium, qui tum Romæ erat cum superior Epistola scripta est. Scripta autem hæc videtur post XIV Kal. Maias; quia Octavius ex Apollonia Romam venit illo die. Epist. ad Att.

M. Cicero Bithynico S.

VI. 17. *Cum cæterarum*] Non est dubium quin hæc Epistola extremis iis bellis civilibus quibus Cicero interfuit, scripta sit, cum ita scribat: 'Cum cæterarum rerum causa cupio esse aliquando rempublicam constitutam.' Item quod ait, 'Eos qui temporibus valuerunt, aut valeant,' &c. nam 'qui valuerunt,' referre videtur ad Cæsarianos: 'qui valeant,' ad Antonianos et Octavianos. Præterea scribit ad Tironem in sequenti Epistola, 'ad Bithynicum scripsi.' Quod tamen an de hac Epistola et de hoc Bithynico dictum sit, affirmare non ausim.

Tullius Tironi S.

XVI. 23. *Tu vero confice*] Mandat item ut pecuniam curet. Scripta est hoc tempore; quod ait, 'Balbus ad me scripsit, tanta se epiphora oppressum, ut loqui non possit, Antonius de lege quid egerit.' Legem autem intelligit, quam fixerat Antonius post mortem Cæsaris, qua Siculi cives Romani facti sunt. Ad Att. Adhuc etiam rusticabatur, cum ait, 'liceat modo rusticari.' Neque dum amicitiam cum Antonio diremerat; quia ait, 'Ego Antonii inveteratam sine ulla offensione amicitiam retinere sane volo: scribamque ad eum.'

Cicero Dolabellæ Cos. S. D.

IX. 14. *Etsi contentus eram*] Gratulatur Cicero Dolabellæ consuli de rebus ab eo præclare gestis. Intelligit autem columnam in foro Cæsari mortuo erectam, quam ipse prostraverat. Scripta videtur VIII Id. Maias ex Epist. ad Att. ubi ait, 'Epistolæ ad Dolabellam exemplum tibi misi. Ego ad Dolabellam VIII Id. dederam litteras.'

C. Trebonius M. Ciceroni S.

XII. 16. *Si vales, bene est: ego quidem valeo. Athenas*] C. Trebonius in Asiam proficiscebatur provinciam, cum has litteras dedit VIII Kal. Jun. Athenis. Narrat Ciceroni ut viderit Athenis filium ejus litteris operam dantem; se item audisse turbulenta quædam de republica, quæ cupit esse falsa.

M. Cicero C. Trebonio S. D.

XV. 20. *Oratorem meum*] Eodem tempore quo Trebonius ad Ciceronem scripsit Epistolam superiorem, Cicero hanc ad illum. Mittit ad eum Oratorem suum, petit ut ad se crebro scribat, inprimisque ut doceat cujusmodi iter suum fuerit; ubi Brutum viderit, quamdiu simul fuerit. Marcum autem Brutum intelligit, qui per hæc tempora in agro Antiati erat.

M. Cicero C. Matio S. D.

XI. 27. *Nondum satis constitui*] Agit cum Matio de ludis Octavii ab eo curatis in honorem Cæsaris mortui. Scripta vero hoc tempore videtur; quia ad Att. in Epistola data post XV Kal. Jun. ita ait, 'de ludorum apparatu Matius mihi displicet.' Item, quia in hac Epistola ait, 'cum in Tusculanum vesperi venissem.' Nam ad Att. scribit in Tusculanum se venturum VI Kal. Jun.

M. Brutus, et C. Cassius Prætt. M. Antonio Cos. S. P. D.

XI. 2. *De tua fide*] Brutus et Cassius, prætores, ut dixi, urbani, cum Roma abessent, petunt ab Antonio an Romæ Kal. Jun. tuto esse possint in magna veteranorum frequentia, quæ conventura erat. Ex quo apparet hanc Epistolam ante Kal. Jun. scriptam esse.

M. T. Cicero C. Cassio S. P. D.

XII. 1. *Finem nullum facio*] Hoc tempore scripta est; quia ait, 'Republica a Dolabella meo præclarissime gesta. Manabat enim illud malum urbanum, et ita corroborabatur quotidie, ut ego quidem et urbi et otio diffiderem urbano.' Intelligit autem columnam eversam a Dolabella, de qua supra. Addit præterea, 'tabulæ figuntur, immunitates dantur, pecuniæ maximæ describuntur, exules reducuntur, S. C. falsa referuntur.' Item, 'cujus æra refigere debebamus, ejus etiam chirographa defendimus.' Quæ verba indicant hanc Epistolam scriptam esse post Kal. Jun. quia scribit in prima Philippica, post illum diem hæc acta esse ab Antonio. Cassius adhuc non longe ab urbe aberat;

quia ait, ' verum hæc propediem, et multa alia coram.'

C. Matius M. Ciceroni S. P. D.

XI. 28. *Magnam voluptatem*] Respondet Matius Epistolæ superiori, cujus initium est, ' Nondum satis constitui.' Rationem affert cur Cæsaris ludos curarit, cum ait, ' At ludos quos Cæsaris victoriæ Cæsar adolescens fecit, curavi. At id ad privatum officium et ad honestatem reipublicæ pertinebat.' Addit præterea sæpe se venisse domum Antonii consulis.

M. Cicero M. Oppio S.

XI. 29. *Dubitanti mihi*] Scripta est cum Cicero proficisceretur in Græciam; quia ait, ' Dubitanti mihi de hoc toto consilio profectionis, quod in utramque partem in mentem multa veniebant; magnum pondus accessit ad tollendam dubitationem, judicium, et consilium tuum.' Item quia ait, ' Gravissimum judicium de mea fide fecisti, cum post mortem Cæsaris te ad meam amicitiam contulisti.' Profectus est autem in Græciam mense Quintili, ut infra apparebit.

Cicero Trebatio S. D.

VII. 20. *Amabilior mihi Velia*] Data XIII Kal. Sext. Velia, cum in Græciam proficisceretur. Quod et ex hac Epistola et ex Proœmio Topicorum apparet.

Cicero Trebatio S. D.

VII. 19. *Vide quanti*] Data est V Kal. Sext. Rhegio. Ait se, ut primum Velia navigare cœperit, instituisse Topica Aristotelica conscribere, eumque librum Rhegio ad eum mittere.

Brutus et Cassius Prætt. Antonio Cos. S. D.

XI. 3. *Litteras tuas legimus*] Data est prid. Non. Sext. a M. Bruto et C. Cassio, prætoribus urbanis, qui Roma aberant, sed tamen in Italia. Conqueruntur de minis Antonii, et de edicto quodam, quo Antonius minabatur idem supplicium optimis civibus, quod Cicero sumpserat de sceleratissimis. Philipp. III.

M. T. Cicero T. Planco Imp. Cos. Des. S. D.

X. 1. *Et abfui*] Scripta est postquam rediit e Græcia; quia ait, ' Et abfui proficiscens in Græciam, et posteaquam de medio cursu reipublicæ sum voce revocatus, nunquam per M. Antonium quietus fui.' Reversus est autem in urbem pridie Kal. Septemb. quod ex prima Philippica intelligitur.

M. T. Cicero S. D. Titio.

V. 16. *Etsi unus*] Consolatur Titium de morte filii. Difficile est autem intellectu, an impendente civili bello Cæsariano an Antoniano banc Epistolam scripserit, cum scribat ita: ' Neque tantum hæ proficere videntur debere, quantum status ipse nostræ civitatis, et hæc perturbatio temporum perditorum: cum beatissimi sint qui liberos non susceperunt, minus autem miseri qui his temporibus amiserunt, quam si eosdem bona, aut denique aliqua rep. perdidissent.' Item: ' Hoc tamen non dubitans confirmare possum, ea misceri, parari, impendere reipublicæ, quæ qui reliquerit, nullo modo mihi deceptus esse videatur.' Item: ' Non mehercule quemquam audivi hoc gravissimo et pestilentissimo anno adolescentulum aut puerum mortuum, qui mihi non a Diis immortalibus ereptus ex his miseriis videretur.'

D. Brutus Imp. M. Ciceroni S.

XI. 4. *Si de tua in me voluntate*] D. Brutus Galliæ citeriori a Cæsare, auctore Appiano, præfectus, in eam provinciam aliquanto post necem

Cæsaris profectus erat: atque in ea nunc bellum gerebat. Cum autem rem præclare gessisset, litteras ad senatum scripserat, fortasse de supplicatione. Petit a Cicerone ut suam causam in senatu defendat. Inquit autem, 'Progressus sum ad Inalpinos cum exercitu, non tam nomen captans imperatorium, quam cupiens militibus satisfacere, firmosque eos ad tuendas nostras res efficere.' Item: 'Cum omnium bellicosissimis bellum gessi, multa castella cepi, multa vastavi. Non sine causa ad senatum litteras misi. Adjuva nos tua sententia.' Itaque Philip. VI. ait, 'Annon D. Brutus potuit legiones Antonio et provinciam tradere? domum redire? triumphare?'

M. Cicero D. Bruto Imp. S. D.

XI. 16. *Permagni interest*] Jam Brutus Imp. appellatus erat, ex superiore Epistola. Commendat duabus Epistolis Bruto L. Lamiam, præturam petentem; credo, veritus ne altera earum intercepta periret. Hoc autem anno petiit præturam Lamia, quia ædilis fuit sub victoriam Cæsaris Africanam. Inter ædilitatem autem et præturam biennium intercedebat. Petit autem Cicero a Bruto, ut ad Lupum Romam mittat, ut equitum sibi centurias, in quibus ille regnat, conficiat.

M. Cicero D. Bruto Imp. S. D.

XI. 17. *Lamia*] Eodem tempore scripta est quo superior, ut ibi dictum est. Commendat iterum ei præturam Lamiæ.

M. Cicero C. Cassio S. P. D.

XII. 2. *Vehementer lætor*] Scripta est post XIII Kal. Oct. postquam Philippicam secundam in Antonium dixerat. Se tuto in senatum venire non posse ait; cædem enim eum quærere, ejusque initium a. d. XIII Kal. Oct. a se facturum putasse. Cassius adhuc cum M. Bruto abesse ab urbe in Italia videtur; quia ait, 'Quare spes est in vobis: qui si idcirco abestis ut sitis in tuto, ne in vobis quidem; sin aliquid dignum vestra gloria cogitatis, velim salvis nobis; sin id minus, res tamen publica per vos brevi tempore jus suum recuperabit.'

M. Cicero L. Planco Imp. Cos. Des. S. D.

X. 2. *Meum studium*] L. Plancus petierat a Cicerone ut causam suam ageret in senatu. Respondet Cicero, se id faeturum fuisse, si aut tuto in senatum aut honeste venire potuisset. Ex quo intelligi potest, hanc Epistolam eodem tempore scriptam esse quo superior est.

M. T. Cicero C. Cassio S. P. D.

XII. 3. *Auget tuus amicus*] Nondum videtur Cassius in Syriam provinciam profectus, quod se, quid consilii ei det, non habere Cicero dicat. Scripta est post VI Non. Oct. quia ait, 'Itaque a. d. VI Non. Oct. productus in concionem a Canusio, turpissime ille quidem discessit, sed tamen ea dixit de conservatoribus patriæ, quæ dici deberent de proditoribus.'

M. T. Cicero Cornificio S. D.

XII. 23. *Omnem conditionem*] Cornificius Africæ hoc tempore prætor erat, quod sequentes Epistolæ indicant. Scripta hæc est post VII Id. Oct. quia ait, 'A. d. VII Id Oct. Antonius Brundusium venerat, profectus obviam legionibus Macedonicis quatuor, quas sibi conciliare pecunia cogitabat, easque ad urbem adducere, et in cervicibus nostris collocare.'

M. Cicero Cornificio S.

XII. 21. *C. Anicius*] Extant Epistolæ quædam ad Cornificium scriptæ, tum cum in Africa erat: quarum

quia sedes incerta est, earum aliquot huic Epistolæ subjiciemus. Hac ei commendat C. Anicium, legatum in Africa legatione libera.

M. T. Cicero Cornificio S.

XII. 26. *Q. Turius, qui in Africa negotiatus est*] Commendat Q. Turium, qui in Africa negotiatus erat.

M. Cicero Cornificio.

XII. 27. *Sex. Aufidius*] Commendat Aufidii negotia, quæ erant in Africa.

M. Cicero D. Bruto Imp. S.

XI. 5. *Lupus, familiaris noster*] Scripta est post V Id. Decembr. quia ait, 'Romam veni ante diem V Id. Decembr.' Nondum videtur Antonius provinciam Galliam a populo obtinuisse; quia ait, 'Si iste provinciam nactus erit, spem reliquam nullam video salutis.' Hortatur præterea ut Antonio resistat, et libertatem recuperet.

M. Cicero D. Bruto Imp. S.

XI. 7. *Cum adhibuisset*] M. Antonius edixerat ut adesset senatus frequens a. d. VIII Kal. Decemb. Eo die ipse non affuit, in a. d. IV Kal. Decemb. distulit: adesse in Capitolio jussit, quod in templum ipse nescio qua per Gallorum cuniculum ascendit. Cum de republica relaturus fuisset, allato nuntio de legione quarta, mente concidit: effugere festinans, senatusconsultum de supplicatione per discessionem fecit: inde paludatus urbe fœde ac misere fugit, cum vesperi illo ipso die senatusconsultum de provinciis fecisset. Cum igitur Antonius in Galliam, quam a populo obtinuerat, D. Bruti provinciam, irrupturus cum exercitu videretur, hortatur Brutum Cicero ne in salute et libertate populi Romani conservanda auctoritatem senatus expectet, nondum liberi. Meminit Cæsaris adolescentis, qui exercitum privato consilio contra Antonium paraverat, item legionis Martiæ et quartæ, quæ Antonium consulem reliquerant.

M. Cicero D. Bruto Imp. S.

XI. 6. *Lupus noster*] Scripta est post XIII Kal. Jan. quia ait, 'Cum tribuni plebis edixissent, senatus adesset a. d. XIII Kal. Jan. haberentque in animo de præsidio cos. des. referre, quanquam statueram in senatum ante Kal. Jan. non venire, tamen cum eo die ipso edictum tuum propositum esset, nefas esse duxi, aut ita haberi senatum, ut de tuis divinis in rempublicam meritis sileretur, (quod factum esset, nisi ego venissem) aut etiam, si quid honorifice de te diceretur, me non adesse. Itaque in senatum veni mane,' &c. Eo autem die in senatu dixit tertiam Philippicam, et ad populum quartam, in quibus D. Brutum laudavit, quod edictum fecit, quo se Galliam in S. P. Q. R. potestate retenturum pollicebatur.

M. Cicero S. P. D. Cornificio.

XII. 22. *Nos hic cum homine*] Scripta et hæc est post XIII Kal. Jan. quia ait, 'A. d. XIII Kal. Jan. senatus frequens mihi est assensus de provinciis ab iis qui obtinerent retinendis, neque cuiquam tradendis, nisi qui ex S. C. successisset.' Quod idem Cornificii causa suasisse ait, ne scilicet C. Calvisio, cui Antonius Africam tradiderat, provincia cederet. Suasit autem hoc Cicero in tertia Philippica, his verbis: 'Censeo senatum ad summam reip. pertinere arbitrari, &c. ab iis qui provincias obtinent, obtineri ex lege Julia, quoad ex S. C. cuique eorum successum sit.'

Q. Cicero Tironi suo S. D.

XVI. 27. *Mirificam mihi verberationem*] Scripta videtur hoc anno, quia

reprehendit consules des. Hirtium et Pansam.

Cicero F. Tironi suo dulciss. S. D.

XVI. 21. *Cum vehementer*] Cicero F. erat Athenis cum M. Bruto et Cassio, sequenti autem anno cum Bruto proficiscitur in Macedoniam. Erat autem hoc tempore Athenis, ut in Epist. Trebonii. Hoc vero tempore Epistolam hanc scriptam esse apparet, quia nunquam amplius fuerit Brutus Athenis quam nunc. Eo enim Macedoniam proficiscens profectus est.

Cicero F. Tironi suo S.

XVI. 25. *Etsi justa*] Scripta videtur cum esset Cicero F. Athenis, ut superior.

Bithynicus Ciceroni S. D.

VI. 16. *Si mihi tecum*] Bithynicus, ut ait Appianus, post mortem Cæsaris, in Sicilia prætor erat. Petit igitur a Cicerone tunc in senatu potente, ut se absentem defendat.

A. Hirtio, C. Vibio Pansa Coss.
Anno U. C. 710.

M. Cicero Cornificio.

XII. 24. *Ego nullum*] M. Antonius a. d. IV Kal. Decemb. cum de legione quarta nuncium in senatu accepisset, ex urbe fugit paludatus: in provinciam Galliam cum exercitu irrupit, D. Brutum resistentem Mutinæ obsedit: Cicero Philip. III. et V. Ad Antonium deinde legatos de pace senatus misit prid. Non. Jan. Cicero Philip. VI. Antequam legati reverterentur, hæc Epistola scripta est; quia ait, 'Cum hæc scribebam, in expectatione erant omnia. Nondum legati redierant, quos senatus non ad pacem deprecandam, sed ad bellum denunciandum miserat, nisi legatorum nuncio paruisset.'

M. Cicero D. Bruto Imp. S.

XI. 8. *Eo tempore Polla*] Eodem tempore scripta est quo superior; quia ait, 'Omnia erant suspensa propter expectationem legatorum, qui quid egissent nihil dum nunciabatur.' Jam Hirtius et Cæsar exercitum contra Antonium duxerant. Itaque ait, 'De reliquis rebus jam a te litteras expectare debemus, quid ipse agas, quid noster Hirtius, quid Cæsar meus; quos spero brevi tempore societate victoriæ tecum copulatos fore.'

M. Cicero L. Planco Imp. Cos. Des. S. D.

X. 3. *Cum ipsum Furnium*] Hortatur L. Plancum ad rempublicam et libertatem populi Romani defendendam. Scriptam autem mense Januario esse declarat responsio Planci, quæ sequetur.

M. Cicero C. Cassio S. P. D.

XII. 4. *Vellem Id. Mart.*] Jam C. Cassius in Syriam proconsul venerat. Scripta est postquam legati ab Antonio redierant; quia ait, 'Nihil fœdius Philippo et Pisone legatis, nihil flagitiosius: qui cum essent missi ut Antonio ex senatus sententia certas res nuntiarent, cum ille earum nulli paruisset, ultro ab illo ad nos intolerabilia postulata retulerunt.' Dolabellam vituperari ait, quod Cassio, qui vix triginta dies in Syria fuisset, succederet.

M. T. Cicero C. Trebonio S. D.

X. 28. *Quam vellem*] Trebonius in Asia proconsul erat. Scripta est post mortem Ser. Sulpicii, qui in legatione ad Antonium obierat e Philippica IX. Quod ex his verbis colligitur: 'Magnum damnum factum est in Servio. L. Cæsar optime sentit: consules egregii, præclarus D. Brutus, egregius puer Cæsar.'

M. Cicero C. Cassio S. P. D.

XII. 5. *Hiemem credo prohibuisse*] Scripta est post mortem Ser. Sulpicii, dum adhuc Brutus obsideretur: ex his hujus Epistolæ verbis: 'Res sic se habebat, ut totius belli omne discrimen in D. Bruto positum videretur: qui si, ut sperabamus, erupisset Mutina, nihil belli reliquum fore videbatur. Parvis omnino jam copiis obsidebatur, quod magno præsidio Bononiam tenebat Antonius. Erat autem Claternæ noster Hirtius, ad Forum Cornelium Cæsar, uterque cum firmo exercitu: magnasque Romæ Pansa copias ex delectu Italiæ compararat. Hiems adhuc rem geri prohibuerat. Hirtius nihil nisi considerate (ut mihi crebris litteris significat) acturus videbatur. Præter Bononiam, Regium Lepidi, Parmam, totam Galliam teuebamus. Erat firmissimus senatus, exceptis consularibus; ex quibus unus L. Cæsar firmus est et rectus: Ser. Sulpicii morte magnum præsidium amisimus.'

Plancus Ciceroni S. D.

X. 4. *Gratissimæ mihi tuæ litteræ fuerunt*] Respondet Epistolæ Ciceronis, cujus initium est, 'Cum ipsum Furnium.' Scripta videtur Februario mense, quia ait, 'Sum in expectatione omnium rerum, quid in Gallia citeriore, quid in urbe Januario mense geratur, ut sciam.' Optimo se in rempublicam animo esse ait.

M. Cicero Papirio Pæto S. D.

IX. 24. *Rufum istum*] Hæc Epistola extrema hieme scripta est; quia ait, 'Te ad cœnas itare desisse moleste fero. Spurina magnum periculum summæ reipublicæ demonstrabat, nisi ad superiorem consuetudinem, tum cum Favonius flaret, revertisses: hoc tempore ferri posse, si forte tu frigus ferre non posses.' Addit præterea, quod hanc Epistolam Antonianis temporibus scriptam esse probare potest: 'Cave existimes me, quod jocosius scribam, abjecisse curam reipublicæ: sic tibi persuade, me dies et noctes nihil aliud agere, nihil curare, nisi ut mei cives salvi liberique sint. Nullum locum prætermitto moneudi,' &c.

M. Cicero C. Cassio S. P. D.

XII. 7. *Quanto studio*] Nunciat se dignitatem ejus defendisse in senatu. Hoc autem, ut arbitror, fecit in undecima Philippica, cum bellum contra Dolabellam Cassio mandandum censuit: idem se ad populum etiam egisse ait. Quæ tamen Oratio non extat.

C. Cassius Proces. M. Ciceroni S.

XII. 11. *Si vales, bene est: ego quidem valeo. In Syriam*] Data est Non. Mart. ex castris Taricheis. Nunciat se accepisse exercitum a L. Murco et Q. Crispo imperatoribus, et legionem, quam Q. Cæcilius Bassus habuit, quatuorque legiones, quas Allienus ex Ægypto duxit, posteaquam illi audiverunt quæ Romæ gererentur. Intelligit autem S. C. factum in sententiam Ciceronis undecima Philippica.

C. Asinius Pollio M. T. Ciceroni S. P. D.

X. 31. *Minime mirum*] C. Asinius Hispaniæ præerat cum exercitu: quid sibi agendum sit, Ciceronem consulit. Data est XVII Kal. Apr. Cordubæ.

Cicero Planco Imp. Cos. Des. S. P. D.

X. 5. *Binas a te accepi litteras*] Respondet Epistolæ Planci, cujus initium est, 'Gratissimæ mihi;' et gratulatur, eum optimo esse in remp. animo: hortaturque ut persistat.

Liberalibus, id est, XVI Kal. Apr. nec postero die fuit senatus. Quinquatribus, i.e. XIV Kal. Apr. frequens

fuit, decrevitque ut Minerva Ciceronis, custos urbis, quam turbo dejecerat, restitueretur. Pansa litteras Cornificii recitavit. Summa approbatio consecuta est, cum offensione Calvisii, qui Africam petebat, ut ait Cicero in Philip. III. Factum de Cornificio S. C. honorificum, ex Epist.

Cicero Planco Imp. Cos. Des. S. D.

X. 6. *Quæ locutus est Furnius*] Data est XIII Kal. Apr. Hortatur Plancum, ut D. Brutum collegam suum ab Antonio Mutinæ obsessum exercitu juvet, neque pacis auctor sit, quæ positis armis ab Antonio petenda sit.

M. Cicero M. Lepido S. P. D.

X. 27. *Quod mihi pro mea summa*] Monet Lepidum, qui decreta sibi Hispania adhuc in Gallia ulteriori morabatur cum exercitu, auctore Velleio, ne se interponat in pacificationem Antonii et senatus, de qua hoc tempore agebatur, auctore Dione. Quod idem etiam suasit in superiori Epistola Planco.

L. Plancus Imp. Cos. Des. S. D. Cos. Præt. Trib. Pl. S. P. Pl. Q. R.

X. 8. *Si cui forte*] Rationem affert cur non adhuc arma contra Antonium pro rep. ceperit: se paratum esse vel provinciam tueri, vel ire quo resp. vocet, vel tradere exercitum, auxilia, provinciamque; C. Furnium, legatum, cum mandatis ad senatum ante misisse ait. Cujus rei meminit Cicero in Epistola cui initium est, ‘ Quæ locutus est Furnius.’ Cum autem hanc Epistolam scripsit, Brutus adhuc obsidebatur. Quod inde intelligi potest, cum ait, ‘ Quod præmatura denunciatio boni civis imparati quam periculosa esset, ex casu collegæ videbam.’

Planc. Imp. Cos. Des. Ciceroni S. D.

X. 7. *Plura tibi*] Hæc Epistola cum superiore conjuncta est: quia ait se breviorem esse, quod publicis litteris omnia persecutus sit.

Cicero Planco Imp. Cos. Des. S. D.

X. 10. *Etsi satis ex Furnio*] Respondet superiori epistolæ Planci, cujus initium est, ‘ Plura tibi.’ Gratas litteras ejus senatui fuisse ait: hortatur ut in suscepta sententia persistat. Data est IV Kal. April. antequam prælium ad Mutinam fieret. Quod ex his verbis cognoscitur: ‘ Quamobrem quanquam uno in prælio omnis fortuna reip. disceptat; quod quidem, cum hæc legeres, jam decretum arbitrabar fore,’ &c.

M. Cicero Planco Imp. Cos. Des. S.

X. 12. *Etsi reip. causa*] Data est III Id. Apr. Respondet litteris quibusdam Planci, quæ interierunt: alias item litteras Planci ad senatum, quæ non extant, recitatas fuisse ait. Se pro Planco VII, VI, V Id. Aprilis in senatu cum Servilio et Titio tribunis pleb. qui S. C. intercesserant, contendisse ait.

M. Cicero Cornificio.

XII. 28. *Assentior tibi*] Scripta est hoc tempore, cum ambo consules ad Mutinam erant: quia ait, ‘ Senatus sæpius pro dignitate tua appellaretur, si absentibus consulibus unquam nisi ad rem novam cogeretur.’ Hoc autem idem scripsit etiam in superiore ad Plancum Epistola, cum senatum absentibus consulibus a prætore urbano Cornuto habitum esse dixit.

M. Cicero Cornificio.

XII. 29. *Non modo tibi*] Commendat res L. Lamiæ. Scripta hoc anno videtur; quia ait, ‘ Quanquam erat nobis dictum, te existimare alicui S. C. quod contra dignitatem tuam fieret, scribendo Lamiam affuisse, qui omnino consulibus illis nunquam af-

fuit scribendo; deinde omnia tum falsa S. C. deferebantur.' Intelligit autem consules Antonium et Dolabellam.

M. Cicero C. Cassio S. P. D.

XII. 6. *Qui status rerum fuerit*] Scripta est paulo ante quam ad Mutinam pugnaretur: quia ait, 'Res, cum hæc scribebam, erat in extremum adducta discrimen. Brutus enim Mutinæ vix jam sustinebat.'

Ser. Galba M. Ciceroni S.

X. 30. XVII *Kal. Maii*] Data est a. d. XII Maii, ex castris. Nunciat rem bene gestam cum Antonio.

Plancus Imp. Cos. Des. Ciceroni S. P. D.

X. 9. *Nihil me tibi temere*] Post VI Kal. Maias scripta est, tum cum Plancus properaret in Galliam citeriorem, ut subveniret Decimo Mutinæ obsesso; ait enim, 'Exercitum a. d. VI Kal. Maias Rhodanum trajeci: ipse, si a Lepido non impediar, celeritate satisfaciam: sin autem in itinere meo se opposuerit, ad tempus consilium capiam. Copias adduco et genere et numero et fidelitate firmissimas.' In hanc sententiam in epistola etiam cujus initium est, 'Immortales,' scripsit, 'Cum Rhodanum copias trajecissem, ipseque iter Mutinam dirigerem, de prælio facto, Brutoque et Mutina obsidione liberata audivi.'

D. Brutus M. Ciceroni S. D.

XI. 9. *Pansa amisso*] Data est IV Kal. Maii ex castris Regii. D. Brutus obsidione liberatus mortuos consules nunciat: pollicetur se daturum operam ne Antonius in Italia commoretur: rogat ut Lepidum, Asinium, Plancum confirmet, de quorum voluntate erga remp. dubitabat.

M. Cicero Cornificio.

XII. 25. *Liberalibus*] Scripta est post consules ad Mutinam interfectos; quia ait, 'Hirtium quidem et Pansam, collegas nostros, homines in consulatu reip. salutares, alieno sane tempore amisimus, rep. Antoniano quidem latrocinio liberata, sed nondum omnino explicata.'

D. Brutus M. Ciceroni S. D.

X. 10. *Non mihi remp.*] Data est III Non. Maii ex castris, Dertone. Nuntiat ut Antonius omne genus hominum arripiendo, satis magnum numerum effecerit, ut cum eo Ventidius ad Vada se conjunxerit; Antonium aut ad Lepidum se collaturum, aut Apennino Alpibusque retenturum, aut rursus se in Etruriam recepturum.

D. Brutus Imp. Cos. Des. M. Ciceroni S. D.

XI. 11. *Eodem exemplo*] Data est prid. Non. Maii ex castris, finibus Statiellensium. 'In itinere est,' inquit, 'Antonius, ad Lepidum proficiscitur. Ne de Planco quidem adhuc spem abjecit, ut ex libellis ejus animadverti, qui in me inciderunt. In quibus, quos ad Asinium, quos ad Lepidum, quos ad Plancum mitteret, scribebat.'

C. Cassius Procos. M. Ciceroni S. D.

XII. 12. *Si vales, bene est: ego quidem valeo. Legi tuas litteras*] Rogat ut se et Murcum et Crispum imperatores, qui sibi exercitum tradiderunt, militesque ipsos sua auctoritate defendat atque ornet. Se audisse ait, Dolabellam, qui nefarie Trebonio occiso Asiam occupavit, in Ciliciam venisse cum suis copiis. Itaque se item in Ciliciam profecturum. Data est Non. Maii, ex castris.

Plancus Ciceroni S. P. D.

X. 11. *Immortales ago tibi gratias*] Respondere videtur Epistolæ Ciceronis, cujus initium est, 'Etsi reip.

causa;' qua Cicero scripserat, quantam contentionem pro ejus dignitate suscepisset. Nuntiat se, audito Mutinensi prælio, in Allobrogibus constitisse: audivisse autem VI Kal. Maias, supra diximus. Se paratum esse ait, ut quoquo modo possit resistat Antonio, si in Galliam se contulerit.

Cic. Planco Imp. Cos. Des. S. D.

X. 14. *O gratam famam*] Data est III Id. Maii. Respondet Epistolæ superiori Planci, cujus initium est, 'Nihil me tibi temere.' Hortatur eum ut fusum Antonium persequatur.

M. Cicero D. Bruto Imp. S. D.

XI. 22. *Cum Ap. Claudio*] Commendat Bruto Ap. Claudium, qui se cum Antonio conjunxerat, rogatque ut eum sua auctoritate servet incolumem.

Plancus Imp. Ciceroni S. D.

X. 15. *His litteris scriptis*] Nuntiat se, in Isara flumine, quod est in finibus Allobrogum, ponte uno die facto, exercitum a. d. IV Id. Maii traduxisse, fratrem cum equitum quatuor millibus prid. Id. Maii L. Antonio præmisso cum equitibus ad Forum Julium obviam misisse: ipsum maximis itineribus, cum quatuor legionibus expeditis, et reliquo equitatu, subsecuturum.

Plancus Imp. Ciceroni S. D.

X. 17. *Antonius Id. Maii*] Nuntiat Id. Maii Antonium ad Forum Julium venisse, Ventidium bidui spatio ab eo abesse, Lepidum ad forum Voconii castra habere: ibi se expectare contituisse.

Cicero Planco S. D.

X. 16. *Nihil post hominum memoriam*] Litteras quasdam Planci in senatu recitatas esse, easque gratissimas senatui fuisse, deque his S. C. factum esse in sententiam suam ait. Suadet præterea ut in rebus agendis consilium senatus non petat, sed ipse sibi sit senatus. Nondum videtur Antonius se conjunxisse cum Lepido.

M. T. Cicero S. P. D. Cornificio.

XII. 30. *Itane*] Scripta est hoc tempore; quia ait, 'Orbus senatus consulibus amissis.' Item, 'Cum Pansæ mortem ignorares, scripsisti quæ per uos ab eo consequi te posse arbitrarere.' Item, 'Sic vehementius nos laboramus, quia profligato bello, ac peue sublato, renovatum bellum gerere conamur.'

M. Cicero D. Bruto Imp. S. D.

XI. 18. *Etsi ex mandatis*] Data est XIII Kal. Jun. De bello renovato Antonii agit, his verbis: 'Etenim cum te incluso spem maximam omnes habuissent in tua virtute, florente Antonio; quis erat qui quidquam timeret, profligato illo, te liberato? Nec vero Lepidum timebamus. Quis enim esset qui illum tam furiosum arbitraretur, ut qui in maximo bello pacem velle se dixisset, is in optatissima pace bellum reip. indiceret?' Item paulo post, 'Quare velim equidem, id quod spero, ut plane abjectus et fractus sit Antonius. Sin aliquid virium forte collegerit, sentiet, nec senatui consilium, nec populo R. virtutem deesse, nec reip. te vivo, imperatorem.'

D. Brutus M. Ciceroni S. D.

XI. 19. *Ad senatum*] Data est XII Kal. Jun. Vercellis. Dolet, se cum tironibus egentissimis esse: rogat ut quas ad senatum misit litteras, perlegat, et si qua videbuntur, commutet.

M. Lepidus Imp. II. Pont. Max.
M. T. Ciceroni S. P. D.

X. 34. *Si vales, bene est: ego quoque*

valeo. Cum audissem] Data est XII Kal. Jun. ex castris, ex Ponte Argenteo. Nunciat se venisse ad forum Voconium contra L. Antonium: Silanum et Culeonem ab eo discessisse: se neque senatui, neque reip. in hoc bello defuturum.

M. T. Cicero C. Furnio S. P. D.

X. 25. *Si interest*] Deterret Furnium legatum Planci a peteuda prætura; hortatur autem ut reliquias belli conficiat: id est, ut Antonium persequatur, post fugam Mutinensem bellum renovantem.

Plancus Ciceroni S.

X. 18. *Quid in animo habuerim*] Se accersitum esse nuntiat a Lepido: itaque a. d. XII Kal. Jun. ab Isara castra movisse: pontem tamen reliquisse, et præsidia firma ibi posuisse, ut advenienti Bruto exercituique ejus sine mora transitus esset paratus: ipsum se diebus octo cum Lepidi exercitu conjuncturum.

Plancus Ciceroni S.

X. 21. *Puderet me*] Scripta est biduo post superiorem; quia ait, 'Scripsi tibi biduo ante, me confidere bono Lepido esse usurum, communique consilio bellum administraturum. Credidi chirographis ejus, affirmationi præsentis Laterensis, qui tum apud me erat, reconciliaremque me Lepido, fidemque haberem orabat.' De hac autem re sic in Epistola superiori: 'Itaque post discessum legatorum, cum binis continuis litteris et Lepidus me ut venirem rogaret, et Laterensis multo etiam magis prope implorans obtestaretur,' &c. Se, cum ad Lepidum iret, jussu ejus constitisse, ac propterea suspectam ejus fidem habere ait.

Cicero Planco S. D.

X. 22. *In te, et in collega*] Scripta est antequam Lepidus Antonium reciperet; quia ait, 'concordia vestra, quæ senatui declarata est.' Intelligit autem consensum Planci et Bruti ad persequendum Antonium. Scribit autem Appianus, cum hoc tempore, antequam Antonius reciperetur a Lepido, D. Bruti exercitus laboraret morbo, Plancum cum exercitu propius accessisse.

M. Cicero D. Bruto Imp. S. D.

XI. 15. *Etsi mihi tuæ litteræ*] Eadem sententia, qua utitur, ostendit eodem tempore hanc Epistolam scriptam esse, quo superior est: quæ est hæc: 'Conjunctio tua cum collega, concordiaque vestra, quæ litteris communibus declarata est, S. P. Q. R. gratissima accidit.'

Cicero Planco Imp. Cos. Des. S. P. D.

X. 13. *Ut primum*] Nuntiat senatus consultum factum esse in suam sententiam, in laudem Planci. Hortatur ut Antonium opprimat; cum ait, 'qui M. Antonium oppresserit, is bellum confecerit.'

Cicero Planco Imp. S. D.

X. 19. *Quanquam gratiarum actionem*] Idem agit atque in superiore, cum ait, 'Incumbe ut belli extrema perficias. Qui M. Antonium oppresserit, is hoc teterrimum bellum periculosissimumque confecerit.'

M. Cicero D. Bruto Imp. Cos. Des. S. D.

XI. 12. *Tres uno die*] Respondet litteris Bruti, quarum initium est, 'Non mihi remp.' et eodem exemplo hortatur ad persequendum Antonium, cum ait, 'is bellum confecerit qui Antonium oppresserit.' Addit præterea, 'Itaque homines alii facti sunt: nonnulli etiam queruntur quod persecuti non sitis: opprimi potuisse, si celeritas adhibita esset, existimant.'

C. Asinius Pollio M. T. Ciceroni S. P. D.

x. 33. *Quo tardius*] Hoc tempore scripta videtur; quia ait Antonium habere equitatum, ac legiones sub signis armatas tres: Ventidium cum eo se conjunxisse: si nihil in Lepido spei sit, descensurum ad extrema: Parmam direptam; L. Antonium Alpes occupasse; anni tempus majorem sibi libertatem dare, propterea quod frumenta aut in agris aut in villis sint: se deesse reip. nolle.

M. T. Cicero S. Furnio S. P. D.

x. 26. *Lectis tuis litteris*] Suadet hac etiam Epistola Furnio, ut præturæ petitionem in alterum annum differat; nunc autem in bellum incumbat: quod de Planci et Bruti concordia scribat, in eo se vel maximam spem ponere victoriæ.

M. Cicero D. Bruto Imp. S. D.

xi. 14. *Mirabiliter, mi Brute, lætor*] Respondet litteris quibusdam, quas Brutus Id. Maii dederat, his verbis: ‘ Scripsisti autem ad me iis quas Id. Maii dedisti, modo te accepisse a Planco litteras, non recipi a Lepido Antonium. Id si ita est, omnia faciliora; sin aliter, magnum negotium; cujus exitum ne extimescam, tuæ partes sunt.’

D. Brutus Imp. M. Ciceroni S. D.

xi. 20. *Quod pro me non facio*] Labeonem ait sibi nuntiasse, Cæsarem de Cicerone questum, quod diceret, eum dixisse, Cæsarem ornandum et tollendum esse: non commissurum ut tolli possit: se, nisi valde necesse fuerit, ex Italia non excessurum ait; legiones armare, parare; sperare se non pessimum exercitum habiturum ad omnes casus, et impetus hominum. Data viii Kal. Jun. Eporædia. Mendose enim vulgo legitur *VII Kal. Jun.* ex manuscripto libro.

D. Brutus M. Ciceroni S. D.

xi. 23. *Nos hic valemus recte*] Scripta videtur eodem die quo superior. Itaque ait, ‘ Quæ tibi superioribus litteris mea manu scripsi, terrendi tui causa homines loquuntur.’ Lepidum commode de se videri sentire ait, seque, dum a Cicerone litteras accipiat, in Italia moraturum.

Cicero Planco S. D.

x. 28. *Ita erant omnia*] Data est iv Kal. Jun. Se accepisse a Bruto litteras ait datas Id. Maii, in quibus erat, Plancum ad se scripsisse, a Lepido non recipi Antonium. Præterea ait, ‘ Qui reliquias hujus belli oppresserit, eum totius belli confectorem fore.’

Lentulus Ciceroni suo S. D.

xii. 14. *Cum Brutum*] Quæstor erat Asiæ Lentulus. De Cassio et de Dolabella nuntiat. Data iv Kal. Jun. Pergæ.

P. Lentulus P. F. Proquæst. Propræt. S. D. Coss. Prætt. Trib. Pl. Sen. P. Q. R.

xii. 15. *Si valetis, liberique vestri valent, bene est*] Nuntiat eadem de Dolabella et de Cassio, quæ in superiori Epistola nuntiavit Ciceroni. Data est iv Non. Jun. Pergæ. Nisi malimus legere *IV Kal. Jun.* ut sit eadem die scripta qua superior.

D. Brutus Imp. Cos. Des. M. Ciceroni S. D.

xi. 13. *Jam non ago tibi gratias*] Respondet Epistolæ superiori Ciceronis, cujus initium est, ‘Tres uno die.’ Rationem affert cur non statim persecutus sit Antonium. Pollicetur, si quo casu Isaram trajecerit, reip. non defuturum. Addit præterea, ‘ Vos magnum animum, optimamque spem de summa reip. habe-

re volumus, cum et nos et exercitus nostros singulari concordia conjunctos, ad omnia pro vobis videatis paratos.'

M. Lepidus Imp. II. Pont. Max. S. P. Pl. Q. R.

x. 35. *Si vos liberique vestri*] Data est III Kal. Jun. Excusat se quod Antonium receperit. Recepit autem a. d. IV Kal. Jun.

D. Brutus Imp. M. Ciceroni S. D.

XI. 26. *In maximo meo dolore*] Data est III Non. Jun. ex castris. Lepidus Antonium recepit a. d. IV Kal. Jun. ex Epistola Planci, cujus initium est, 'Nunquam, mehercule.' Hoc autem significare videtur Brutus in hac Epistola, cum ait, 'Hoc solatio utor, quod intelligunt homines me timuisse ista quæ acciderunt.' Et paulo post, 'ad senatum litteras misi.'

M. Cicero D. Bruto Imp. S.

XI. 21. *Dii isti Seguliu*] Respondet Epistolæ Bruti, cujus initium est, 'Quod pro me non facio.' Data est prid. Non. Jun.

M. Cicero D. Bruto S. D.

XI. 24. *Narro tibi*] Data est VIII Id. Jun. Respondet Epistolæ Bruti, cujus initium est, 'Nos hic valemus recte.' Suadet ut in Galliam contra Antonium trajiciat. Neque enim adhuc audierat Antonium esse receptum a Lepido.

Plancus Ciceroni S.

x. 23. *Nunquam, mehercule*] Data est VIII Id. Jun. Civarone, ex finibus Allobrogum. Nuntiat a. d. IV Kal. Jun. Antonium se conjunxisse cum Lepido: vix se e manibus eorum esse elapsum.

C. Asinius Pollio M. Ciceroni S.

x. 32. *Balbus quæstor*] Data est VI Id. Jun. Cordubæ. Narrat quæ Balbus quæstor gesserit: petitque ut quid sibi agendum sit, ad se scribat.

M. Cicero C. Cassio S. P. D.

XII. 8. *Scelus affinis tui Lepidi*] Scripta est post conjunctionem Lepidi et Antonii. Quod ex his verbis intelligitur: 'Scelus affinis tui Lepidi, summamque levitatem et inconstantiam, ex actis quæ ad te mitti certo scio, cognosse te arbitror.' Addit præterea nuntiata quædam fuisse de oppresso Dolabella.

M. Cicero C. Cassio S. P. D.

XII. 9. *Brevitas tuarum litterarum*] Scripta est eodem tempore quo superior; quia ait, 'Tanquam clausa sit Asia, sic nihil perfertur ad nos, præter rumores de oppresso Dolabella.' Et paulo post, 'Nos confectum cum putaremus bellum, repente a Lepido tuo in summam solicitudinem adducti sumus.'

C. Cassius S. D. M. Ciceroni.

XII. 13. *Si vales, bene est: ego quidem valeo. Cum reip.*] Data est Id. Jun. Cypro, Acromani Iacride. Nuntiat se persecutum esse Dolabellam.

M. Cicero D. Bruto S. D.

XI. 25. *Expectanti mihi*] Data est XIV Kal. Quint. Se vocare quotidie M. Brutum in Italiam ait.

M. Cicero C. Cassio S. P. D.

XII. 10. *Lepidus affinis tuus*] Scripta est post prid. Kal. Quint. quia ait, 'Lepidus affinis tuus prid. Kal. Quint. sententiis omnibus hostis a senatu judicatus est, cæterique qui una cum illo a republica defecerunt: quibus tamen ad sanitatem redeundi ante Kal. Sept. potestas facta est.' Et paulo post, 'Nos de Dolabella quæ volumus, audimus; sed adhuc sine capite.' Nondum autem superiores

Cassii de Dolabella litteras acceperat.

C. Cicero Ampio S. D.

x. 29. *De meo studio*] Data est prid. Non. Quint. Videtur scripta hoc tempore, quo plurimum poterat in republica Cicero ; quia ait, 'Illi mihi necesse est concedant, ut tibi plus, quam ipsi, hoc tempore prodesse possim.' Item, 'fundamenta jeci salutis tuæ.'

Plancus Imp. Cos. Des. Ciceroni S. D.

x. 24. *Facere non possum*] Data est v Kal. Sext. ex castris. Hoc tempore petebat Octavius consulatum in locum consulum occisorum. Quod in hac etiam Epistola significat Plancus, cum ait, 'Quod vivit Antonius, quod Lepidus una est, quod exercitus habet non contemnendos, id omne Cæsari acceptum refero. Quæ mens eum a tanta gloria avocarit, et ad cogitationem consulatus bimestris transtulerit, exputare non possum.'

Hoc anno C. Cæsar Octavianus prid. quam xx annos impleret x Kal. Oct. cum Q. Pedio consulatum iniit in locum A. Hirtii et C. Pansæ, qui in prælio Mutinensi ceciderant. Atque haud ita multo post Cicero, inito inter Cæsarem, Antonium, et Lepidum, triumviratu, jussu Antonii interfectus est.

EPISTOLÆ ALIQUOT,

QUIBUS HAUD ITA CERTA SEDES INVENITUR.

M. Cicero M. Fabio Gallo S. D.

vii. 23. *Tantum ex Arpinati veneram*] Hæc Epistola eodem tempore scripta videtur, quo Epistolæ quædam in primo lib. ad Attic. quia cum utroque de signis sibi curandis agit. Nam in Epistola, cujus initium est, 'Quanto dolore,' ita ait, 'Quæ tibi mandavi, et quæ tu intelliges convenire nostro Tusculano, velim, ut scribis, cures. Nam nos ex omnibus molestiis et laboribus uno in illo loco conquiescimus, quo fratrem quotidie expectamus.' Et in ea quæ incipit, 'Non committam,' scribit, 'Q. frater cum uxore nunc in Arpinati prædio erat. Tu velim, si ornamenta γυμνασιώδη reperire poteris, quæ loci sint ejus, quem non ignoras, ne prætermittas. Nos Tusculano ita delectamur, ut nobismetipsis tunc denique cum illo venimus, placeamus.' Et in ea, cujus initium est, 'Apud te est, ut volumus,' scribit, 'Hermæ tui Pentelici, de quibus ad me scripsisti, jam nunc admodum delectant. Quare velim et eos, et signa, et cætera, quæ tibi et ejus loci, et nostri studii, et tuæ elegantiæ esse videbuntur, quamplurima quamprimumque mittas, et maxime, quæ tibi gymnasii xystique videbuntur esse.' Et in ea, cujus initium est, 'Cum essem in Tusculano,' legimus, 'Signa nostra, et Hermeraclas, ut scribis, cum commodissime poteris, velim imponas, et quod aliud οἰκεῖον ejus loci, quem non ignoras, reperies, et maxime quæ tibi palæstræ gymnasiique videbuntur esse.' Et in ea, cujus initium est, 'Crebras expectationes,' scribit, 'quod mihi de Hermathena scribis, per mihi gratum est, ornamentum Academiæ proprium meæ, quod et Hermes commune omnium, Minerva singulare est ejus gymnasii.' In his ergo locis meminit Cicero Tusculani, quod exornare cupiebat, et quo fratrem expectabat; Arpinatis, ubi frater erat. Signa præterea sibi curari cupit ea quæ gymnasio, palæstræ, et xysto, et cuidam alii loco quem ille scit, congruant, ut Mercurium et Minervam. Eadem autem fere in hac Epistola scribit ad Fabium. Meminit enim Arpinatis, unde forte in Tusculanum redierat, cum ibi Q. fratrem reliquisset: meminit Tusculani, ubi tunc

erat. Signa præterea se cupere ait, quæ gymnasium et palæstram exornent, cum inquit, 'Ea signa emere soleo, quæ ad similitudinem gymnasiorum exornent mihi in palæstra locum.' Meminit etiam xysti, et alterius illius loci, cum ait, 'Exhedria nova mihi quædam sunt instituta in porticula Tusculani: ea volebam tabellis ornare.' Xystum enim porticulam, locum illum exhedria intelligit. Baccharum præterea et Martis signa loco illi convenire negat, Mercurium probat. Cum ergo tanta sit argumenti similitudo, jure eodem tempore hæc scripta esse videri poterit, atque illæ ad Att. quæ ante consulatum Ciceronis, auctore Paulo Manutio, viro eruditissimo, scriptæ sunt. Hoc tamen opinantes dicimus.

Cicero Gallo S. D.

VII. 26. *Cum decimum*] Meminit cœnæ auguralis apud Lentulum. P. autem Lentulus Spinther filium in consulatu suo, Dione auctore, in adoptionem Manlio Torquato dedit, ut augur fieri posset, salva lege, quæ duos ex eadem gente fieri augures prohibebat. Erat autem augur Cornelius Faustus Syllæ fil. ex quo apparet hanc Epistolam scriptam esse post consulatum Lentuli.

M. Cicero C. Munatio C. F. S. D.

XIII. 60. *L. Livineius*] Scripta videtur post exilium Ciceronis; quia ait, 'Summa enim ejus erga me officia extiterunt iis nostris temporibus, quibus facillime bonam benevolentiam hominum et fidem perspicere potui.'

M. Cicero L. Culleolo S. D.

XIII. 41. *Quæ fecisti*] Videtur Culleolus proconsul in Illyrico esse; quia meminit in sequenti Byliorum, populorum Illyrici. Scripta est vivente Pompeio; quia ait, 'Tum Pompeius quotiescunque me videt (videt autem sæpissime) gratias tibi agit singulares.' Id si ita est, profecto ante primum consulatum Cæsaris scripta est. Nam Cæsar primum consul Illyricum ac Gallias a populo obtinuit in quinquennium, ac deinde prorogandum sibi imperium curavit in secundo consulatu Pompeii.

M. Cicero L. Culleolo Procos. S.

XIII. 42. *L. Lucceius*] Meminit in hac etiam Pompeii: cum ait, 'sese Lucceio Pompeii arbitratu satisfacturos.'

M. Cic. Q. Philippo Procos. S.

XIII. 74. *Etsi non dubito pro*] Q. Philippus proconsule Asiam regebat. In hac enim Epistola fit mentio L. Oppii, et L. Egnatii, qui negotia habuerunt Philomeli, urbe Asiæ, ut apparet ex Epistolis sequentibus ad Gallium. Commendat eum ergo ei absenti L. Oppium, et L. Egnatium, quos etiam præsentes ostendit se commendasse tum cum Philippus discederet in provinciam.

M. Cicero Q. Gallio S. D.

XIII. 43. *Etsi plurimis rebus*] Puto Gallium fuisse legatum Q. Philippi proconsulis in Asia. Commendat ei L. Oppium, et L. Egnatium, qui negotia habebant Philomeli. Non videtur autem adhuc Gallius in provinciam pervenisse; quia ait, 'Velim memoriæ tuæ causa des aliquid litterarum, quæ tibi in provincia reddantur.'

M. Cicero Q. Gallio S. D.

XIII. 44. *Etsi ex tuis*] Commendat iterum Gallio L. Oppium.

M. Cicero Appuleio Proquæst. S. P. D.

XIII. 45. *L. Egnatio*] Appuleius videtur quæstor fuisse Q. Philippi proconsulis in Asia. Commendat ei

negotia ejusdem Egnatii, de quo ante.

M. Cicero Appuleio Proquæst. S. P. D.

XIII. 96. *L. Nostius*] Eidem Appuleio proquæstori commendat L. Nostium.

M. Cicero Q. Philippo Procos. S.

XIII. 73. *Gratulor tibi*] Q. Philippus procos. ex provincia Asia Romam redierat. Gratulatur ei Cicero quod salvum se Romam receperit.

M. Cicero C. Memmio.

XIII. 3. *A. Fusium*] Commendat A. Fusium. Hanc Epistolam inter eas quæ ad Memmium scriptæ sunt, non collocavimus; quia ait, 'ut mihi coram recepisti.' Quæ vero ad Memmium scriptæ sunt, ostendunt Ciceronem nusquam cum Memmio locutum esse, cum Athenis exulabat.

M. Cicero Cornificio Collegæ S.

XII. 20. *Gratæ mihi tuæ litteræ*] Hæc Epistola separata est a reliquis, quas Cicero ad Cornificium scripsit. Nam cum reliquas scripsit, in provincia esse videtur Cornificius: cum hanc autem dedit, rusticari videtur. Quod quando fecerit, non liquet.

M. Cicero Papirio Pæto S. D.

IX. 21. *Ain' tandem*] Hæc Epistola nihil ex se suppeditat, ex quo in suspicionem venire possimus, quo præcipue anno scripta sit. Multas etiam alias ad Pætum scripsit Epistolas, sed non omnes uno anno, ut ostendimus.

M. Cicero Papirio Pæto S. D.

IX. 22. *Amo verecundiam*] Quod dixi de priore Epistola, idem de hac judicandum est.

Cicero Trebatio S. D.

VII. 22. *Illuseras heri inter scyphos*] Incerta omnino sedes est hujus epistolæ.

Cicero Trebatio S. D.

VII. 21. *Silii causam*] Item hujus.

M. Cicero Q. Valerio Q. F. Orcæ S.

XIII. 6. *Si vales, bene est: ego quidem valeo. Credo*] Reliquæ Epistolæ ad Valerium Orcam scriptæ sunt, cum esset præfectus a Cæsare dividendis agris. Hæc autem scripta est cum esset in provincia: in qua quo tempore fuerit, obscurum est.

Cicero Basilo S. D.

VI. 15. *Tibi gratulor, mihi gaudeo*] Incertissimum tempus est hujus Epistolæ.

Quintus M. Fratri S. D.

XVI. 16. *De Tirone*] Laudat fratrem Quintus quod Tironem in libertatem vindicaverit.

Q. Cicero Tironi suo S. D.

XVI. 26. *Verberavi*] Incertum Epistolæ tempus, ut etiam sequentium.

M. Cicero Q. Anchario Q. F. Procos. S. D.

XIII. 40. *L. et C. Aurelios, &c.*

M. Cicero Quatuorviris et Decurionibus S. D.

XIII. 76. *Tantæ mihi, &c.*

Cicero Regi S.

XIII. 52. *A. Licinius Aristoteles, &c.*

M. Cicero P. Cæsio S. D.

XIII. 51. *P. Messienum, &c.*

Cicero Curio Procos. S. D.

XIII. 49. *Q. Pompeius, &c.*

FINIS CICERONIS EPISTOLARUM AD DIVERSOS.

M 338